# EURIPIDIS

# OPERA OMNIA.

# ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ἍΠΑΝΤΑ.

# EURIPIDIS OPERA OMNIA;

EX EDITIONIBUS PRÆSTANTISSIMIS

FIDELITER RECUSA;

LATINA INTERPRETATIONE, SCHOLIIS ANTIQUIS,

ET

ERUDITORUM OBSERVATIONIBUS,

ILLUSTRATA:

NECNON

INDICIBUS OMNIGENIS

INSTRUCTA.

[edited by A. + J. M. Duncan, assisted by R. H. Evans + others]

VOLUMEN PRIMUM.

GLASGUÆ:

EX PRELO ACADEMICO,

CURA ET TYPIS ANDREÆ ET JOANNIS M. DUNCAN;

IMPENSIS RICARDI PRIESTLEY,

LONDINI.

1821.

NOBILISSIMO ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

JACOBO

DUCI DE MONTROSE

ACADEMIÆ GLASGUENSIS

CANCELLARIO

HANC EURIPIDIS EDITIONEM

EX PRELO ACADEMICO

PROLATAM

D. D. D.

ANDREAS ET JOANNES M. DUNCAN.

# PRÆFATIO

## TYPOGRAPHI LECTORI

S.

---

Euripidis operum omnium editionem, forma atque indole prorsus novam, tandem tibi, Lector benigne, in manus tradimus. Consilio quidem originem dedit Vir a bonis omnibus valde deflendus, orbique litterato notior quam qui laudibus nostris egeat, Carolus Burneius, S. T. P. Qui postquam defunctus erat, id in se maxima ex parte maturandum suscepit, antiquarum et ipse fautor litterarum, Robertus H. Evans, classicus (uti aiunt) librarius Londinensis; schedisque in prelo adhuc desudantibus, multum opis in re difficillima nobis perquam humaniter tulit. Viri docti, Græcæ linguæ peritia insignes, qui hanc nostram editionem cura gratuita aluere, sunt: Petrus Elmsley, A. M. Annotationum in nostri auctoris contextum, prout a se editæ sunt, usu nobis liberaliter concesso; Edvardus Maltby, S. T. P. Morelli Lexici editor eruditissimus; Carolus Jacobus Blomfield, S. T. P., cujus in Troadas notulas, una cum Burgesii selectissimis ad calcem reperies tomi quinti impressas, quippe quas serius acceperimus quam ut textui suis quæque locis substernerentur.

Consilium nobis propositum quam brevissime indicabimus, ratione, qua confectum fuerit, diligenter explicata. Quod si lector indagando accuratum minus quiddam vel absolutum perspiciat, id omne operis potius difficultati molestiæque quam incuriæ nostræ oramus adscribat.——" Si deficiant vires, au-

dacia certe Laus erit. In magnis" aliquid est voluisse; tentasse aliquid.

Præcipuum igitur id nobis propositum fuit, ut Euripidis tragœdiarum contextum quam accuratissimum daremus; doctorum interpretum Scholiastarumque antiquorum annotationibus, cum ætatis nostræ critica, passim subjectis. Omnia igitur ad quemque locum Scholia, Interpretationes, Paraphrases, Notæ, Emendationes, Conjecturæ, Dissertationes denique, quibus Euripidis scripta sint explicata, in eadem voluminis uniuscujusque parte (in eadem fere pagina) quam maxime apponuntur; ut sic lector de eruditorum laboribus, quibus opera illustrata, criticorumque, quibus de die in diem fuerint emendata, quasi uno oculorum intuitu fiat certior. Partibus in nonnullis maximi momenti res, prelo nunquam antea subjectas, exhibere nobis feliciter contigit: inter quas præcipuum locum occupant in Rhesum fabulam Troadasque Scholia; de quibus mox dicendum.

Quomodo sancitur contextus, lector, nunc accipe: In Hecuba, Oreste, Phœnissis, et Medea, celeberrimi Porsoni exemplaria secuti sumus; in quibus imprimendis etiam id curatum fuit, ut iota, quod subscriptum vulgo vocatur, semper adscriberetur. V. Porson. ad Hecub. 2. et Med. 6. In reliquis tragœdiis more editorum, quorum contextum delegimus, usi sumus. In Hippolyto et Alcestide, Monkii; in Andromache, Electra, Danaë, et Fragmentis, Musgravii; in Supplicibus, Iphigenia in Aulide et Tauris, Marklandi; contextum exhibuimus. In Rheso, Troadibus, Cyclope, Helena, et Ione, Matthiæi editionem recentem recudimus. Bacchæ e Brunckio, Heraclidæ ex Elmsleio, Hercules Furens ex Hermanno imprimuntur.

In fabulis disponendis Beckii editionem secuti sumus, singulas tragœdias in actus eodem modo dividentes, argumentaque ab eo data præponentes.

Variantes lectiones, quas in lucem protulit Matthiæus, interpretationi Latinæ subjiciuntur.

In plerisque Tragœdiis bis numerantur versus. Editores quorum textum amplexi sumus, numeris, *quos versibus præfiximus*, usi sunt; hosque notæ sub imas paginas positæ Indicesque omnes respiciunt. Numeri *ad versuum finem* Musgravii sunt, et tantum in Tragœdiarum priorum notis adhibentur. Qui-

bus explicatis, lectorem credimus citatum locum facile inventurum.

Baccharum versum 1320. *Δράκων γενήσει μεταβαλὼν, δάμαρ τε σὴ*—antehac deficientem, supplere penes nos fuit. V. Maltb. ad fabulæ 1.

Contextus interpretatio Latina tota fere est Musgraviana, cujus in proœmio reddita est ratio; quæ tamen in posterioribus tragœdiis, ut et in quatuor prioribus a Porsono editis, contextus emendationibus quam maxime accommodata est. In cæteris nil nisi linearum divisionem mutavimus: ubicunque tamen verborum Græcorum interpretationem minus fidelem quam oportuit inveniet lector, in subjectis notis facile (uti speramus) dilucidæ explicationes ante oculos oborientur.

Nunc pauca de Scholiis, seu Criticorum antiquorum temporum annotationibus. In quatuor prioribus tragœdiis Musgravianis, in Hippolyto autem et sequentibus Matthiæi, quantum edidit, amplioribus sumus usi; cujus præclara editio nobis in manus tunc tandem veniebat.—Præter hos amplos Antiquorum thesauros, gratulandum est lectori de Scholiis in Rhesum Troadasque in hac nostra Euripidis editione nunc primum in lucem prolatis. Conspecto Elmsleii Medeæ præfixo Codicum Indice, suasit evulgaremus juvenis Cantabrigiensis Jacobus Bailey, A. B. qui ob nuperius editam Scapulæ editionem (cujus profecto rationem totus excogitavit) laudes eruditorum meruit. Horum autem nonnulla perierunt, et reliqua multis erroribus inquinantur, quos tamen corrigere non ausi sumus. Haud aliter igitur ac reperimus in lucem edere maluimus, ne nostri conatus lectorem doctissimum impedirent, quo minus ipse ea rectius emendata exhiberet. Quamobrem omnem litteram punctumve quod in archetypo occurrit, summa cum religione, ne dicamus superstitione, retinuimus. Si hæc Scholia prius accepissemus, una cum Tragœdiis, ad quas pertinerent, proculdubio excudenda curavissemus. Sed ut res se habebat, separatim sub calcem voluminis quinti dare nos coëgit necessitas. Plura de hac re scire cupiens lector, adeat proœmium Scholiis ipsis præfixum.

Cum Scholiis, prout a Musgravio edita sunt, quæ in supplemento Scholiorum occurrunt apud Beckium conjunximus.

Paraphrases littera P., Scholia littera S. præfixa distinguuntur. Annotationes in hæc Scholia e Beckio in quatuor prioribus fabulis, in posterioribus e Matthiæo subjunctæ reperientur. Sed consulat omnino lector Beckii et Matthiæi procemia, primo nostro volumini præposita.

Annotationum amplissimarum, quas nostra editio continet, Beckii notæ fundamentum fuerunt; quas, una cum ceterorum criticorum ab ipso summa cum diligentia comparatis observationibus, in unum conspectum (quod supra notatum est) adduximus. Sed de his lector procemium ejus in primo nostro volumine perlegat. Præter notas autem hasce, omnia fere a recentioribus suppeditata inspeximus, præcipueque cuncta a celeberrimo Porsono in lucem prolata, quæ (ex *Adversariis* potissimum) magno pretio redempta, tanquam flosculos quosdam hic illic sparsos carpat delibetque curiosus lector. Nec minimum decus nostrorum voluminum sunt Burneii notulæ, ex schedis ejus manuscriptis, quæ in Museo Britannico servatæ sunt, desumptæ. Editorum, quorum contextum prætulimus, annotationes, quantum penes nos fuit, cum ceterorum notis perpetuo conjunximus. Quædam etiam ex Diariis atque id genus aliis libris collegimus, quorum nonnulla in Latinum ex Anglico sermone versa curavimus, ut sic essent utiliora, et cum ceteris melius quadrarent. Nomine auctoris unicuique notæ subjecto, lectorem eruditum, in recensendis singularum tragœdiarum interpretibus, delassare supervacaneum videtur, cum primo obtutu statim compareant. Erroris tamen veniam rogamus, in quem, in duarum priorum necnon et in aliquot vel tertiæ tragœdiæ paginis, imprudentia incidimus, Beckio scilicet nonnullas Barnesii notas adscribendo. Auctoris nomen in Beckii editione passim deest. Inde natus est error, ad quem tamen, quantum in nobis fuit, corrigendum, locorum omnium catalogum lectori præbendum statuimus. In Electra nostrum cum editionis principis (Florentiæ sub finem sæc. XV. a Jano Lascari curatæ) contextu contulimus. Hæc, cum nonnullis generalibus Dissertationibus in Indice memoratis, septem nostra occupant priora volumina; quæ totum Euripidis operum contextum, ætati nostræ servatum, exhibent. In notis disponendis instituti nostri ratio postulavit, quantum fieri potuit, ut quæque pagina omnes notas in contextum

suum contineret. Versus numerus primæ notæ præponitur; editorisque, cujus contextu utimur, notæ locum primum semper tenent. Est ubi annotationes occurrunt in versus ab editoribus, utpote interpolatos, prorsus ejectos; qui tamen semper sic distinguuntur, ut ne quid eam ob caussam lectori fiat impedimenti. Notarum ordo, ut aliæ alias respicerent, paucis in locis parvulam mutationem verborum, quibus inter se hærerent, necessariam reddidit: sed ultra eam nihil. Uniuscujusque scriptoris observationes integræ ubique servantur. Quædam ex necessario interdum repetita; quod caveri nequiit, cum scriptores alii aliorum observationes plus minusve protulerint, nec quidquam in re tali subtrahi potuerit sine magno sensus notarum detrimento. Clavem cujus ope MSS. nomina et auctoritas cognoscantur, partim in primi voluminis initio, partim in aliis, præbuimus. Præfationem sequitur Elenchus editionum, quarum contextum adhibuimus. Index, lectorem ad hæc aliaque ejusdem generis ducens, non abest. In octavo volumine Valckenærii Diatriben in Euripidis Fragmenta dedimus. Quamvis enim Musgravii aliorumque observationes his Fragmentis subjeceramus, hæc tamen Dissertatio animadversiones multas, quod a tali viro expectandum, præclaras in Euripidem aliosque auctores continet; quibus omissis, editio nostra minime perfecta nobis esse videretur. Pars posterior hujus voluminis Scholia (exceptis in Rhesum Troadasque MStis) habet, quæ, Tragœdiis ad quas pertinent jam impressis, in manus nobis pervenerunt. Ab hoc nostro Supplemento omnia antea in contextum data, excludere nobis curæ fuit; ut lector nihil ad opus perficiendum non necessarium, omne superfluum excisum reperiret. Matthiæi quoque observationes in Scholia antea impressa, una cum paucis a Fæhsio, quibus nomen addidimus, desumptis, subjunguntur.

Nonum volumen complent Indices, multo labore et magno pretio confecti. Primus, amplus et pretiosus, est Beckii, sed summa cura, mutatis ob varietatem in contextu lectionum sæpe numeris, ad editionem nostram accommodatus. Multas voces incertæ auctoritatis ab editoribus fabularum ejectas omisimus, novasque eorundem industria et ingenio prolatas inseruimus; ut Index scilicet et Contextus inter se congruerent. Facile autem quisquam judicabit, quam magnus, quam infinitus pæne sit hujus rei labor, cum hæ mutationes passim, ut uno verbo dicamus

scateant. Quod si hac in parte quædam vigilantiam nostram effugere potuerint, lectoris veniam benevolentiamque propter nimiam operis molem tædiumque iterum iterumque oramus.

In Indicibus Græco atque Latino omnes a variis fabularum editoribus subministrati Indices conjugati reperiuntur; in quibus hujus aliarumque operis partium concinnator signa copiosa ad annotationum locos insignes referentia, ab ipsisque editoribus neglecta, suppeditavit. Lectorem, omnibus sic simpliciter ac luculenter dispositis, quidquid in nostra editione notatu dignum sit facile inventurum, vix est dubitandum.

*Glasguæ, in Æd. Acad.*
*Kal. Febr. MDCCCXXI.*

## ELENCHUS EDITIONUM TRAGŒDIARUM,

### QUARUM CONTEXTU USI SUMUS.

---

| | |
|---|---|
| 1. Hecuba, | Porson. Lond. 1802—12. |
| 2. Orestes, | |
| 3. Phœnissæ, | |
| 4. Medea, | |
| 5. Hippolytus, | Monk. Cant. 1811—1818. |
| 6. Alcestis, | |
| 7. Andromache, | Musgrav. (*ed Op. Om.*) Oxon. 1778. |
| 8. Supplices, | Markland. Oxon. 1771—75. |
| 9. Iph. in Aul. | Markland. Oxon. 1771—75. |
| 10. Iph. in Taur. | |
| 11. Rhesus, | Matthiæ. (*ed Op. Om.*) Lips. 1813—— |
| 12. Troades, | |
| 13. Bacchæ, | Brunck. Argentor. 1780. |
| 14. Cyclops, | Matthiæ. |
| 15. Heraclidæ, | Elmsl. Oxon. 1813. |
| 16. Helena, | Matthiæ. |
| 17. Ion, | |
| 18. Hercules Fur. | Hermann. Lips. 1810. |
| 19. Electra, | Musgrav. |
| 20. Danaë, | |

# CONTINENTUR

## HIS VOLUMINIBUS.

### VOL. I.



### VOL. II.

## VOL. III.



## VOL. IV.



## VOL. V.



## VOL. VI.



## VOL. VII.

## VOL. VIII.



## VOL. IX.

ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOQUE

PRINCIPI AC DOMINO,

# DOMINO CAROLO,

DUCI SOMERSETENSI,

COMITI HERTFORDIENSI,

VICECOMITI BEAUCHAMP DE HATCHE,

BARONI SEYMOUR DE TROWBRIDGE,

NOBILISSIMI ORDINIS PERISCELIDIS EQUITI, ETC.

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS

## CANCELLARIO

HUMANISSIMO,

NECNON

REVERENDO PROCANCELLARIO,

MAGISTRIS, TOTIQUE ADEO SENATUI CANTABRIGIENSI.

llustrissime Dux, Cancellarie Ornatissime,
Veneranda Capita,

EURIPIDEM, Tragicorum Principem, in lucem jam emisurus quibus eum potius nominibus consecrarem, quam rincipi in toto orbe Literarum Reipublicæ, Academiæ Cantabrigiensi, Almæ Matri, ejusque simul defensori et atrono, Cancellario clementissimo? Sub vestris enim, ux inclyte, Mater Alma, auspiciis suus jam constat literis onos, suum Græcæ Linguæ, ac proinde universæ erudiioni, pretium. Nec illum vos fovere dedignemini, quem ntrepidum virtutis præconem, philosophiæ moralis, omisque adeo literaturæ promicondum, necnon summum icendi artificem, doctissimi homines semper existimarunt, uem maximi reges, et imperatores, et respublicæ, et uces, et vivum et mortuum coluerunt. Certe, ut cultiori aulo syrmate cothurnatus vates in vestrum conspectum eniret, id pro meo modulo summopere sum adnixus.

Vos pro singulari vestra humanitate et in literas amore facitote, Princeps Clementissime, Senatus Lectissime, ut quem laborem causa vestra lubens insumserim, irritus omnino non cadat; sed vestro potius favore ad hujusmodi negotia obeunda animus nobis addatur et incitamentum aliis.

Dux Serenissime,

Cancellarie Clementissime,

Mœcenas Optime,

Celsitudinis Vestræ Cliens et
Cultor Humillimus

Alma Mater,

Literati Proceres,

Capita Veneranda,

Filius Vester Obsequentissimus

JOSUA BARNES.

## Nomina Doctorum Virorum, qui Nobis in hoc Opere facem prætulerunt.

| | |
|---|---|
| Johannes Brodæus. | Daniel Heinsius. |
| Gulielmus Canterus. | Johannes Miltonus. |
| Theodorus Canterus. | Samuel Petitus. |
| Isaac Casaubonus. | Æmilius Portus. |
| Jacobus Duportus. | Janus Rutgersius. |
| Q. Sept. Florens Christianus. | Josephus Scaliger. |
| | Henricus Stephanus. |
| Thomas Gatakerus. | Gaspar Stiblinus. |
| Hugo Grotius. | Petrus Victorius. |
| Janus Gruterus. | |

## Editiones Variæ, præter MSS. quibus usi sumus.

| | |
|---|---|
| Aldi. | Æmilii Porti. |
| Hervagii. | Pauli Stephani. |
| Gasparis Stiblini. | Caldoræi. |
| Gulielmi Canteri. | Petri de la Roviere. |

Præter singulares quasdam Fabulas H. Stephani, Erasmi, et Scholia Arsenii separatim edita, etc.

## Εἰς ΕΥΡΙΠΙΔΗΝ παρ' ἀνδρὸς Ἑλληνικωτάτου ΙΗΣΟΥ τοῦ ΒΑΡΝΕΣΙΟΥ ἐκδοθέντα.

ΤΡΕΙ͂Σ μὲν ποιητὰς κεδνούς ποτ' ἔθρεψαν Ἀθῆναι,
Αἰσχύλον Εὐφορίωνος ἀοίδιμον, ἠδὲ Σοφίλου
Εὔφθογγον Σοφοκλῆν, Μνησαρχιάδην τ' ἐπίδοξον.
Τῶν τίνα μὲν καλέειν προφερέστατον, ἠδὲ μέγιστον,
Ἐν δοιῇ μάλα θυμὸς ἐριζομένοισι βροτοῖσι
Δηρὸν ἔην, ἕτερος δ' ἑτέρῳ μέγα κῦδος ἔδωκε·
Βαρνέσιος δ' ἄρα νῦν χαλεπὸν τόδε νεῖκος ἀπηύρα,
Βαρνέσιος, τοῦ προσφιλὲς οὔνομα πᾶσιν ἀοιδοῖς,
Βαρνέσιος τόδε σοί γ', Εὐριπίδη, εὖχος ὄπασσεν,
Ὥστ' ἔμεναι γενεῇσι περικλυτὸς ἐσσομένῃσιν.
Αἰσχύλον οὐδὲν ὄνησε μέγας Σταντλήϊος υἱὸς,
Οὐδὲ Σοφοκλῆϊ Στέφανος, δεδαημένος ἦτορ·
Τοὔνεκά σοι φθονέουσι, καὶ ὄλβιον, ἠδὲ Τραγῳδὸν
Μοῦνον κικλήσκουσιν ἀκήρατον ἄλλοι ἀοιδοὶ,
Σήν τε τύχην ποθέουσιν, ὅσοι φίλου οὐκ ἀπέλαυσαν
Ἀρχέλεω ζῶντες καὶ Βαρνεσίοιο θανόντες.

Joh. Leng, M.A.,
Aul. Cath. Socius.

## Περὶ Κυρίου ΙΗΣΟΥ ΒΑΡΝΕΣΙΟΥ ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς γράμμασιν ἐπιπλεῖστον προκόψαντος.

ἨΔΗ ὑπαὶ Τουρκᾶο κακοῦ δηλήτορος ἀνδρὸς
Ἑλλήνων κρήδεμνα καταβληθέντα χαμᾶζε
Ἰλιακὸν πάθον οἶτον· Ἀθηνῶν τε πτολίεθρον
Νῦν σφετέρην καὶ Παλλάδ' ἀπώλεσε, λυγρὰ πεπονθός·
Οὐδὲ μόνον Πριάμοιο πόλιν πυρὸς ἤνυσεν ὁρμὴ,
Φθία ξὺν δ' ἀπόλωλε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.

Ἀλλ' ὡς Τρώϊον αἷμα παλιμβλαστεῦς ἀπὸ Ῥώμης
Ἄλλο μὲν ἔλλαχεν ἔρνος, ἰδὲ παλιναυξέα ῥίζαν,
Ἕκτωρ δ' αὖ ἐτέτυκτο νέος, Καῖσαρ μεγάθυμος·
Οὕτως Ἡμεδαποὶ Βρετανοὶ φρενὸς ἔμφρονι τέχνῃ
Ἑλλάδα νῦν γαῖαν παλινάγρετον ἔμμεν ἔθηκαν,
Βαρνέσιος δέ οἱ ἄλλος ἐγίνετο Καίσαρι ἶσος.

Thomas Barker, A.M.,
Coll. D. Magd. Socius.

## Πρὸς τὸν Φιλελλήνων εὐμαθέστατον Κύριον ΙΗΣΟΥΝ τὸν ΒΑΡΝΕΣΙΟΝ, τὸν τοῦ ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ἀκριβέστατον Ἀνασκευαστήν.

ὋΝ ποτ' ἀκήδεστον σκοτόεν νέφος ἀμφεκάλυψεν,
Ἵστατο συμπάσης νῦν καθαρὸς σπιλάδος·
Τοῖον ἐόντα πάλιν ζῶνθ' ὑμνείουσιν Ἀθῆναι,
Τὸν πρὶν ἀεὶ Μούσαις καὶ Χαρίτεσσι φίλον·
Ἡρακλέος τὸ μὲν ἔργον ἔφυ, τὸ μὲν ἤνυσ' Ἀπόλλων,
Ὃς καὶ ἐν ἀργαλέοις τοῖον ἔθηκε πόνον.
Ἦν δ' αὖ ἐνὶ μερόπεσσι τόσης εὑρήτορα τέχνης
Ἔστιν ἰδεῖν, Ποῖος; πῶς ἐρατεινὸς ἀνήρ;
Σῶν διὰ γάρ τε πόνων ἶσον κλέος ἀμφοτέροισι,
Καὶ Μνησαρχιάδῃ, Βαρνεσίῳ τε πέλει.

Wilhelm. Peirs, A.M.
Coll. Emman. Socius.

## Εἰς τὸν ΕΥΡΙΠΙΔΗΝ Κυρίου ΙΗΣΟΥ τοῦ ΒΑΡΝΕΣΙΟΥ.

ΧΑΙ͂ΡΕΤ', Ἀχαιάδες Μοῦσαι, καὶ ἀοιδὸς Ἀπόλλων,
Χαίρετε, καὶ τὸν ἄριστον ἐπαυδήσασθε ἀμοιβαῖς
Βαρνέσιον, μέγα θαῦμα λαλεῖτε Βρεταννίδος αἴης,
Βαρνέσιον, φίλον Ἑλλήνων, μέγα τ' εὖχος Ἀθηνῶν,
Βαρνέσιον, μέγα ἄστρον ἐνὶ σμικροῖσι φάεσσιν,
Οἷος παμφανόωντι δι' αἰθέρος ἅρματι βαίνων
Φοῖβος ὑπὲρ γαίης βάλλων ἀκτῖνα φαεινὴν
Εὐλαμπὴς πάντεσσιν ἀδεῖ, πάντεσσιν ὀφέλλει·
Οἵη Ἰοχέαιρα δι' οὐρανοῦ ἀστερόεντος
Μαιμώωσα θέει, χρύσειά τε ἥνια τείνει,
Ἄρτεμις Ἰοχέαιρα, πέλει μέγα χάρμα βροτοῖσιν.
Εἰσὶ καὶ Ἥλιοι γαιώδεες, εἰσὶ Σελῆναι,
Κάλλιστον πάντεσσι φάος, πάντεσσιν ὄνειαρ.
Εἷς μέγας, εἷς ἄμμιν πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,
Ἔξοχος Ἑλλήνων, ψυχή τε, καὶ ἄνθος Ἀθηνῶν,
Φῶς ἱερὸν, Γράντης, καὶ Ἑλλάδος ἀγλαὸν εὖχος,
Βαρνέσιος, Τραγικῆς σοφίης ἀριδείκετος ἀστήρ.
Χαίρετε εἰν Ἀΐδαο δόμοις, εἴδωλα Τραγῳδῶν,
Χαίρετε· καὶ τὸν ἄριστον ἐπικλείοιτε Τραγῳδῶν,
Τὸν φίλον ΑΡΧΕΛΕΩ, Τραγικῆς σοφὸν ἄνθος ἀοιδῆς,
Τὸν μέγαν ΕΥΡΙΠΟΙΟ φερώνυμον, ἄφθιτον ἄνδρα·

Ὡς νεῷ, ὡς καθαρῷ βοάα στόμα ῥεύματι φωνῆς,
Ὡς φθογγῇ πενθεῖ λιγυρᾷ, ὡς ῥήματι σεμνῷ,
Ὡς μέτροις ἰδίοισι, καὶ ὡς ἰδίοισι πόδεσσι
Βαίνει μακρὰ, καὶ ὡς αὐτὸς θαυμάζεται αὐτόν.
Βαρνέσιος νέφος ἤλαυνεν, καὶ ἀπεσκέδασ' ἀχλὺν,
Ἀχλὺν, ἣ τοπάροσπερ ἐδύσατο ὄμματα φωτῶν,
Ἀχλὺν, ἣν σκεδάσαι μέγα ΒΑΡΝΕΣΙΟΙΟ βραβεῖον.

Joh. Frankland e Collegio Sydney-Sussex.

## Εἰς ΕΥΡΙΠΙΔΗΝ, *παρ' ἀνδρὸς ὅτι μάλιστα πεπαιδευμένου* ΙΗΣΟΥ *τοῦ* ΒΑΡΝΕΣΙΟΥ *ἐκδοθέντα.*

α. ΔΡΑ'ΜΑΤΑ, τίς ποίησε; β. Σοφώτατος ὃς μὲν ἀ-
Γείνατο τῶν Τραγικῶν, ταῦτ' ἐχάραξεν ἀνήρ. [πάντων
α. Ἀλλὰ σοφὸς Σοφοκλῆς. β. Σήμηνε σοφώτερον ἄλλον
Φοῖβος, καὶ Φοίβῳ σοςῖ ὁ Βαρνέσιος.
α. Τίς δ' ὅδε Βαρνέσιος; β. Τῶν μὲν Χάμοιο παρ' ὄχθαις
Κλεινότατος, τήνδ' ὃς καινοτόμησε βίβλον.
α. Πῶς τόδε τόλμησεν; β. Πίσυνος φρεσίν· οὐδὲ γὰρ
Ἐς πλέον ἣν θυμέλην ᾔδεεν ὁ Τραγικός. [αὐτὸς
α. Ἄνδρα μὲν οὖν δ' ᾄσεις; β. Οὐ τλῆμι τὰ χείλεα
Θείης τῆς φύσεως θνητὸν ἀγασσάμενος· [λῦσαι,
Αὐτὰρ ὅμως γ' ᾄσω, ἣν Βαρνεσίοιό τις αὐδὴν
Μοῦσα διδῷ, ἤ μοι Μοῦσα ὁ Βαρνέσιος.

Jer. Nicholson, ex Aul. D. Catharinæ.

## Περὶ τῆς ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ *ἐκδόσεως ὑπὸ Ἑλληνικωτάτου Ἀνδρὸς Κυριου* ΙΗΣΟΥ *τοῦ* ΒΑΡΝΕΣΙΟΥ *ἀκριβέστατον κατωρθωμένης.*

ΠΟΛΛΑ'Σ εἰς ἐτέων ἑκατοντάδας ᾔνεσαν Ἄνδρες
Μνησάρχου κλυτὸν υἱὸν, ἐπεὶ γένετ' ἄνθος Ἀοιδῶν·
Ἤινεσαν, αὐτὰρ ὅμως ὡς Ἄνδρες νυκτιπλανοῦντες.
Ἢ ἐν ἐρημαίᾳ χώρᾳ, πολλαὶ ὅθ' ἀταρποὶ,
Πολλοὶ Μαίανδροί τε πορευομένους πλανόωσιν,
Οὐκ ἴδον, οἷος ἔην· οἱ γὰρ πέλε πάμπαν ἄνισος,
Ἥλιος ὣς οὔπω νεφέλης ἀπάνευθε φαείνων.

Τοὔνεχ' ὅσους Γενεὰ στειρὰ πόρεν εὐκλέας Ἄνδρας,
Ὦρσαν ἀμυνάμενοι πᾶν Εὐρίπειον ὄνειδος,
Λαμπάδα θεσπεσίην πυκινοῖς νεφέεσσι φέροντες.
Ταῦτα μογησάμενοι ἐπὶ γράμμασι γράμματα πολλὰ
Καὶ Σχόλια Σχολίοισιν ἐπένθεσαν, ὥστε μὴ εἰπεῖν
Πυκνὰ νέφη νεφέεσσι, σκιὰς δέ τε νυκτὶ χερείους.
Τοῖος ἐὼν τλήμων Ἀνὴρ, ἐνὶ χείρεσιν Ἀνδρῶν,
Ἀλλ' ὀλίγων, στρωφᾶτ', ὀλίγων περ, ὃς ἄξιος ἦε
Κόσμῳ ἅπαντι, σοφοῖς δὲ μάλ' ἄξιος αἰὲν ἀείδειν.

Ἀλλ' ἔθαν', αἰῶνος δὲ πάθεν παναεικέα λώβην,
Ἤμασ' ἐπασσυτέροισι δαϊζόμενος μάλα λυγρῶς·
Βαρνέσιος δ' ἐλέησε, καὶ ἤπια φάρμακα πάσσε,
Φοιβείαις τέχνησι καὶ Ὀρφείαις ἐπαοιδαῖς.
Ὃς νέος ὢν Ἐσθῆρα λέγεν καὶ πότμον Ἀμᾶνος
Μειλιχίοις ἐπέεσσι, καὶ ἐξ Ἀχέροντος ἔγειρε
Δῖον Ἐδώαρδον, βίοτόν τε οἱ ἄλλον ὄπασσε,
Τυμβόθεν ἐξερύσας. Βασιλεῦ μάκαρ, ὃς διὰ τούτου
Ἀνθήσεις, μεγάλ' ἄχρι πεσεῖται ἕδρανα κόσμου,
Ἀγγλιαδῶν μέγα εὖγμα, φόβος Φραγκωΐδος αἴης.
Οὗτος ἀριστονόου Τραγικοῦ ἐλέησ' ὠτειλῶν,
Αὐτὸς ἀριστονόος, καὶ γλώσσης Ἑλλάδος εἰδὼς,
Παντοίων τε ὁδῶν Μούσης· Εὐριπίδῃ ἶσος,
Εἴ τις οἱ Ἀρχέλεως παρέοι, ὃς ἡδὺ γράφοντα
Κόλπῳ ἐνὶ μαλακῷ θέλξειε, καὶ ἀγλαὰ δῶρα
Πολλὰ πορὼν, χρέος ἐς μεῖζον σπεύσειεν Ἀοιδόν.

Johannes Savage e Coll. Emman.

# EURIPIDIS VITA,

SIVE

# COMMENTARIUS

DE

# EURIPIDIS TRAGICI POËTÆ

## VITA ET SCRIPTIS ETC.

AUCTORE JOSUA BARNESIO, S. T. B. COLLEGII EMMANUELIS APUD CANTABRIGIENSES SOCIO.

---

## ARGUMENTUM.

I. Præfatio, qua fidem suam et diligentiam spondet auctor. II. Euripidis genus, familia, parentes. III. Oraculum editum de puero nondum nato. IV. Xerxis in Græciam expeditio, cujus metu Atheniensium haud pauci in Salaminem se recipiunt; ubi ea occasione natus Euripides; tempus nativitatis; unde nomen fuerit factum. Æschyli, Pindari et Sophoclis ætas. V. Aristophanis et aliorum de Euripidis parentibus cavillationes diluuntur. VI. Euripides satis locuples ex idoneis auctoribus, et illius, dum juvenis est, magnificentiæ instantia, probatur. VII. Disputatio de quantitate vocis Euripides. VIII. Euripides Salamine aliquamdiu moratus. Persæ ex Græcia pulsi. Tropæum Salamine erectum; circa quod Sophocles juvenis saltabat. Mons Ætna flammas eructat. Themistocles archon. Templum Junonis Argivæ incendio consumtum. IX. Themistocles choragum agit, Phrynicho tragœdias exhibente. Athenienses Piræeum absolvunt. Æschylus vincit. X. Fabiorum familia ad Cremeram pæne exstincta. Euripides athleticæ a patre exercetur, aliisque præclaris studiis. Themistocles ostracismum subit. Atheniensium in Persas victoriæ. Sophocles Æschylum vincit. XI. Socrates nascitur. Spartæ terræ motus. Pericles Atheniensium reip. præficitur; illius laus. XII. Euripidis indoles et studia. Hiero Syracusanus moritur. XIII. Anaxagoræ, præceptoris Euripidis, laus et ob philosophiam periculum. Socrates Euripidis amicus, sed magister non erat. XIV. Euripides ad tragœdias scribendas se confert, philosophiæ interim haud oblitus. Illius cum Socrate familiaritas. XV. Euripidis gratitudo erga Anaxagoram præceptorem. XVI. Et pietas in patriam, haud immerentem. XVII. Æquus tamen in hostes fuit, et in amicos aliquando severus. Nicolai Loensis objectionibus contra Euripidis integritatem respondetur: Utrum de Medea falsum aliquid Euripides finxerit. XVIII. Euripidi fabula Medeæ in æternum vendicata. XIX. Euripides quomodo Μισογύνης. XX. Quæstio agitur, uter, Sophocles, an Euripides, sit excellentior; utriusque laus et differentia; de Æschylo quoque nonnihil. XXI. Euripidis phantasia a Longino laudatur. Ovidius Euripidi multa debet. XXII. Lilius Gyraldus male Valerii Maximi honorificum de Euripide testimonium in vituperium detorquet. Euripidis fiducia sui laudata. Ejusdem anxia industria. Plura illius hodie exstant, quam omnia Æschyli, Sophoclis et Aristophanis simul sumta. XXIII. Euripidis ingenii dexteritas; Atheniensium in judiciis severitas. Ovidio lux præbetur. Euripides invidorum

malignitatem eludit. XXIV. Euripidis castitas. Ἐρωτικὸς, passive pro amore dignus. Lais cum Euripide jocatur. De Parodiis. XXV. Atheniensium reip. status, dum viveret Euripides. Pindari et Lysippi comici laudes Athenarum. Viginti duo alii Euripidis ætatis anni numerantur; illius uxor et quatuor filii. XXVI. Euripides primo vincit Tragœdia in Panathenæis. Pericles Samum et Byzantium expugnat. Sophocles dux in bello Samio. Aristophanes Acharnenses ludit. Pericles arcem ornat. Meton astronomicus. Euripidis Phœnissæ docentur; item Medea, Philoctetes, Dictys, Messores Satyrici. Herodotus moritur et Pindarus. Plato nascitur. Euripides vincit Hippolyto coronato. Pericles moritur. Euripidis filius, Xenophon, bello cæsus. XXVII. Archelaus, rex Macedoniæ. Euripides Andromachen exhibet. Item Alexandrum et Palamedem, et Troas, et Sisyphum satyricum, quando tamen a Xenocle vincitur; quod celso animo contemsit; Timotheum musicum contra populi censuras animat. Xenocles futilis. XXVIII. Archelaus Euripidi munera mittit; disputatio de Euripidis, quas huic editioni subjunximus, epistolis; ubi docti cujusdam viri objectionibus respondetur. Qui Atheniensibus Barbari. XXIX. Bellum contra Syracusanos decernitur ab Atheniensibus Alcibiades exsul Lacedæmonios contra patriam excitat. Clades Atheniensium in Sicilia, quam Euripides epicedio plorat. Athenienses captivi Euripidis gratia libertate donati. XXX. Alcibiadis reditus. Lacedæmonii et Siculi ab Atheniensibus victi. Euripides Orestem fabulam agit, et in Macedoniam ad Archelaum concedit. Archelai regiæ virtutes et in literatos amor; cur Socrates invitatus non iret ad eum. Chœrilus et Agatho apud Archelaum cum multiis aliis. Plutarchus historias easdem diversimode in rem suam variare solitus. Euripidis sententiæ aliquot. Ad scribendum ab Archelao impulsus, Archelaum fabulam et Temenum illius causa scribit, et Archelaus filium suum, regni hæredem, Orestem vocat. Euripides ad amicos scribit causas, cur iret in Macedoniam. Et Decamnicho salse respondet. XXXI. Euripidis infelix obitus ex canum morsibus. Multi præclari viri infelici fato cecidere. XXXII. Euripidis tumulus, honores, character et laus. Archelaus et Socrates sexto post anno simul exstincti. Peroratio operis.

## I.

Illi, qui veterum memorias revocare, et ex informi antiquitatis materia confusisque auctorum ruderibus recentes velit historias pro rei dignitate compaginare, ante omnia curandum, ut accuratam diligentiam adhibeat, et fidem haud vulgarem. Hisce quidem dotibus qui ultro renuntiet, hactenus vidi neminem; qui tamen eas præ se ferant, iis haud temere credendum. Multi enim sunt, qui ob imbecillitatem tum ipsi maxime decipiuntur, quum veritatem se adeptos fidentius putent: nec pauci, qui aliorum auctoritate nitentes, licet inviti, in errores trahuntur: sed nec desunt, qui vel sui, vel causæ, quam ornant, amore transversi rapiuntur; adeo ut quidvis in rem suam torquendo laborent, et id præcipue satagant, non ut veritati, sed ut sibi causæque suæ velificentur.

Quod ego decipi nequeam ipse, id nequaquam ausim affirmare: homo sum, et si quis alius tenuitatis meæ probe conscius. Quod vero licentius per historiæ campos errare sciens velim, quidni hoc constanter negem; quum et idem argumento haud levi jamdudum palam fecerim? Nam, ut ultro dictionis ornatum aliis remittamus, quisquis

æquus rerum æstimator, aut idoneus judex, historiam illam, quam de Eduardo Tertio, Angliæ et Franciæ rege, sex fere abhinc annis, idiomate Anglico evulgavimus, satis attente perlegerit, haud equidem dubito, quin is homo diligentiam nostram et fidem nequaquam vituperandam censuerit. Verum enimvero in hoc opere, ut similis per omnia fides, ita paulo major requiritur diligentia; quia per plura jam secula recurrendum est, ultra bis mille annos, quibus Euripidis ætas ab hac nostra distare agnoscitur. Et satis hoc omnibus liquet, quo longior fuerit temporis cursus, eo obscurior veritatis vultus, eo densior errorum seges, et aliquanto ægrius convellenda. Sed ea nos in medium proferre decrevimus, quæ certioribus inniti rationibus videantur, et testes omni dubitatione majores habuerint. Præstantissimorum itaque auctorum scrinia sunt nobis exploranda, et eorum semper nomina, aliquando etiam et verba, quæ in textum non recipimus, ad marginem notanda. Quod et nos jamdiu facere solemus, et ab aliis fieri æquum putamus; ne qua in re fraus fiat lectori, aut mora docte suspicantibus oriatur.

Et quoniam in temporum rationibus supputandis haud parvæ inter scriptores fuerint lites exortæ, antequam hunc tractatum aggrederer, Olympiadum apices seriatim digerendos esse duxi; quod et opera haud perfunctoria feci ab Euripidis nativitatis tempore ad mortem usque Socratis philosophi, qui illi sex ferme annos superstes erat. Id quidem operis, licet doctis hominibus pergratum fore scio, membranis intus positis in aliud jam tempus reservandum judico; ne præsens commentarius in nimiam molem excrescat. Haud pauca tamen ex eo, præsertim quæ ad historiæ hujus veritatem confirmandam necessaria putaram, in hoc opus transtuli; quia plurimum lucis et auctori ipsi et causæ huic nostræ allatura ea perspexerim. Et jam hinc bonis avibus ad Euripidem nostrum accingamur.

II. EURIPIDES quidem patria Atheniensis erat, hoc est, ex utrisque parentibus liberis Atheniensibus oriundus; ut mox probaturi sumus. Patris illius populus, sive Attice loqui mavelis, Demus, erat Phyle, quæ ad Tribum Œnœiden pertinebat. Patrem habuit Mnesarchum, et ipsum Mnesarchi alterius filium, unde etiam aliquando Mnesarchidem πατρωνυμικῶς vocatum legimus; quod et de aliis nominibus propriis notandum. Pythagoræ quoque philosophi pater [a] fertur ejusdem nominis fuisse; ut et alius, quem [b] Cicero inter principes sui temporis philosophos numerandum censet. Verum hic Mnesarchus, Euripidis pater, non modo honesto, sed etiam illustri loco, natus videtur; quod

[a] Herodot. l. 4. c. 95. [b] Cicer. Acad. Quæst. l. 4.

argumentis non levibus statim probabitur; Clitonem enim ipsius matrem, Philochorus probat ex splendidiori familia ortam, *ἐκ σφόδρα εὐγενῶν τυγχάνουσαν*, ut [a] Suidas testatur et Moschopulus.

III. Quum adhuc Clito mater illum in utero gereret, consulenti de eo Oraculum patri hoc responsum dedit Apollo, Poëtarum Præses:

Χρησμὸς περὶ Εὐριπίδου·
[b] Ἔσται σοὶ Κοῦρος, Μνησαρχίδη, ὅντινα πάντες
Ἄνθρωποι τίσουσι· καὶ ἐς κλέος ἐσθλὸν ὀρούσει,
Καὶ στεφέων ἱερῶν γλυκερὴν χάριν ἀμφιβαλεῖται.

Quæ ita verto:
Te, Mnesarche, manet summo celebrandus honore
Filius; eximiæ qui scandet culmina laudis,
Et referet lætas sacro ex certamine frondes.

Hujus quidem Oraculi meminit [c] Agellius; verum is jam nato puero datum esse falsus asserit, nec ab Apolline, sed a Chaldæis, quanquam nec id nesciam, quosvis futurorum vates a nonnullis Chaldæos vocari: Ita ergo ille: Patri autem ejus (de Euripide loquens) nato illo, responsum est a Chaldæis, eum puerum, quum adolevisset, victorem in certaminibus fore. Id ei puero fatum esse.

OLYMP. 75. An. 1.

IV. Juxta hoc tempus, ipso Olympiadis septuagesimæ quintæ tempore, in qua Hesychius Syracusanus victor erat stadio, Xerxis, Persarum regis, expeditio in Græciam contigit, de qua, ut et omni illius apparatu, Herodotus historicus data opera scripsit. Hujus itaque rei metu, et quod ita Oraculo admonerentur, Athenienses urbem suam ultro deserebant, et omni fere eorum militia ad classem et in exercitum cæterorum Græcorum coacta, præter paucos, qui domi remanserant, cæteri partim in [d] Trœzenem, partim in Æginam, major vero pars in Salaminem cum liberis suis, uxoribus et familiis concessere; ut idem Herodotus testatur historiæ suæ libro penultimo. Inter hos itaque Mnesarchus, cum uxore sua Clitone, jam uterum primo gerente, ad Salaminem concessit, Atticæ ditionis insulam, Telamonii quondam Ajacis imperio claram, postea Homeri, ut [e] nonnulli statuunt, natalibus, certe [f] Solonis illius Atheniensium legislatoris, et nostri demum Poëtæ Euripidis, illustrem. Ibi

[a] Suidas in voce Εὐριπίδης Μνησάρχου, Moschopulus in Euripidis Vita.

[b] Œnomaus Philosophus apud Euseb. in Præparat. Evangel. l. 5. c. 33.

[c] Noct. Attic. l. 15. c. 20.

[d] Trœzenios fide societatis Atticæ illustres vocat Mela, l. 2. c. 3.

[e] Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσιν διὰ ῥίζαν Ὁμήρου, Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφῶν, Σάλαμις, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

[f] Ita Epigr. in Solonis statuam: Ἡ Μήδων ἄδικον παύσασ' ὕβριν, ἥδε Σόλωνα Τόνδε τεκνοῖ Σάλαμις θεσμοθέτην ἱερόν.

enim Clito, [a] media æstate, eodem [b] ipso die vicesimo, nempe Boëdromionis, quo Persas Athenienses ad ostium Euripi profligabant, filium peperit, quem exinde, in tam nobilis victoriæ memoriam, Euripidem parentes nominabant. Is annus erat Olympiadis septuagesimæ quintæ quidem primus, quo anno Callias, Calliæ filius, ideoque a nonnullis Calliades dictus, archon erat Athenis; nempe apud cives id nomen et officium gerebat: Ipsam enim urbem cum templis et ædificiis Xerxes diruerat incenderatque, totam Atticam ferro vastans et igne. Præterea hoc eodem, quo natus est Euripides, anno Æschylus, Poëta Tragicus, annum agebat quadragesimum sextum, Sophocles decimum quintum: Pindarus autem Thebanus, Lyricorum princeps, quadragesimum, ut in illius vita nondum edita probavimus, quinquagesimo septimo anno, postquam Thespis primo docuisset, et ipse Tragicus Atheniensis omnium primus. Hoc anno * Anaxagoras Clazomenius, vicesimum ætatis annum agens, cœpit Athenis philosophari; ut Demetrius Phalereus in archontum descriptione testatur; qua in urbe triginta post annos commoratum tradunt.

V. Ne quis vero omnia hæc gratis putet dicta, ultro nos ad diversæ narrationis auctores provocamus. Et primo quidem Aristophanes, Comicus Poëta, Euripidis matrem λαχανοπώλιδα, vel olerum venditricem, nescio certe, annon Comice, vocat, si modo vere et disertis verbis id dicat, et non potius ita putidi Grammaticastri male ex illo conclusum velint. Aristophanis verba sunt hæc: † Ευριπίδου τοῦ τῆς λαχανοπωλητρίας. Et rursus: Ἄγρια γὰρ ἡμᾶς, ὦ γυναῖκες, δρᾷ κακά· Ἅτ' ἐν ἀγρίοισι τοῖς λαχάνοις αὐτὸς τραφείς. Inde tamen et alii complures et ipse Valerius Maximus videtur deceptus. Quinimo [c] Stobæus, gravis auctor, dicit, Nonnullis videri, patrem illius Bœotum fuisse, et aliquando ob æs alienum, cui solvendo esset impar, ignominia ex Bœotico more affectum. Quod ad Aristophanis testimonium attinet, non est, ut ab illo nimis metuamus. Is enim et Euripidi manifestus erat hostis, et ipsi quoque Socrati, plurimisque aliis magnis viris, multo majora dixit convicia; in quibus qui veritatem putet ullam esse, frustra est. In Veteri enim Comœdia nemini solebant parcere Poëtae: sed ut infimorum plausum captarent, eadem licentia, qua Hyperbolum, Cleonem, Cleonymum, Cleophontem, improbos et seditiosos homines, deridendos populo propinarent, etiam Euripidem, Socratem, et Periclem, optimos viros,

a Herodotus l. 8. c. 12. dicit, hanc pugnam media æstate contigisse.

b Hesychius illustrius de Claris Scriptoribus in Εὐριπίδης. Item Suidas et Tho. Magister etc. Joh. Meursius de Archont. Attic. l. 2. c. 8. Eilhardus Lubinus Præfat. ad Epistolas Euripidis.

* Diog. Laërt. in Anaxagora. et Joh. Meursius Archont. Athen. l. 2. c. 8.

† Thesmophoriaz. fol. 521.

c Sermo περὶ νόμων καὶ ἐθῶν. fol. 293.

exagitabant; de qua re multa Plutarchus in vita Periclis. Quinimo de Sophocle,[a] illius æmulo et amico, dicitur, Quod neque ille Comicorum morsus effugere potuerit, qui neque Themistocli ipsi pepercerunt. Quanquam nec desint, qui Aristophanem hac in re excusatum velint, quasi hæc ille contra Euripidem, jam defunctum et famæ securum, non dixerit, quod aut illi detractum vellet, aut inimicitias cum illo exerceret; sed potius hac arte comice invehebatur in [b] Atheniensium præposteros mores, qui, quum homines utplurimum rustici, aut nautici et militares, essent, re bellica, cui nati erant et destinati, prorsus neglecta, quanquam primas vix literas gustassent, de summis tamen viris, Æschylo, Sophocle et Euripide, judicium ferre vellent. Et fatendum est, in Thesmophoriazusis non tam Euripidem, adversus quem Drama illud institutum putatur, quam totum fœmineum genus, hunc Comicum perstringere videri; peculiari sibi cavillandi charactere usum, et quasi genio suo obsecundatum. Dum enim Euripidem a mulieribus condemnatum fingit, quod de iis male esset in suis Tragœdiis locutus, multo plura istius sexus flagitia in unica illa Comœdia profert, quam in omnibus suis Tragœdiis Euripides unquam memoraverit; atque ita Euripidem accusando absolvit, mulieres vero laudando excusandoque maxime denigrat.

Nec est, quod aliorum quorumvis in hac quæstione auctoritatem moremur; quia illorum vis omnis ab unico fere Aristophane, aut illius certe Scholiastis, dependeat, quem tamen et Comicum Poëtam, et Euripidi, ut plurimi putant, ex professo infensum, et maledicum, si quem alium, optimisque quibusque inimicum supra ostendimus. Quare nec Theopompus Chius hic audiendus, cujus testimonio Agellius utitur, et forte Valerius Maximus utebatur. Euripidis, inquit [c] Agellius, Poëtæ matrem Theopompus agrestia olera vendentem victum quæsisse dicit. Nam de eodem hoc Theopompo testatur [d] Clemens Alexandrinus, "Quod et ille "et Timæus fabulas et maledicta componant." Et ipse Ælianus,[e] de Theopompo loquens: *Καὶ ταῦτα, εἴ τῳ πιστὸς ὁ Χῖος λέγων, πεπιστεύσθω· ἐμοὶ δὲ δεινὸς εἶναι δοκεῖ μυθολόγος, καὶ ἐν τούτοις καὶ ἐν ἄλλοις.* "Et hæc, "si cui credibilis iste Chius loquens videatur, credantur. Mihi sane in-"signis fabularum artifex, et in his et aliis est visus." Et [f] Plutarchus de Theopompo loquens ait: *ᾧ μᾶλλον ἐπαινοῦντι πιστεύσειεν ἄν τις, ἢ ψέγοντι,* "laudanti potius credat quis, quam vituperanti." De Aristophanis autem in hac re testimonio ita [g] Sabinus ex Cicerone (nec enim tota, ut

a Ἀλλ' οὐδ' ὑπὸ τῶν Κωμῳδῶν ἄδηκτος ἀφείθη, τῶν οὐδὲ Θεμιστοκλέους ἀποσχομένων. Anonymus Auctor Vitæ Sophoclis.

b Anonymus (an Frischlinus) de Vita et Scriptis Aristophanis Edit. Amstelodam. 1670.

c Noct. Attic. l. 15. c. 20.

d Stromat. l. 1. statim ab initio; Θεοπόμπῳ μὲν καὶ Τιμαίῳ μύθους καὶ βλασφημίας συντάσσουσιν etc.

e Ælian. Var. Hist. l. 3. c. 18. in fine.

f Plutarch. in Lysandro ad finem.

g Francisc. Florid. Sabinus Lection. subcisiv. l. 2. c. 13.

is ait, sententia in Cicerone deprehenditur): "Non enim in Poëtis Homero soli locus est, ut de Græcis loquar, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro; sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Nam Aristophanis in hac re judicium flocci faciendum: quod veteris comœdiæ scriptor, quo genere nullum olim unquam neque mordacius, neque in scribendo liberius fuit, non Euripidem modo, sed ipsum Sophoclem ac Socratem, deriserit." Quare recte ab Isaaco [a] Casaubono notatur: Aristophanes matrem Euripidis leguminum venditricem ait cavillans.

Jam qui exsilium Mnesarchi, patris Euripidis, memorant, ii Græco vocabulo decepti videntur; quum enim vox φεύγω significet Græce non modo fugere, sed et exsulare; qui Græcæ historiæ illorum temporum ignari nescirent, Athenienses fere omnes ad Xerxis in Græciam adventum ex urbe sua fugisse, ut supra ostendimus, ii τὸ φεύγειν apud Suidam male vertebant "exsulare."

Quod autem ad Stobæum attinet, sciendum est, illum, ex innumeris auctoribus cum flores collegerit, non veritatem, sed varietatem, præcipue spectasse; nec eum tamen ullum certum auctorem ad hanc rem confirmandam laudare, sed proposita quadam simplici et rustica [b] Bœotorum consuetudine, tum demum addere, "Videri etiam Euripidis patrem hac ignominia notatum, utpote genere Bœotum." Nihil hic asseritur, nihil probatur: levis tantum rumusculus seritur; suspicio oritur, quæ facile diluitur. Si enim Euripidis pater Bœotus esset, verendum erat, ne ignominia ista dehonestatus fuerit, nec tamen inde insignitum fuisse, necessario sequitur. At Euripidis pater neque ex ista consuetudine, quæ apud Bœotos tantum in usu fuerat, dedecus pati potuit; ut qui revera Bœotus origine non esset, sed Atheniensis quidem, ut inscriptiones testantur, quas mox proferam, idque ex nobili familia, præsertim ex matre, quæ pars adhuc majori dubio premebatur, testante Philochoro, Atheniensi ipso nobili et verace; utpote qui vates et aruspex, i. e. pontifex, esset apud suos Athenienses, et certe Stobæo multis annorum centuriis antiquior erat. Is enim Philochorus, teste [c] Suida, Eratosthenis temporibus floruit, ferme ducentis post Euripidem annis, et accurate scripsit de Attica historia libris septendecim; singularem vero librum de Euripide nostro edidit, ut et de Alcmane poëta et Sophoclis fabulis, pluraque alia, quorum Suidas nobis catalogum exhibet; quanquam ea nunc omnia temporis injuria sint abolita; certe nondum ullibi compareant. Et hic sane Philochorus neque Euripidi odio erat infensus, neque

a Isaac. Casaubon. Not. ad Strabon. fol. 121. ex Aristoph. Thesmophoriaz.

b Βοιωτῶν ἔνιοι τοὺς χρέος οὐκ ἀποδιδόντας εἰς ἀγορὰν ἄγοντες, καθίσαι κελεύουσιν· εἶτα κόφινον ἐπιβάλλειν αὐτοῖς· ὃς δ' ἂν κοφινωθῇ, ἄτιμος γίνεται· Δοκεῖ δὲ τοῦτο πεπονθέναι καὶ ὁ Εὐριπίδου πατὴρ, Βοιωτὸς ὢν τὸ γένος. Stobæus loco supra citato.

c Suidas in Philochoro, i. e. Olympiad. 126.

amicitia junctus, nec sanguine propinquus, nec metu coactus, nec spe excitatus, sed nec idoneis memorialibus carere potuit ad veritatem indagandam, et tamen aperte, natum illum ex nobilibus, imo ex valde nobilibus, non ait is modo, sed, eodem Suida teste, probat et demonstrat. Quare et ipse dicit, [a] nequaquam esse verum, quod illius mater olerum erat venditrix, Philochori nempe fretus testimonio. Quod si et nos lubenter concederemus, Euripidis matrem olerum venditricem fuisse, parum tamen hoc illius gloriæ officere et recta ratio statuit, et docti viri frequenter agnoscunt. Quare prudenter in hac re Valerius Maximus: [b] "Quam matrem Euripides, aut quem patrem Demosthenes, habuerit, ipsorum quoque seculo ignotum fuit. Alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos, venditasse, omnium pæne doctorum literæ loquuntur. Sed quid aut illius tragica, aut hujus oratoria, vi clarius?" Hæc ille.

VI. Verum enimvero satis Euripidem locupletem fuisse, præter ea, quæ in epistolis suis ipse poëta sæpe de se loquitur, quæque mox dicemus, ex iis, quæ Theophrastus et Hieronymus Rhodius, Aristotelis discipuli, tradunt, facile colligere possumus, inquit [c] Lilius Gyraldus. Illi enim apud Athenæum prodiderunt, poëtam nostrum aliquando iis, qui Orchestæ Athenis nuncupati sunt, vinum ministrasse; quod et alios nobiles viros et Romanos etiam in usu habuisse idem Athenæus testatur. Erant autem Orchestæ primorum Atheniensium filii, qui mense Thargelione, tragicis vestibus induti, in Apollinis honorem saltantes Thargelia celebrabant. Videtur etiam Euripides in hoc festo præstitisse χορηγὸν et vicisse, quod haud levium impensarum opus fuisse colligitur ex illo [d] Lysiæ: *καὶ τρίτῳ μηνὶ Θαργηλίοις νικήσας ἀνδρικῷ χορῷ (ἀνήλωσα) δισχιλίας δραχμάς.* Sed hæc clarius mox patebunt; nos alio properantes nonnulla paulum morantur, quæ, quoniam doctis hominibus scrupulos fecerunt, haud temere omittenda arbitramur.

VII. Et hic primum se offert occasio de vocis Euripidis quantitate disquirendi; non quod satis de ea peritis viris haud constet; sed quod paucorum dubitatio multorum fidem labefactare possit. Quanquam itaque [e] Cœlius Rhodiginus de hac re nonnihil dubitare sit visus, adeo ut penultimam aliquando longam, idque Sidonii Apollinaris auctoritate, pronuntiet, antepenultimam vero plus semel brevem, quod tamen licet

a Οὐκ ἀληθὲς δὲ, ὡς λαχανόπωλις ἡ μήτηρ αὐτοῦ· καὶ γὰρ τῶν σφόδρα εὐγενῶν ἐτύγχανεν, ὡς ἀποδείκνυσι Φιλόχορος.

b Valer. Max. l. 3. c. 4. § ult.

c Lil. Gyrald. Poët. Hist. Dialog. 7. fol. 264. Athenæ. l. 10. fol. 424.

d Lysias Ἀπολογία δωροδοκίας. Vid. Joh. Meursii Græc. Feriat. l. 4. in Θαργήλια.

e Antiq. Lection. l. 24. c. 10.

ostendere se putet, ne unico quidem exemplo id probat, nisi versiculo quodam Latino ab imperito nescio quo ex Græcis traducto: nam versus ille Ionis, quem adducit, Græcus pro me facit: nobis tamen e contra audacter utrique sententiæ contraveniendum; et asserendum, hujus vocis, τοῦ EURIPIDES nempe, syllabam antepenultimam omnino et semper longam esse, idque probabimus derivatione, regula et exemplo, quæ propria hujus loci argumenta esse solent. Et quum supra ex plurimorum veterum [a] auctorum sententia dictum sit, Euripidis nomen ab Euripo freto ortum, quod et Etymologici Magni auctor et [b] Priscianus quoque testantur; necessario sequitur, illius vocis antepenultimam ad hujus penultimam conformari, ac proinde debere produci; quod Εὔριπος et Euripus semper apud Græcos et Latinos optimæ notæ penultima gaudeat extensa, ut vel ex hoc versu, ne plures notem, probatur: [c] Μισγόμενον πηγαῖς Εὐριπείης Ἀρεθούσης. Nec id immerito, utpote quæ vox ipsa παρὰ τὸ ῥιπὴ sit derivata, quod inter alia φορὰ ὑδάτων exponatur, et natura longam habeat penultimam. Jam vero quis nescit Euripi varios fluxus et impetus? Adeo jure optimo nomen illud sibi vendicare potest. Hinc et ripa vox Latina, quæ et eandem semper quantitatem servat, originem ducit, quod et littora sint fluctuum reciprocationibus obnoxia. Quod autem Euripides ab Euripo sit nominatus, Euripus vero mediam suam syllabam producat, utrumque nobis probat elegans et vetus illud [d] epigramma Græcum, quod quia nativa lingua sub Euripidis effigie huic libro præfixa sit exhibitum, Latino hic tantum carmine repetemus:

Hic stetit Euripi vates de nomine dictus,
Et tragicis visus versari in pectore Musis
Carmina casta loquens: sic illum scena ferebat
Attica calcantem vasto spatia ampla cothurno.

Præterea in Anthologia Græca amplius octo simul exstant epigrammata, in quibus hujus poëtæ nomen perpetuo se ita habet. Unde et veterum more, quo longum ἰῶτα scribebatur per ει diphthongum, in Euripidis Herma apud [e] Fulvium Ursinum legitur ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ ΜΝΗΣΑΡΧΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Quod et in signo quodam marmoreo videndum, in cujus basi etiamnum exstat ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ. Eodem plane modo, quo pro ῖσος longo veteres scriberent εῖσος, unde per dialysin ἔϊσος, vox Homero plus semel usurpata. Non quod ea sit verissima et sola ratio hujusmodi syllabas scribendi, tum enim et ἔεισος aliquando occurreret, sed quod ita nonnunquam veteribus sit visum distinctionis causa facere: licet nec

a Hesychius illustrius in Euripides. Etymologicum Magnum. Vid. Cœl. Rhodigin. Antiq. Lection. l. 24. c. 10.

b Priscianus l. 2. fol. 582.

c Pausanias Eliac. α. fol. 153.

d Antholog. l. 5. Epig. 4. fol. 384.

e Johannes Faber Bambergensis in Commentario ad Illustrium Imagines.

raro per simplex ἰῶτα proferrent. Ita,[a] testante Johanne Fabro Bambergensi, et alia imago Euripidis poëtæ tragici, ex marmore sculpta visitur, in pectore nomen, ut nunc scribunt, habens, ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ. Et talem nos in libri fronte accurate sculptam exhibuimus ad exemplar doctissimi, ejusdemque mihi amicissimi viri, Domini Johannis Couel S. T. P. Christi apud Cantabrigienses Collegii moderatoris humanissimi; cujus ipsum πρωτότυπον exstat apud Rodulphum Pium, Cardinalem Carpensem, [f] Thermarum Titi ruinis olim erutum. Quod autem penultima producatur et antepenultima corripiatur (cujus contrarium verum est) a Sidonio Apollinari in Hendecasyllabo, sive Phalæcio, isto:

Orchestram quatit alter Euripides:

nihil hoc nos moramur. Quam enim indiligens is auctor fuerit, præsertim in Græcorum vocabulorum quantitatibus observandis, abunde omnibus probavit [b] Gerardus Johannes Vossius. Quod tamen non tam ex ignorantia provenisse dicendum, quam ex constanti Latinorum istius temporis usu, qui pro accentuum ratione vocum quantitates proferre solebant. Ita Ausonius, quia in Græco τρίγωνος, media syllaba, quæ natura longa est, ob accentum præcedentem breviter efferatur, prior autem syllaba, quæ alias brevis esse debet, accentus vi moram vocis habere videatur, duplici errore priorem alicubi producit, et mediam corripit, et alias mediam habet brevem ut in hoc versu:

Per totidem partes trigonorum regula currit.

Quod autem Poëtæ nostri nomen raro, aut nunquam, apud veteres Latinos auctores, Virgilium puta, aut Horatium, occurrat, licet et Thespin et Æschylum et Sophoclem, aliosque illi memoraverint, hæc præcipue est causa, nempe quod vox illa Euripides in recto casu nequaquam heroico carmini quadret; ut mox plenius demonstrabitur; quare Duportus noster vulgares et modernos auctores haud bene secutus videtur; ubi contra veterum omnium gentium auctoritatem antepenultimam hujus vocis corripit, sola carminis causa: [c]

Denique Misogynus, nulla ac si matre creatus,
Euripides, et cui fœmina nulla placet.

Multo rectius Terentianus, vetus ille Grammaticus, et qui metri rationes optime calluit:

Fabula sic Euripidis inclyta monstrat, Orestes,

Et ita quidem veteres omnes, tam Latini, quam Græci poëtæ, quoties

a Ibidem.
b De Arte Grammatica. l. 2. c. 39.— Vide Jos. Scaliger. in Lect. Anson. l. 2. c. 25. et Taubman. in Plauti Curcul. p. 260.
c Jacob Duport. Sylvarum l. 3. p. 364.

Euripidis nomine utuntur, effari solent; quamvis, ut diximus, heroico metro omnino ineptum sit hoc nomen, si nominativo casu proferre velis. Et quod ad Latinos attinet, eos scimus Græcos necessario sequi; quod vero ad Græcos, præter Aristophanem, qui sæpissime hanc vocem usurpans pro nobis semper facit, abunde id patebit, quum hujus Poëtæ epitaphium et laudes ab antiquis decantatas ad finem hujus tractatus exhibuerimus. Sed hisce Scholiasticis nugis remotis, ad Euripidis vitam redeamus.

VIII. Quum igitur Euripides, uti diximus, Salamine natus esset, vero simile videtur, illius parentes, una cum familia sua, per aliquod tempus in ea insula moratos esse; quod urbs patria, Athenæ, quum jam secundo a Mardonio vastaretur, ut statim videbimus, non sine bene longo temporis spatio ex Persicis ruinis ad pristinum splendorem posset emergere. Certe quamvis muro [a] urbem cingi et Piræeum quarto fere post anno legimus properantibus nimirum ex Themistoclis consilio Atheniensibus ob Lacedæmoniorum illorum rebus invidentium metum, satis tamen auctorum testimonio et rationis acie perspectum habemus, ipsam urbem omnibus suis numeris absolutam et privatis ædificiis auctam et munitam non nisi decem ad minimum intercedentibus annis; quanquam deorum templis, theatris et porticibus ampliandis et decorandis multo longior requirebatur dies. Quare rationi consentaneum est, Euripidis parentes aliquot annos post illum natum in Salamine egisse, quo temporis spatio, quoniam nobilitate et divitiis præstarent, credibile est, eos domum et prædia sibi conducta, aut etiam emta, habuisse. Non est sane dubitandum, Poëtam nostrum, natalis soli caritate ductum, paucis saltem annis hic esse moratum, vel certe haud semel eo digressum et diversatum etiam ætate provectiori, quando poëticæ operam daret. Philochorus enim refert, "in insula Salamine speluncam esse tetram et horridam, quam nos (inquit [b] Agellius) vidimus, in qua Euripides tragœdias scriptitarit."

Anno Olympiadis ejusdem secundo, Xanthippo, sive Xanthippida, Periclis patre, archonte Athenis, Mardonius, Persarum dux, quem Xerxes post se reliquerat in Græcia, urbi Athenarum superveniens, jam secundo terram Atticam vastabat, et desolatæ urbis ruinas auctiori et accuratiori sævitia exaggeravit. Quas tamen injurias Græci haud diu inultas liquerunt; bis enim hoc ipso anno Persarum copiis in diversis locis, uno autem die, confligentes victores evaserunt, ad [c] Platæas nempe et ad Mycalen; ubi Xanthippi archontis inclaruit virtus. In quorum priori terrestri pugna ipse Mardonius cecidit; in posteriori

OLYMP. 75. An. 2. Euripidis Vit. An. 2.

a Thucydid. l. 1.
b Noct. Attic. l. 15. c. 20.
c Plutarch in Periclis Vita. Vid. Herodot. et Plutarch. in Aristide.

navali tota Græcia Barbaris est liberata. Ob lætum hunc Græcorum successum, et Persas ad Salaminem, ad Platæas et ad Mycalen profligatos, multa in Græcia erecta sunt tropæa, armis hostium truncis arboribus ordinatim suspensis, inscriptionibus additis, et choreis cum cantu solemniter habitis. Præcipue [a] Sophocles poëta, jam juvenis sedecim annorum et formæ egregiæ, dum Athenienses se in Salamine circa tropæum occuparent, nudus et unguentis delibutus, ut Epiniciorum præcentor, cum cithara prælusit pæanem canentibus Atheniensium nobiliorum pueris. Atque ita, Musarum deliciæ, Euripides, ut natus erat eo die, quem lætissimum deus Atheniensibus fecit ob Salaminiacam victoriam, sic et lac maternum hausit, infansque vagiit, inter pæanas, hymnosque, choreas et tropæa patriæ suæ. Mons Ætna in Sicilia, qui hodie dicitur monte Gibello, hoc anno [b] flammas horribili fragore eructavit; quod secundo jam [c] fecisse dicitur, ex quo Sicilia [c] a Græcis esset habitata.

Euripidis Vit. An. 3. Proximo post anno Timosthenes erat archon constitutus, sed illo vel morte sublato, vel populi arbitrio, aut etiam suo, Themistocles, Neoclis filius, in illius locum successit, cujus auspiciis Persæ ex Græcia sunt fugati, cujusque nunc consilio Athenienses incipiunt suam urbem muro lato et valido cingere, ut et Piræeum portum et propugnaculum. Et circa hæc tempora [d] Athenienses bellum contra Persas decernunt. Quo audito, Xerxes illata damna, si armis abstineant, resarcire se velle pollicetur. Assentientibus autem cæteris Atheniensibus, solus Themistocles obstitit et bellum suasit. Hoc quoque anno [e] Pythias vicesima et octava agitur, in qua Megacles Atheniensis Quadrigis vicit, Telesicrates Cyrenæus armis; Hiero Syracusanus, postea Ætnæus dictus, equo celete, Thrasydæus autem, valde juvenis, Thebanus, stadio viros prætergressus est. Et horum quidem duorum victorias celebrat Pindarus poëta, Hieronis nempe Pythionicarum oda septima, Thrasydæi ausem undecima. Ad septimum sane hymnum, ut obiter hoc notem, Scholiastes emendandus est, et pro ὀγδοηκοστὴν legendum εἰκοστὴν ὀγδοὴν Πυθιάδα. Argis quidem hoc anno Chrysis sacerdos Junonis constituitur, ex cujus sacerdotio mos erat Argivis Periochas suorum temporum numerare. At illa quum per quinquaginta [f] sex annos suo fungeretur officio, tum demum, lucerna negligenter ad corollas posita, templum incendio conflagravit, una cum ipsa sacerdote, quod nonnulli affirmant; licet Thucydides dicat, ipsam ad Phliunta aufugisse; in cujus locum Phainis successit. Ubi,

a Sophoclis Vita Græca: μετὰ τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν, Ἀθηναίων περὶ τρόπαιον ὄντων, μετὰ λύρας γυμνὸς ἀληλιμμένος τοῖς παιωνίζουσι τῶν Ἐπινικίων ἐξῆρχε. Vid. Athenæ. Deipnosoph. l. 1. c. 17. fol. 20.

b Marmor. Oxoniens.

c Thucydides Hist. l. 3. in ipso fine.

d Himerius Sophista in Declamatione, cui titulus: Μετὰ τὰ Μηδικὰ etc.

e Pythias 28.

f Thycidides l. 4. in ipso fine, fol. 164. Vide Joh. Meursii Archont. Athen. l. 3. c. 6.

inquit Arnobius, tum fuit regina Juno, cum inclytum ejus fanum, sacerdotemque Chrysidem, eadem vis flammæ Argiva in civitate deleret ?

IX. Quarto Euripidis nati anno, Phrynicho tragœdias docente, choragus erat Themistocles, qui et scenæ tragicæ apparatu exhibendo vicit, archonte Adimanto, uti ex ipsa inscriptionis tabula a Themistocle dedicata evincitur, quæ hæc erat: THEMISTOCLES PHREARRIUS CHORAGUM EGIT, PHRYNICHO DOCENTE, ADIMANTO ARCHONTE. De qua re ita Plutarchus in Themistoclis Vita: Ἐνίκησε δὲ χορηγῶν τραγῳδοῖς, μεγάλην ἤδη τότε σπουδὴν καὶ φιλοτιμίαν τοῦ ἀγῶνος ἔχοντος· καὶ πίνακα τῆς νίκης ἀνέθηκε, τοιαύτην ἐπιγραφὴν ἔχοντα· Θεμιστοκλῆς Φρεάῤῥιος ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδειμάντος ἦρχεν. Male itaque hæc ad annum præcedentem ab Olympiadum Descriptione ponuntur. Phrynichus hic tragicus poëta erat Thespidis discipulus; erat et alius ejusdem nominis poëta comicus, qui primum docuit Olympiadis 86. anno primo. Choragi autem officium erat, omnem theatri apparatum et scenæ ornatum ministrare, quale Romanorum ædilium opus fuerit. Athenienses hoc anno Piræeum absolvunt, et urbem indies ædificiis splendide augent.

Euripidis Vit. An. 4

Proximum annum excepit Phædon, archon Atheniensis, qui annus erat primus Olympiadis septuagesimæ sextæ; quando Olympionicæ erant Scamander Mitylenæus, et Asopicus Orchomenius, Cleodami filius, stadio, quem Pindarus celebrat Olympionicarum ultimo. Euthymus, Astycleos filius, Locrensis Epizephyrius, lucta vicit jam secundo. Hiero Syracusanus, Gelonis tyranni frater, Catanam condidit, quam et Ætnam vocavit, unde et ipse cognomen nactus est; nam Ætnæus vocabatur. Pausanias Lacedæmoniorum dux, qui fortiter se gessit in bello Medico, circa hoc tempus et ipse Medizare deprehensus mortem sibi accersivit et Lacedæmoniis infamiam. Quare anno sequenti, quando Dromoclides esset archon, Græci cæteri pro Lacedæmoniis, quibus hactenus paruissent, Athenienses sibi belli Persici duces constituunt; unde magnam Athenienses bellicæ virtutis famam brevi compararunt, magnas item opes et imperium in Græcos, ut [a] historici testantur. Jam septimum Euripides ætatis annum agebat, quando Acestorides erat archon Athenis. In hunc annum cadit Pythias vicesima nona, quo celebri certamine vicit Hiero, Ætnæus dictus, Syracusanus, curru; et nunc iterum a Pindaro laudatus non simplici vice; duos enim priores Pythionicarum hymnos illius nomini dicat optimus poëta. Hac Pythiade a nonnullis Asandrastus certamen instituisse dicitur vehiculi mulabus tracti, quæ res Ἀπήνη communiter vocabatur. De qua re consulatur * Johannes

OLYMP 76. An. 1. Euripidis Vit. An. 5

Euripidis Vit. An. 6.

Euripidis Vit. An. 7. Pyth. 39.

a Thucydides l. 1.

* Joh. Meurs. Archont. Athen. l. 2. c. 15.

Euripidis Vit. An. 8. Meursius. Octavo Euripidis anno Menon erat archon Atheniensis; quo anno bellum cum Tarentinis contra Iapygios conflatum in Italia. Hoc tempore et Æschylus tragœdus, annum ætatis agens quinquagesimum tertium, victoriam adeptus est Tetralogia, hoc est quatuor fabulis exhibitis, Phineo, Persis, Glauco Potniensi, et Prometheo; ut Didascaliæ, hoc est, actarum fabularum tabulæ publicæ, testantur; ex quibus hæc ab Eusebio in suam Olympiadum Descriptionem transferebantur.

OLYMP. 77. An. 1. Euripidis Vit. An. 9. X. Olympiadis septuagesimæ septimæ anno primo, Euripidis vitæ nono, Chares erat archon Athenis. Olympionicæ, Dates, sive Dandes, (male nonnulli Tares scribunt) Argivus, stadio; Ergoteles Cretensis ex urbe Gnosso dolichodromo, hoc est, longiori cursu: Theron, princeps Agrigentinus, Ænesidemi filius, curru: qui tamen eodem anno finiente vitem morte commutavit. Euthymus denique, Astycleos filius, Locrensis Epizephyrius, lucta vicit jam tertio. Et Ergotelem quidem Pindarus Olympionicarum oda duodecima egregie celebrat, ubi tamen Himeræum inscriptio odæ vocat, non Gnossium. Ast hæc res ab ipso Pindaro componitur: dicit enim, [a] per seditionem illum patria sua Gnosso excidisse; unde ad Himeram postea venit: ibi autem ob virtutem in civium numerum adscitus est. Theron quoque a Pindaro laudatur in secunda et tertia oda Olympiaca. Tercentum Fabii in Veienti bello ad Cremeram simul fusi; unum prope puberem ætate relictum [b] Livius memorat, Quintum Fabium, postea consulem, ex quo Fabius Maximus originem duxit. Hæc Fabiorum clades an. urbis conditæ 277. contigit, C. Horatio et T. Menenio COSS. Et circa hoc tempus Euripidis pater, Mnesarchus, quum videret, filium suum esse vegeto corpore, membris bene compactis et valetudine haud infirma, oraculi, quod supra memoravimus, probe memor, conjecturam faciebat, hunc puerum ex certaminibus Olympicis coronas aliquando reportaturum. Quare illius corpus roborare et ad labores confirmare constituit, athleticæque vitæ paulatim assuefaciendum curavit; nec interea oblitus est, eum grammaticæ rudimentis imbuere, musicæque studio excolere; aliisque, quibus beatorum Atheniensium filii impuberes instrui solebant. Hiero, [c] Gelone fratre moriente, Syracusarum tyrannidem excipit.

Euripidis Vit. An. 10. Praxiergus, vel Prexurgus, Athenis erat archon, decimo Euripidis anno; quo et Themistocles ostracismum subiit, de quo Plutarchus in illius vita et Thucydides in primo historiæ suæ libro fere ad finem.

Euripidis Vit. A. 11. Undecimo Euripidis ætatis anno archon erat Demotion, et illo defici-

a Εἰ μὴ στάσις ἀντιάνειρα Κνωσσίας ἄμερσε πάτρας. Vide Joh. Moursii Archont. Attic. l. 2. c. 11.

b Livius Rom. Histor. l. 2.

c Marmora Oxoniens.

ente, Apsephion. Quo anno multæ et præclaræ res gestæ Atheniensium gloriam ad cœlum usque evexerunt. Cimon [a] enim, dux Atheniensis, Miltiadis et Hegesiphilæ filius, Asiaticas urbes Persicis præsidiis exuit. Persas ad Eurymedonta, Pamphyliæ fluvium, terrestri pariter et navali prœlio multo cum honore superavit: ducentas enim Phœnicum naves aut cepit, aut demersit universas. Eiona quoque urbem, lateritio muro cinctam, fluvio [b] Strymone in eam derivato, stratagemate cepit, et captivos cives abduxit. Cepit etiam Scyron, Maris Ægæi insulam, quam Dolopes tenebant, incolis in captivitatem redactis; in quam Atheniensium colonia erat missa. Carystios quoque solos, seorsim ab Euboeensibus aliis, aggressus, in conditiones tandem recepit. Tum Naxios reduxit, quos libertate spoliavit. Telesicrates Cyrenæus tricesimam Pythiada Pyth. 30.
vincit stadio, vel, ut [c] Pindarus, hoplitodromo, i. e. armato cursu. Democritus hoc anno natus est, auctore Thrasyllo; licet alii duobus retro annis natum eundem asserant. Sophocles, poëta tragicus, annum ætatis agens ferme vicesimum octavum, primo tragœdias docens Æschylum vicit; quod tamen, si calculos ad amussim conferamus, saltem toto anno posterius locandum.

XI. In principio sequentis anni, cujus archon erat Phædon, dum Euripidis
adhuc Apsephion esset archon, Socrates nascitur, ut ex Olympiadum Vit. A. 12
Descriptione, Diogene Laërtio et aliis recte colligitur. [d] Spartæ gravis terræ motus, in quo ædes innumeræ corruerunt, et plus tricies mille Lacedæmoniorum periere. Pericles Atheniensis, Xanthippi et Agaristæ filius, ad reipublicæ Atheniensis [e] gubernationem accedit, quam optimis artibus administravit per quadraginta annos, civis æquus, dominus clemens et affabilis, judex sapiens, dux fortis, doctus philosophus, eloquens orator, φιλόπατρις, φιλόμουσος, φιλόκαλος. De cujus virtute hæc Valerius Maximus: "[f] Eadem civitas Athenarum cives bonos corona decorandi "primo consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum "Periclis cingendo caput. Probabile institutum, sive rem, sive per-"sonam, intueri velis. Nam virtutis uberrimum alimentum est honos; "et Pericles dignus, a quo talis muneris dandi posteritas potissimum "initium caperet." De ejusdem rhetorica Aristophanes invitus dixit: Ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα, fulgurabat, tonabat, conturbabat Græciam. [g] Eupolis autem comicus de mirabili facundia et suada illius sermonum:

a Thucydides l. 1.
b Pausan. Arcadic. fol. 242. lin. 44.
c Pythion. Od. 9.
d Thucydides l. 1.
e Plutarch. in Periclis vita.
f L. 2. c. 6. De externis institutis.
g Eupolis ἐν Δήμοις apud Aristoph. Scholiasten in Acharn. fol. 283. et Hug. Grotium in Excerptis fol. 499. et Plinii l. i. Epist. 20.

Κράτισστος οὗτος ἐγένετ' ἀνθρώπων λέγειν·
Ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ 'γαθοὶ δρομεῖς,
Ἕνδεκα ποδῶν ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας.
Ταχὺς λέγειν μὲν, πρὸς δέ γ' αὐτῷ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν Ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Hic optimus mortalium lingua fuit:
Ut cursor agilis, pedibus emensos decem,
Vincebat omnes cæteros hic rhetoras:
Citus loquendo, sed cito simul impetu
Suada insidebat labiis quædam illius:
Mulcebat homines talis orantis lepos,
Aculeatis corda figens vocibus.

OLYMP. 8. An. 1. Euripidis Vit A. 13.

XII. Cum jam Euripides decimum tertium ætatis annum attingeret, Theagenides erat archon. Olympionica autem erat Parmenides Posidoniates, sive Pæstanus, ut Latina voce utamur, stadio. Argivi, Mycenæis in pugna superiores facti, Mycenas solo æquant, invidia et æmulatione moti; [a] quod in bello Medico, cum Argivi, qui Argos incolebant, quiescerent, Mycenæi ad Thermopylas octoginta selectos propugnatores misissent, qui Lacedæmoniis participes nobilissimi facinoris essent. Ille itaque præreptæ quasi gloriæ dolor, belli semina inter cognatas urbes sparsit, et nunc Argivos ad Mycenas exscindendas inflammavit. Panyasis, Polyarchi filius, Halicarnasseus, poëta floret. Lapis [b] ad Ægospotamos de cœlo cadit quasi biplaustrali pondere; quam rem Anaxagoras prædixerat. Simonides poëta obit nonagenarius, de quo multa præclara forent dicenda; si hic esset locus. Hiero Syracusanus, ex quorundam sententia, hoc anno moritur; alii ad annum sequentem illius mortem statuunt; quare necesse est omnino, frustra sint illi, qui Æschylum in Sicilia sub eo mortuum dicunt: cum Æschylus etiamnum Athenis versaretur, nec nisi duodecennio post fato suo fungeretur. Euripides, ab Anaxagora præclare institutus, magni indies ingenii specimen exhibere videtur, quum esset indolis eximiæ, virtutis amator integerrimus, probitatis spectatissimæ, animique præ cæteris sobrii, casti et prudentis. Et pater quidem ad certamina Olympica illum designabat, ipse autem hanc vitam, ut ignobilem, damnabat, cujus animi specimen post in * Autolyco satyrico dedit, contra athletas graviter declamans; quare philosophiam sibi unicam proposuit, præ cujus studio præceptoris optimi observantissimus semper habebatur. Sed nihil adhuc

a Pausan. Corinth. fol. 58. L. 44.
b Marm. Oxoniens. Ep. 58. l. 72.
* Vid. Autolyc. inter Fragm.

certi de Euripide licet proferre; quare progrediendum est ad decimum quartum illius ætatis annum, quando Lysistratus archon Athenis esset; et Hiero, Syracusarum rex, Catanæ moreretur; ut nonnulli statuunt: Euripidis Vit. A. 14.
quod modo diximus. Regnum illius excepit Thrasybulus frater, quo tamen post annum excidit, tyrannide in democratiam conversa. Et eo Euripidis Vit. A. 15.
anno quidem Lysanias erat archon; quo et tricessma prima Pythias celebrabatur. Hoc certamen vicit Arcesilaus Cyrenæus, quem [a] Pindarus celebrat haud simplici vice. Lysaniæ archonti successit Lysitheus; quando decimum sextum annum agebat Euripides noster. Hoc anno Euripidis Vit. A. 16.
Artabanus Xerxem regem interficit, Artaxerxique, filio ejus juniori, suadet, ut fratem seniorem somno obrutum obtruncaret, velut istius rei auctorem. Septimo tamen post mense, Artabani insidiis a Baccabasso prolatis, Artaxerxes, occiso Artabano et septem ejus filiis, regnum paternum accipit, et in Persas per quadraginta annos regnat. Hic pacem cum Græcis tandem aliquando fecit, per quam omnibus in Asia civitatibus Græcis libertas concessa, suisque vivere legibus permissum. Hic Græcis Μακρόχειρ, hoc est Longimanus, dictus, qui primo regni sui Euripidis Vit. A. 17.
anno Themistoclem, Atheniensem exsulem, honorifice excepit, ut [b] Thucydides testatur. Is erat annus Euripidis ætatis decimus septimus, et septuagesimæ nonæ Olympiadis primus, quando Archidemides erat OLYMP. 79. An. 1.
archon. Et hoc quidem anno Mnesarchus, Euripides pater [c] "roborato "exercitatoque filii sui corpore, Olympiam certaturum inter athletas "pueros deduxit. Ac primo quidem in certamen per ambiguam ætatem "receptus non est. Post Eleusinio et Thesæo certamine pugnavit et "coronatus est;" idque Athenis, ubi ea certamina erant solennia. Nunquam autem illum in majoribus Olympicis certaminibus, quæ Elide erant solennia, contendisse credibile est; certe nunquam in iis vicisse abunde constat, quia nec illius nomen inter Olympionicas, quorum catalogus etiamnum exstat, reperitur. Et hujus sane anni Olympionica erat Xenophon Corinthius, stadio, cursu et quinquertio; quem [d] Pindarus poëta inter alios celebrat. Pherias quoque, Ægineta puer, qui præcedente Olympiade ob teneriores annos rejectus erat, hac Olympiade vicit lucta. Certamen vehiculi mulabus juncti, Ἀπήνη dictum, quod ante decem annos Asandrastus instituisse dicitur, haud bene, hoc anno desiisse nequaquam rectius affirmatur; de qua re adeundus Johannes Meursius, in secundo de archontibus Atheniensibus libro, capite 15. Athenienses Thasios et Æginetas rebellantes subegerunt, et ad Amphipolin coloniam mittunt; de quibus Thucydides libro primo. Empedocles et Parmenides, physici philosophi, florent, item Anaxagoras;

a Pythion. Od. 4. et 5.
b Thucyd. l. 1.
c Agellius Noct. Attic. l. 15. c. 20.
d Pindar. Olymp. Od. 13.

Euripidis Vit. A. 18. qui, archonte Tlepolemo, decimo octavo Euripidis ætatis anno, annum agebat tricesimum octavum. Et tamen circa hæc tempora periclitatus fuisse videtur ob liberam, quam profiteretur, philosophiam; de qua re mox fusius. De Euripide enim pauca nunc dicenda, qui [a] hoc anno primum se ad tragœdias scribendas contulisse dicitur. Is quidem ad corporis curam, quam athletici homines exercere solebant, etiam excolendi animi studium adjunxit; adeo ut nemini fere in artibus indagandis et explorandis concederet. Et artem quidem pingendi a principio exercuisse traditur; fabulæque ab eo pictæ Megaris feruntur exstitisse, ut Thomas Magister aliique tradunt.

Certe, ut in fingendis moribus, ita in personis pingendis eximius semper artifex est habitus. Et ille primus Agamemnoni caput involvendum esse vidit, quando ad aram mœstus staret, filia jamjam immolanda. Quam rem quod Timanthes pictor postea penicillo expresserit, adeo veteribus placuisse dicitur, ut observamus ad [b] Iphigeniam Aulidensem.

Quinetiam rhetoricæ studio delectatus est, nec leviter eodem imbutus, quod a Prodico rhetore, Chiorum legato, hausisse dicitur, quem et Xenophon, Grylli filius, maximopere miratus est. Quod et Euripidis nobilitatis argumentum non leve inter alia habeatur, quum de eo testetur [c] Philostratus, quod discipulos sibi ex juvenibus nobilioribus et patriciis elegerit, profundeque divitibus; unde et πεντηκοντόδραχμος dicebatur. Hic Prodicus orationem, quæ prius soluta erat, primus dicitur pedibus aliquomodo constrinxisse, et communes locos Pythagoræ exemplo tractavisse; librum denique edidisse, sub titulo Ὧραι, in quo [d] finxit, Herculem, virtuti pariter ac voluptati congressum, illas audivisse ex utraque parte de se et suis officiis disserentes, utraque nimirum illum in suas partes trahere nitente; heroa vero tandem a virtute persuasum voluptatem sprevisse; unde et postea Hercules [e] Prodicius vocabatur a Xenophonte et M. Tullio, nimirum illis ad hanc Prodici fabulam alludentibus. Nec multum ab illa Lucianus abludens, insomnium suum scripsisse videtur, in quo similiter ars statuaria et eruditio pro illo inter se certantes introducuntur. Hic denique * Prodicus is est, de quo ob insigne ingenium et acerrimum in dijudicandis litibus et rebus arbitrandis judicium communiter erat jactatum, Προδίκου σοφώτερος. Et Pericles quidem sub hoc ipso magistro tantopere profecit, ut haud constet, an non universo oratorum gregi sit anteferendus; adeo ab ipso Demos-

a Agellius Noct. Attic. l. 16. c. 20.

b V. 1559. Δάκρυα προῆγεν ὀμμάτων πέπλον προθείς.

c Philostrat. de Vit. Sophist. l. 1. in Prodico: Ἀνίχνευε δὲ οὗτος τοὺς εὐπατρίδας τῶν νέων etc.

d Philostratus de Vita Sophistarum l. 1. circa principium, et Scholiast. Aristoph. fol. 81.

e Vid. Lil. Gyrald. in Libello de Hercule.

* Cæl. Rhodig. l. 12. c. 9. Et Erasm. Adag. Chil. 4. Cent. 5. Adag. 50. Prodico Doctior.

thene, a Cicerone et Plutarcho laudibus mactatur: ut ne quid hic repetam eorum, quæ supra ex Aristophane et Eupolide proferebantur. Nec certe Euripides vel Pericle condiscipulo, vel Prodico magistro, indignus evasit; nam et ipse in dicendi arte tantus erat, ut non modo sui temporis orator summus haberetur; sed et oratorum maximorum pater et præceptor; quare nec immerito ab [a] Heinsiorum doctissimo audit, "Omnium oratorum non minus pater, quam optimus poëta." Ex illo enim Demosthenes dicendi amore totus est abreptus et inflammatus; ex illius histrionibus et mimis pronunciandi artem didicit, et Euripidem ipsum animo sibi effingendum duxit, et manu describendum haud semel curavit; ut et Thucydidem, quem etiam octies sua manu descripisse idem Demosthenes traditur a [b] Luciano. Nec enim ulla est dicendi causa, in qua Euripides excellere non videatur, nec ulla argumentorum vis, nec eloquentiæ copia, aut solertia, quam ille non sit assecutus. Quare et alter ille Demosthenes, Marcus Tullius Cicero, hunc poëtam ex manibus videtur nunquam nisi invitus deposuisse; adeo assiduus est in eo volvendo, laudando, lectitando, ut nullum fere præter hunc auctorem magnopere æstimasse videatur. Nam et [c] Tyroni de [illegible]eo scribens, ait: Ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον, inquit Euripides; cui tu quantum credas, nescio. Ego singulos ejus versus, singula testimonia puto. Et eo die et tempore, quo hominum ingratissimus, C. Popilius Lænas, ad Ciceronem tollendum festinavit, reperit eum in lectica Euripidis tragœdiam Medeam legentem, uti Ptolemæus [d] Hephæstion prodidit; ita cum præceptore suo eloquentissimo oratorum consummatissimus etiam commori velle videbatur. Quin de hac re luculentissimum profert testimonium Quintilianus, orator et ipse nequaquam contemnendus: [e] "Illud quidem," inquit, "nemo non fateatur necesse "est iis, qui se ad agendum comparaverint, utiliorem longe (Æschylo "et Sophocle) Euripidem fore. Namque is et vi et sermone (quo ipsum "reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis videtur "esse sublimior) magis accedit oratorio generi et sententiis densus et "rebus ipsis et in his, quæ a sapientibus tradita sunt, pæne ipsis par, "et in dicendo ac respondendo, cuilibet eorum, qui fuerunt in foro di"serti, comparandus. In affectibus vero tum omnibus mirus, tum in "iis, qui miseratione constant, facile præcipuus."

XIII. Præterea præceptorem habuit Euripides, ut supra diximus,

a Dan. Heinsio in Animadvers. ad Senecæ Tragœd. p. 491.

b Lucian. πρὸς ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον.

c Epistolarum l. 16. Epist. 8. Vid. in Fragment. ad Scyriæ v. 10.

d Hephæst. l. 5. c. 5. Ὁ δὲ Ῥωμαῖος Κικέρων, Μήδειαν Εὐριπίδου ἀναγινώσκων, ἐν φορείῳ φερόμενος ἀποτμηθείη τὴν κεφαλήν. Vid. Andr. Schotti Nodor. Ciceron. l. 2. c. 15.

e Quintil. l. 10. c. 1.

Anaxagoram in Naturali Philosophia; de qua re liceat pauca hic disserere. Thales philosophus ex septem sapientibus unus erat, Crœso, Cyro et Soloni Atheniensi contemporaneus. Hujus [a] nemo magister perhibetur; discipulus autem erat Anaximander, Praxidami filius; ejus discipulus Anaximenes, Eurystrati filius, illius denique Anaxagoras, Hegesibuli filius, Clazomenius, qui ex Ionia scholam traduxit Athenas. Magni sane hic vir nominis erat, et ὁ Νοῦς dicebatur, quod deum incorporeum, æternum et omnimodis excellentem esse mentem docuit. Is enim, ut [b] Cicero testatur, primus omnium rerum descriptionem et modum, mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici voluit. Et universæ rerum naturæ, non fortunam, non necessitatem, sed mentem puram ac sinceram, creationis, ordinationis et conservationis principium agnovit. Ipsa Anaxagoræ verba ita se habere testatur [c] Hermias: *Ἀρχὴ πάντων ὁ Νοῦς, καὶ οὗτος αἴτιος καὶ κύριος τῶν ὅλων, καὶ παρέχει τάξιν τοῖς ἀτάκτοις, καὶ κίνησιν τοῖς ἀκινήτοις, καὶ διάκρισιν τοῖς μεμιγμένοις, καὶ κόσμον τοῖς ἀκόσμοις.* Hujus viri insigne ingenium nequaquam illaudatum veteres relinquebant: præter Diogenem enim Laërtium, qui dedita opera illius vitam conscripsit, et Suidam, multa de eo Plato et Aristoteles, Cicero et Plutarchus in Pericle. Ex multis quidem illis hic pauca saltem nobis sunt libanda, quæ e re nostra fore putamus.

Ita quidem [d] Valerius Maximus de illo: "Nec parum prudenter "Anaxagoras interroganti cuidam, Quisnam esset beatus? Nemo, "inquit, ex his, quos tu felices existimas: sed eum in illo numero "reperies, qui a te ex miseris constare creditur. Non erit ille divitiis "et honoribus abundans; sed aut exigui ruris, aut non ambitiosæ doc"trinæ, fidelis ac pertinax cultor, in secessu, quam in fronte, beatior." "Idem, eodem [e] Valerio teste, audita morte filii: "Nihil, inquit, mihi "inexspectatum, aut novum, nuntias: ego enim illum ex me natum sciebam "esse mortalem." Quod et [f] Cicero narrat his verbis in libro de consola"tione, si modo is liber vere sit Ciceronis: "Anaxagoræ, inter fami"liares suos de natura rerum disserenti, filii mortem nunciatam tradunt; "nihilque aliud ab eo responsum, nisi 'se illum genuisse mortalem.' "Præclara vero vox et vere digna, quæ a tanto viro emitteretur. Non "enim sane video, quid sapientius, aut constantius, dici posset. Ille "itaque sapiens et vere philosophus, quem neque improvisus nuntius "perculit, nec a disputatione abduxit, sed potius vocem expressit "summæ indicem fortitudinus et sapientiæ." Ælianus, eandem histo"riam narrans, [g] duos filios mortuos ait, similemque de Xenophonte,

a Clem. Alexandrin. Stromat. l. 1. fol. 220. Galen. in Προτρεπτικῷ εἰς τὰς τέχνας.

b Cicero de Natura Deorum l. 1.

c Hermias ἐν διασυρμῷ τῶν ἔξω φιλοσόφων.

d Val. Max. l. 7. c. 2. in Extern. §. 9.

e Val. Max. l. 5. c. 10. Extern. §. 3.

f Cicero de Consol.

g Ælian. Var. Hist. l. 3. c. 3. et 8.

"Grylli filio, subjicit narrationem. Porro de eodem idem [a] Valerius "Maximus: 'Quali studio Anaxagoram flagrasse credimus, qui, cum "e diutina peregrinatione patriam repetisset, possessionesque desertas "vidisset: non essem," inquit, "ego salvus, nisi istæ periissent. Vocem "petitæ sapientiæ compotem." Nam si [b] prædiorum potius, quam "ingenii, culturæ vacasset, dominus rei familiaris intra penates man-"sisset, nec tantus Anaxagoras ad eos rediisset." Et is sane ante peregrinationem istam, quum non modo generis gloria et divitiis, verum animi quoque magnitudine, præstaret, totum patrimonium consanguineis suis reliquisse dicitur; cumque idcirco ab eorum nonnullis negligentiæ argueretur [c]: "Quid ergo," inquit, "nonne vos ista satis diligenter curaturi sitis?" Mox abscedens ad speculandam rerum naturam se contulit, scientiæ studio flagrans, reique tum politicæ adeo incuriosus et negligens, ut a quodam his verbis corriperetur: "Nullane tibi patriæ cura est?" Cui ille: "Bona verba," inquit, "Mihi patriæ cura, et quidem summa, "est:" digitum simul in cœlum intendens, ubi vere patriam suam noverat vir sapientissimus: Quanquam idem parsimoniam in aliis laudaverit, qui nempe hanc vitam magnopere æstimarent, aut reipublicæ essent necessarii: dicit enim in [d] libro de regno: "Magno cum negotio "opes congregari, multo autem majori opera conservari ac custodiri." Et Periclem in hac re, ut in plurimis aliis, ab Anaxagora juvari testatur Plutarchus. Hic tamen talis tantusque vir a [e] rabula Cleone impietatis accusatus, quod Solem, quem Athenienses pro deo habebant, Μύδρον πυρόεντα, hoc est, massam ignitam, sive ex ferro, sive ex lapide, dixisset, periculum mortis incurrebat; adeo ut vix tandem a discipulo Pericle egregie defensus, quinque talentis et exsilio mulctaretur; quum alioquin esset capitis damnandus. Videtur autem paulo post exsilii hujus decretum fuisse revocatum; per duodecim enim post annos Athenis versatus Anaxagoras memoratur; egregium Athenis ornamentum, et Euripidi nostro, Pericli ipsi, aliisque literarum amatoribus, lumen pulcherrimum. Tandem tamen aliquando, cum ob belli Peloponnesiaci ingruentem tempestatem Pericles adeo curis publicis distraheretur, ut de sanctissimo et sapientissimo hoc præceptore curam nullam, nec memoriam, habere videretur; is quidem ἀποκαρτερεῖν, hoc est, abstinentia mori, destinavit: Quod ut Pericles forte intellexit, accurrens jussit esse bono animo; sibi enim illum et res ejus præcipue fore curæ; cui [f] Anaxagoras insusurravit: Ὦ Περίκλεις, καὶ οἱ λύχνου χρείαν ἔχοντες,

a Val. Maximus l. 8. c. 7. Extern. §. 6.
b Ita lego pro Præsidiorum, quod male hactenus obtinuit.
c Diogenes Laërt. in Anaxagora.
d Ælian. Var. Hist. l. 4. c. 14.
e Diog. Laërt. in Anaxagora, Dionys. Vossius Idolatr. l. 1. p. 4.
f Plutarch. in Pericle. Cæl. Rhodigin. l. 30. c. 24. fol. 1704.

ἔλαιον ἐπιχέουσι, "Qui lampade opus habent, oleum solent sufficere;" quo responso Pericles expergefactus, et alacrius illius rebus studuit, et fomentum vitæ, adeo literarum reipublicæ utili, magnifice subministravit. Nihil ego hic de illius prædictionibus, quas ex naturæ peritia dicitur certas protulisse; nec enim illius mihi vita jam scribenda proponitur: unicum hoc addam, quod tantus vir [a] "Homeri poëma" dixerit, "de virtute et justitia compositum;" uti et magnus Basilius, [b] omnem Homeri poësin dixit esse laudationem virtutis. Quanquam, ut mihi videtur, nemo unquam accuratius Homerum laudavit, quam Dionysius Halicarnasseus, cui doctiores referre solent elegantem illum libellum de Homeri virtutibus, qui male inscribitur Homeri vita, per anonymum, nec minus male ab aliis Plutarcho tribuitur. Haud bene temporum rationes considerarunt, qui Socratem Euripidis in moralibus magistrum affirmant, ipso nempe discipulo duodecim fere annis juniorem. Videtur potius is ex Euripide multa hausisse; quem et apud Platonem haud raro laudare deprehenditur. Familiaris itaque et amicus erat; verum ætate aliquanto inferior. Sed tempus est, ut ad Euripidem revertamur.

Euripidis Vit. A. 18. XIV. Quum itaque talis tantusque vir ob philosophiam fuerit tantopere periclitatus, illius discipulus, Euripides, hac re territus, illico ad scenam se convertit, [c] duodevicennis existens; ex quo tragœdiis componendis præcipue vacavit. Non is quidem disciplinæ suæ veteris Λειποτάκτης, aut transfuga, sed fidelissimus et constans cultor et custos; omnia enim magni magistri præcepta conservavit et secum in musarum castra intulit; adeo ut posthinc cothurnata audierit philosophia, et ipse emphatice scenicus philosophus sit dictus, ut ex [d] Origene, Clemente Alexandrino, Athenæo, aliisque liquet. Quare et postea Socratis ipsius auxilio aliquando usum esse aiunt, in fabulis suis effingendis, qui et poëtarum solum Euripidem præcipue amavit ob sententiarum et morum gravitatem et pondus; unde comicorum quidam de Troadum, sive Troum, fabula hæc populo proclamans jocatus est.

> [e] Φρύγες ἐστὶ, καινὸν Δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
> Ὧι καὶ τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι Σωκράτης.
>
> Euripidis nova hæc Phryges fit fabula,
> Cui, frigida ne sit, Socrates cremium dedit.

Et apud Calliam in comœdia, Πεδῆται dicta, his verbis Euripidem quidam alloquitur: Ἤδη σὺ σεμνῇ, καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα; Cui hæc respondere

a Diog. Laërt. in Anaxagora.

b. Homil. quæ incipit: Πρὸς τοὺς νέους etc. Πᾶσα ἡ Ποίησις τῷ Ὁμήρῳ Ἀρετῆς ἐστιν ἔπαινος

c Agell. Noct. Attic. l. 15. c. 20. Cæl. Rhodig. l. 24. c. 10.

d Vid. quæ nos ad Phœniss. v. 556. ad Troad. v. 687.

e Diog. Laërt. in Socrate.

Euripides fingitur: Ἔξεστι γάρ μοι· Σωκράτης γὰρ αἴτιος. Et sane de Socratis erga Euripidem observantia inter alios ita [a] Ælianus: "Socrates vero raro in theatra veniebat; nisi siquando Euripides, tragicus "poëta, cum novis tragœdis certaret: tum enim accedere solebat. Et "quando Euripides in Piræeo contenderet, eo descendebat: amabat "enim hominem, nimirum propter ejus sapientiam et virtutem, quæ in "illius versibus enituit." Hæc Ælianus. Et sane id sibi præcipue Euripides in omnibus suis fabulis proposuisse videtur; ut auditoribus suis quam maxime prodesset, et per jucundas carminum et fabularum ambages animis eorum virtutis amorem et hujus vitæ contemtum instillaret; ut omnia denique pietatis, constantiæ, prudentiæ et patientiæ, præcepta veterum heroum exemplis cohonestaret; densisque optimarum sententiarum repetitionibus suis Atheniensibus inculcaret. Præcipue vero nobiliorem philosophiam ubique spirare deprehenditur, Dei providentiam gravibus rationibus confirmat, animæque immortalitatem adstruit; quod et olim nobis [b] Heraclides Ponticus observavit: Διὸ δὲ τοῖς Κλαζομενίοις δόγμασιν ἑπόμενος Εὐριπίδης φησίν· χωρεῖ δ' ὀπίσω, τὰ μὲν ἐκ Γαίας φύντ', εἰς Γαῖαν· τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου Βλαστόντα γονῆς, πάλιν εἰς Αἰθέρα. Quod autem anima non in ætherem diffundatur, instar fumi, sed perduret, et mente vigeat, aperte nec semel testatur: [c] Ὁ νοῦς Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει Ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών. Denique pœnas infernales et retributionem agnoscit: [d] Καὶ γὰρ τίσις τῶνδ' ἐστὶ τοῖσι νερτέροις. Quomodo et ejus familiaris amicus, Socrates, in Gorgia: Ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ Καλλίκλεις, ὑπὸ τούτων τῶν λόγων πέπεισμαι, καὶ σκοπῶ, ὅπως ἀποφανοῦμαι τῷ Κριτῇ, ὡς ὑγιεστάτην ἔχων τὴν ψυχήν. Quid singulis immoremur? Quicquid magnanimus ille præceptor honorifice de Deo unquam locutus est, aut sapienter de natura, id civibus suis frequenter propinavit; nec subtimide et clanculum id fecit, sed aperte populo exhibuit salutaria moralis sapientiæ dogmata, Poëtico tamen dulcore emollita, quo et sibi satius consuleret et auditorum commodo prospiceret. Unde Cicero, perpetuus hujus auctoris amicus, cultor et comes: "[e] Itaque apud Euripidem a Theseo dicta laudantur:

> Nam qui hæc audita a docto meminissem viro,
> Futuras mecum commentabar miserias,
> Aut mortem acerbam, aut exsilii mœstam fugam;

a Ælian. Var. Hist. l. 2. c. 13. Ὁ δὲ Σωκράτης σπάνιον μὲν ἐπεφοίτα τοῖς θεάτροις· εἴποτε δὲ Εὐριπίδης, ὁ τῆς Τραγῳδίας ποιητὴς, ἠγωνίζετο καινοῖς Τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο. Καὶ Πειραιοῖ δὲ ἀγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου, καὶ ἐκεῖ κατῄει· ἔχαιρε γὰρ τῷ ἀνδρὶ, δηλονότι διά τε τὴν σοφίαν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐν τοῖς μέτρεις ἀρετήν.

b Heraclid. Pontic. in Allegoriis Homericis p. 440. Hic locus exstat in Fragmentis ad Chrysippi v. 6.

c Helen. v. 1023. Vid. quæ nos ad Heraclid. v. 529.

d Helen. v. 1022.

e Cicero Tusc. Quæst. l. 3. § 14. Vid. Græc. in Theseo inter Fragmenta v. 26. hujus edit. sub finem et Joach. Camerar. Comment. in Sophocl. p. 7.

Aut semper aliquam molem meditabar mali :
Ut si qua invecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret recens.

" Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de seipso loquitur " Euripides. Fuerat enim auditor Anaxagoræ, quem ferunt, nuntiata " morte filii, dixisse : Sciebam, me genuisse mortalem. Quæ vox de- " clarat, iis esse hæc acerba, quibus non fuerint cogitata : ergo id qui- " dem non dubium, quin omnia, quæ mala putantur, sint improvisa " graviora." Hæc Cicero.

XV. Et in hanc sententiam Melanippen Sapientem fabulam ita formavit, ut exinde gratos suos animi sensus erga præceptorem Anaxagoram descripsisse agnosceretur. De qua re luculenter diximus in [a] argumento ad Melanippen Sapientem ex Dionysio Halicarnasseo. Nec id certe pio poëtæ vitio vertendum, quod mulierem in scenam philosophantem induxerit, his verbis : Οὐκ ἐμὸς ὁ Μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα, Ὡς οὐρανός τε, γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία, etc. Nequaquam, inquam, hoc Euripidi vitio vertendum ; nam, ut idem [b] Dionysius testatur, τοιαύτης μητρός ἐστιν, ἵνα μὴ ἀπίθανος ᾖ ἡ Φιλοσοφία. Et alias : ἡ δὲ Μελανίππη ἐπαιδεύθη ὑπὸ τοῦ Ποσειδῶνος. Quare non erat, ut omnium mortalium sagacissimus, Aristoteles, diceret : ταύτης τῆς Μελανίππης ῥῆσιν ἀπρεπῆ καὶ μὴ ἁρμόττουσαν, δηλονότι ἀγραμμάτῳ γυναικί. Si enim Virgilio, poëtarum prudentissimo, sit visum, [c] patriæ suæ causa anachronismum ultro commisisse, et Didonem suo Æneæ æqualem contra temporum rationes fecisse ; ut eo nempe εὐλογώτερον Romanorum Carthaginiensiumque mutuas et perpetuas inimicitias exprimeret ; quidni et Euripidi liceat, ultro* de scenæ regulis remittere, vel præceptoris causa, ut in hoc loco, vel etiam patriæ, ut sæpe alias ; præsertim cum præparatoriis argumentis rei alicujus probabilitatem sufficienter satis adstruxerit ? Nec licet rarum sit, omnino impossibile dic ipotest ; imo ne quidem improbabile, (pace tanti philosophi dicam) ut aliquando mulier aliqua reperiatur, non dico, cuivis viro par, sed, si velis, etiam superior, saltem in aliquibus rebus ; uti satis iis constat, qui historias multarum gentium et multorum temporum accurate notaverint. Quare nec ipse Socrates dubitavit serio affirmare, [d] Quod multæ mulieres in multis rebus multis viris fuerint excellentiores. Quia vero rarius forte in hoc sexu summa excellentia depre-

a Vide Xantr. inter Fragm.

b Vid. in Argumento Fabulæ Melanippæ inter Fragmenta.

c Vid. Jacobi Nicolai Loensis Epiphyllid. l. 9. c. 22. Luciani Dialog. ubi Dido Virgilium coram Æaco citat ; si bene memini.

* Vid. Mons. Hedelini Art. Scen. p. 24. ubi patriæ gratia Euripidem ait ultro dramaticas regulas aliquando relaxasse.

d Platonis Polit. l. 5. Vid. quæ nos ad Medeæ v. 1080. ubi ipsa Græca verba.

henditur, ideo sane poëta hic noster, qui nihil ignorat, ut qui probe conscius esset *τοῦ πρέποντος*, nec legum poëticarum inexpertus, viam semper sibi struit ac præmunit, *καὶ πάντα προπαρασκευάζει*, ut sæpissime in [a] notis nostris ad hunc auctorem observavimus. Rectius itaque Dioni Chrysostomo placet et laudatur *ἥ τε τοῦ Εὐριπίδου σύνεσις*, ut ipse inquit, *καὶ περὶ πάντα ἐπιμέλεια, ὥστε μήτε ἀπίθανόν τι καὶ παρημελημένον ἐᾶσαι.*

XVI. De illius erga præceptorem gratitudine hæc dicta sunto: quod autem præcipue *Φιλόπατρις* fuerit, et Athenarum suarum egregius laudator, ex innumeris id locis etiamnum potest deprehendi et probari. Non hic dico, quot perpetuis fabulis Atheniensis populi laudes celebraverit, quarum singulæ, ut supplices et Heraclidæ, continent *ἐγκώμιον Ἀθηναίων*. Non assero, hoc sibi argumentum fere in omnibus cæteris poëtam proposuisse, præsertim in iis, quibus reges Atheniensium nomina dederunt, ut Ægeus, Erechtheus, Theseus, quarum etiamnum aliquot supersunt fragmenta. Hoc finis Orestæ, hoc Herculis furentis conclusio, hoc Medeæ actus tertius ubi Ægeus introducitur, hoc multa pars Hippolyti, hoc denique loci alii innumeri satagunt, ut pios poëtæ affectus erga patriam ostendant. Quare neque Salamina indictam reliquit, Meleager v. 21, *Σαλαμῖνα κοσμῶν, πατρίδα τὴν εὐδαίμονα*, et Œneus fabula in honorem suæ tribus Œneidos ab illo scripta; et Euripides sane nunquam non arripit occasionem, qua opportunius Athenas suas toti Græciæ, ac proinde toti terrarum orbi, laudatas reddat. *Τίς γὰρ εἴρηκε τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος ἐγκώμιον τοιοῦτον οἷον Εὐριπίδης*; inquit [b] Plutarchus, et statim illos versus citat, quos in [c] Erechtheo fabula jam vides. Ita in Hecuba fabula chorus captivarum Troadum, dum varia Græciæ loca recenset, ubi se servituras augurantur, Athenas præcipue celebrant: [d] *Ἢ Παλλάδος ἐν πόλει, Τᾶς καλλιδίφρου Ἀθηναίας*, etc. Ita in fabula, Troades dicta, Troadum captivarum chorum facit optantem, ut is illis locus ante alios sortito contingat: [e] *Τὰν κλεινὰν εἴθ' ἔλθοιμεν Θησέως εὐδαίμονα χώραν.* Mox in eadem fabula, quum Hecuba forte optasset sibi ad Thessalica Tempe migrandum præ cæteris Græciæ partibus, quem locum dicit se audivisse felicitate et copia omnimoda affluere: [f] *Τὰν Πηνειοῦ σεμνὰν χώραν, Κρηπῖδ' Ὀλύμπου καλλίσταν, Ὄλβῳ βρίθειν φάμαν Ἤκουσ', εὐθαλεῖ τ' εὐκαρπίᾳ*: sed nec hunc tamen optat sibi contingere misera regina, nisi post Athenas: [g] *Τὰ δὲ δεύτερά μοι μετὰ τὰν ἱερὰν Θησέως ζαθέαν χώραν.* Nimius essem, si plures instantias proferrem; quare [h] alios locos ad marginem notare sufficiat, quos si quis cum anno

a Troad. v. 681. Electr. v. 50. et v. 259.
b Περὶ φυγῆς.
c Fragm. v. 70. etc.
d Hecub. v. 464.
e Troad. v. 210.
f Troad. v. 216.
g Troad. v. 220.
h Orest. v. 1666. Troad. v. 980. Heraclid. v. 183. Ion. v. 192, 272, 281, 683. Herc. Fur. v. 477, 1409, etc.

tationibus nostris perpenderit, mirabitur poëtæ lepidum ingenium; quod tantam pietatem tanta cum arte exhibuerit conjunctam. Quis autem æquus rerum æstimator vitio hoc Euripidi unquam vertat, quod tam promtus et vigil sit in patriæ laudes, istius inquam patriæ, quam vel hostes, vel Barbari, et peregrini, tantopere demirati sunt? In illa urbe deorum majestas et religionis honos summa cum reverentia conservabantur; illa erat commune supplicum asylum, literarum et artium sacrarium; in illius foro publico misericordiæ ara erigebatur, a qua nemo erat arcendus. Et ne quid hic de Athenarum imperii magnitudine dicam, ne quid de doctrina omnigena, quæ ibi semper floruit, de legislatoribus, de poëtis, de philosophis, historicis, ducibusque immortali laude dignis,[a] quos peperit, eximium quid et haud vulgare est illud, quod Harpocration in voce Ἄβαρις de populo Atheniensi narrat: *Λοιμοῦ δέ, φασι, κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην γεγονότος, ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων μαντευομένοις Ἕλλησι καὶ Βαρβάροις, τὸν τῶν Ἀθηναίων Δῆμον ὑπὲρ πάντων εὐχὰς ποιήσασθαι· πρεσβευομένων δὲ πολλῶν ἐθνῶν πρὸς αὐτοὺς καὶ Ἄβαριν ἐξ Ὑπερβορέων πρεσβευτὴν ἀφικέσθαι λέγουσιν.* Quam rem Aristophanis [b] Scholiastes plus semel confirmat, ut et Suidas in vocibus Εἰρεσιώνη et Προηρόσίαι. Ab eodem denique deo Athenarum urbs ob æquitatem et misericordiam communis ara Græciæ vocabatur, Æliano teste, [c] *ὅτι, ἡνίκα ἠβούλοντο Λακεδαιμόνιοι τὴν Ἀθηναίων ἀφανίσαι πόλιν, ἠρώτησαν τὸν θεόν, καὶ ἀπεκρίνατο· Τὴν κοινὴν Ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος μὴ κινεῖν.* Sed de Athenarum magnitudine et imperio posthac dicemus.

XVII. Nec tamen adeo Euripidem transversum egit patriæ urbis amor, ut erga hostes ipsos non æquus idem appareret; quod et alicubi [d] notavimus his verbis: sicut Athenas, urbem patriam, suo more primo loco ponat poëta piissimus, ita Spartam, licet Athenis, tunc temporis infensam, secundo loco memorat æquus homo, qui et hostem sua laude nequaquam privandum præcipit. Et id quidem facit ad Heraclidas [e]—— *καὶ γὰρ ἐχθρὸς ὢν Ἀκούσεται μὲν ἐσθλά, χρηστὸς ὢν ἀνήρ.* Et Lacedæmonios ob poëticæ et musicæ studium laudat, ut nos observamus ad Alcestidis versum 453. et alias. Sed quoniam nonnulli, contra quæ locutus sum, Euripidem in hac parte reprehendunt; et illum odio, gratia, amore, lucri studio, quædam maligne scripsisse contendunt, videamus, an illi recte hanc dicam in poëtam tam nobilem impingant. De illo itaque dicitur, "quod [f] Athenienses suos immodice laudibus in cœlum usque evehat, et "Lacedæmonios rabide insectetur; dum illos in Andromacha *δόλια μηχα-*

a Vid. ad Hercul. Fur. v. 1409.
b Ad. Plutum fol. 50. et ad Equites fol. 230. Vid. Joh. Meurs. Attic. Lect. l. 6. c. 3.
c Ælian. Var. Histor. l. 4. c. 6.
d Ad. Hercul. Fur. v. 477.
e Heraclid. v. 1001.
f Nicol. Loens. Epiphyll. l. 6. c. 22.

"νήματα (lego [a] βουλευτήρια) appellat, aliisque contumeliosissimis verbis "proscindit, Menelaum ubique versipellem et maligno ingenio introdu- "cens. Quin idem Corinthiis ob accepta quinque talenta gratificatus "est, dum infandum scelus ab ipsis perpetratum in innocentem matrem, "Medeam, rejicit, quam et aliis horrendis flagitiis falso denigrat." Hæc est accusationis summa; quam contra Euripidem adornavit Jacobus Nicolaus Loensis. Ad hæc reponimus hoc modo: Euripides neque suos Athenienses immodice, neque immerito, neque importune, ut supra ostendimus, neque semper, laudat; aliquando etiam perstringit, ut notamus ad Hippolyti v. 282. Τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα, καὶ γινώσκομεν, Οὐκ ἐκπονοῦμεν δ'. Quin aperte monarchiæ favet, Andromach. v. 464. per totum chorum; imo Lacedæmoniorum oligarchiam, sive aristocratiam, suorum Atheniensium democratiæ præfert; ubi Dioscuros in Helena introducit ita loquentes: [b] Τοὺς εὐγενεῖς γὰρ οὐ στυγοῦσι Δαίμονες· Τῶν δ' ἀναριθμήτων μᾶλλόν εἰσιν οἱ πόνοι. Alii quidem confidentius de Euripide dicunt, quod Socratis cædem Atheniensi populo publice [c] de scena objecerit, ne eorum edicto territus, quo illius rei memoriam refricare nefas haberetur. At hic tam ardens atque animosus virtutis præco (inquit [d] Daniel Heinsius) non dubitavit ingratam suam civitatem coram orbe cædis illius postulare. Quanquam dubitatum sit a [e] nonnullis, an Socrati fuerit Euripides superstes; nec immerito, cum contrarium sit verissimum; et Palamedes fabula multis annis ante Euripidis mortem doceretur, et Socrates sexto post Euripidem anno fato suo sit functus, ut ex archontum tabulis et Olympiadum descriptione mox probaturi sumus. Quod de Lacedæmoniorum dolis et avaritia ab Euripide sit dictum, id ab aliis haud paucis isti genti objectum probavimus ad Andromachæ v. 446. et v. 451. Ad Menelaum quod attinet, præter quod ipsi Homero non usque adeo bene semper audiat; imbellis enim quodammodo, mollis et uxorius habebatur; illum sane nemo non summo cum jure reprehendat, quod Orestem, fratris sui filium, in extremis laborantem despexerit, illiusque hæreditati avidius inhiaverit, quodque Hermionæ filiæ zelotypiæ usque adeo indulserit, ut illius causa etiam bellum cum Hectoris conjuge et Molosso puero sibi gerendum duxerit, quodque mala fide mulierculam a sanctuarii tutela deceptam abstraxerit: sed et hæc et plura alia dicta sunt ex argumenti, quod poëta tractandum susceperat, necessitate; alias enim, quando per argumentum licuerit, meliorem Menelai characterem fingit, præcipue in Helena. Nec tamen minus aut Menelao, aut ipsi Agamemnoni, parcit Sophocles, quos ambos in Philoctete perpetuis

a Vid. Andromach. v. 446.
b Helen. v. 1698.
c Diog. Laërt. in Socrate, etc.
d Daniel Heinsius in Dedicat. ad Senecæ Tragœd. Lilius Gyrald. Poët. Hist. Dialog. 7. fol. 265.
e Vide quæ nos ad Palamedem in Frag-

dicteriis mactat, et in Ajace flagellifero nimis alte spirantes et Teucri conviciis merito proscissos inducit; quin Homerus ipse Agamemnonem ebriosum, tyrannicum, subtimidum agnoscit; cui et alii Palamedis cædem objiciunt. De Corinthiis, quod quinque talenta Euripidi dederint, eo fine, ut Medeæ filiorum cædis odium ab ipsis in matrem derivaret, id quidem gratis a criticis est dictum, qui multa impotenter, multa incogitanter, multa inexplorate proferre solent; et hæc quidem sola Parmenisci fide pendent, a quo tamen et ipse Plutarchus in Alexandro rem illam mutuam accepit. Ipse quidem [a] Apollodorus et [b] Ælianus, ut id concedamus, dicunt, Medeæ filios a Corinthiis esse cæsos, quod et [c] Didymus ex Creophylo agnoscit. Et Ælianus insuper addit, aliter ab Euripide ad Corinthiorum rogatum fabulam ordinatam; ille tamen nihil de mercede memorat. Qui autem hos pueros non a matre, sed a Corinthiis, cæsos dicunt, ex quodam incerto rumore fatentur id se accepisse: ita enim [d] Apollodorus: *Λέγεται δὲ, ὅτι φεύγουσα τοὺς παῖδας νηπίους ἔτι ὄντας κατέλιπεν, ἱκέτας καθίσασα ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς Ἥρας τῆς Ἀκραίας· Κορίνθιοι δὲ αὐτοὺς ἀναστήσαντες κατετραυμάτισαν.* Et [e] Ælianus: *Λέγει τις λόγος, τὴν φήμην τὴν κατὰ τῆς Μηδείας ψευδῆ εἶναι· μὴ γὰρ αὐτὴν ἀποκτεῖναι τὰ τέκνα, ἀλλὰ Κορινθίους.* Nec magis audacter Euripidis [f] scholiastes de illius corruptione: *Πολυάϊκός τις λόγος φέρεται τῶν φιλοσόφων, ὃν καὶ Παρμενίσκος ἐκτίθησιν, ὡς ἄρα πέντε τάλαντα λαβὼν παρὰ Κορινθίων Εὐριπίδης, μεταγάγοι τὴν σφαγὴν τῶν παίδων ἐπὶ τὴν Μήδειαν· ἀποσφαγῆναι γὰρ τοὺς παῖδας Μηδείας ὑπὸ Κορινθίων.* Quod vero hæc cædes ab ipsa Medea sit facta, ab aliis ante Euripidem dicebatur; nam Carcinus ipse, cujus filius, Xenocles, æqualis erat Euripidi, testante [g] Aristotele, Medeam ob filiorum cædem accusatam et causam suam orantem introducit. Et [h] Apollodorus audacior in hac re: *Τούς τε παῖδας, οὓς εἶχεν ἐξ Ἰάσονος, Μέρμερον καὶ Φέρητα, ἀπέκτεινε.* Neque omnino mirandum, si ea mulier, ira jam ex læso amore inflammata, proprios filios in Jasonis mariti odium jugulaverit, quæ antea sui amoris et mariti gratia patrem suum aureo vellere et fratrem Absyrtum vita spoliaverit, quem in frusta illam secuisse constat; ut iis colligendis patris insecutio tardaretur. Præterea Creontis Glaucæque, per veneficia exstinctorum, interitus, et Peliæ, regis Thessaliæ, illius dolis occisi, persuadent, haud adeo innocentem hanc fœminam fuisse, nec ab Euripide tot horrendis flagitiis falso denigratam; ut hi objectores pueriliter querun-

mentis v. 30. et Sam. Petitum Miscell. l. 1. c. 13. ubi dubium proponitur.

a Apollodor. Biblioth. l. 1. c. 9. § 28.

b Ælian. Var. Hist. l. 5. c. 21.

c Vid. Scholiast. Euripid. ad Medeæ v. 273.

d Apollodor. ibid.

e Ælian. ibid.

f Scholiast. Euripid. ad Medeæ v. 9.

g Aristoteles Rhetoric. l. 2. c. 23.

h Apollodor. loco supra citato.

tur. Unde Lycophron Medeam vocat, Τὴν γνωτοφόντιν καὶ τέκνων ἀλάστορα. Quin, ut demus, exploratum esse, hos pueros ab ipsa matre non fuisse occisos, sed a Corinthiis; id tamen semper poëtis licuit, ut pro suo arbitrio fabularum œconomiam inverterent, præcipue cum Euripidi Medea sit mille ferme annis antiquior, et jam inde per tot secula fama invaluerat, ab ipsis Corinthiis proseminata, hos pueros a matre sua, non a se, occisos, quo tempore Creontem veneficiis sustulerit. Nec tamen video, cur hoc Corinthiis grave videretur, hujus cædis odium subire; quum non sine aliquo jure potuissent etiam innocentes liberos opprimere illius matris, quæ regis sui domum stirpitus exciderit. Talis sane Medea ab omnibus ob crudelitatem et veneficiorum peritiam est habita, ut nihil adeo horrendum, aut infame, sit, quod de illa facile credi non possit. Quare de hac re recte Juvenalis, [a] credamus, quicquid de Colchide torva dicitur, aut Progne.

XVIII. Sed quia hæc fabula, quæ Medeæ nunc nomine vocatur, a plurimis magnis viris alius cujusvis, quam Euripidis nostri, opus esse putatur, nos etiam hanc controversiam breviter et dilucide tractabimus; ut ne quis amplius aliorum auctoritate deceptus in hac re erroribus offundatur. Et [b] Diogenes Laërtius in Menedemo huic errori originem dedisse visus est, qui sic ait: Ὥστε παίουσιν οἱ λέγοντες, μηδὲν αὐτὸν ἀνεγνωκέναι, πλὴν τῆς Μηδείας τῆς Εὐριπίδου, ἣν ἐν τοῖς Νεόφρονος εἶναι τοῦ Σικυωνίου φασί. Suidas quoque Euripidi secundo tribuere Medeam est visus; utrum vero de hac loquatur, haudquaquam constat. Et tamen Samuel Petitus, aliique haud pauci, nec nullius in literis notæ, juniori Euripidi, qui erat nostri ex fratre nepos, hanc fabulam audacter assignat; alii æque audacter Neophroni. Quod quidem ad Neophronem spectat, agnosco, illum fabulam sub Medeæ nomine docuisse. Sed quæ longe ab hac, quam præ manibus habemus, diversa fuerit; ut ex iis quindecim versibus, quos ex Neophronis Medea laudat Stobæus,[c] et ex aliis quinque, quos Euripidis Scholiastes profert ad Medeæ finem, videre licet. Et sane Aristoteles ipse hanc Medeæ fabulam Euripidis nostri agnoscit. Ita enim ille de hoc loco, qui exstat Medeæ v. 1074. Καὶ μανθάνω μὲν, οἷα τολμήσω κακὰ, libro de Poëtica capite xiv. Ἔστι μὲν γὰρ οὕτω γίνεσθαι τὴν πρᾶξιν, ὥσπερ οἱ παλαιοὶ ἐποίουν, εἰδότας καὶ γινώσκοντας· καθάπερ καὶ Εὐριπίδης ἐποίησεν ἀποκτείνουσαν τοὺς παῖδας τὴν Μήδειαν. Hanc idem fabulam designat ibidem capite xv. ubi reprehendit eandem, quod male ἀπὸ μηχανῆς clauditur; quia Medea alato curru avecta fingitur. Quod si quis contendat, juniorem hic Euripidem

a Satyr. 7.
b Diog. Laërt. l. 2. in Menedemo. Jacob. Nicol. Loensis Epiphyll. l. 4. c. 17.
c Stobæ. Florileg. fol. 107. capite de Ira. Vid. Med. v. 1017.

designari, is cognoscat, non alium, quam seniorem et nostrum, esse auctorem hujus fabulæ; nam ipse Aristophanes [a] in Ranis, quando Æschylum et Euripidem hunc nostrum suos prologos in lance facit ponderantes, Euripidi tribuit primum hujus Medeæ versum: Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτᾶσθαι σκάφος: ad quem locum Scholiastes: Ἀρχὴ τοῦ Μηδείας δράματος Εὐριπίδου. Quod miror omnes doctos illos homines penitus fugisse, qui hanc fabulam Euripidis nostri genuinam esse pernegent, et vel Neophroni, vel juniori alicui Euripidi, tribuendam censeant; cum Aristophanes, Euripidis æqualis, hac in re omnino decipi non potuerit, qui et Euripidi superstes esset, illiusque omnes tragœdias haberet; juniorem autem Euripidem ætate ipse longe superaret, et diu quidem suo fato foret functus, antequam Neophron esset natus; qui non [b] nisi Alexandri M. temporibus floruit, et ab eodem una cum Callisthene philosopho affectus supplicio dicitur.

XIX. Verum enimvero contra Euripidem nonnulli ex veteribus objiciunt, quod erga mulieres esset iniquus; adeo ut Μισογύνης diceretur; quod viro bono et philosopho valde indignum judico; cum et is sexus sit humani generis pars altera, deique ipsius, summe prudentis opificis, judicio huic vitæ necessaria. Sed si paulo accuratius rem consideremus, videbimus, hoc ei convicium adhæsisse, ex futili criticorum conjectura primitus ortum; cum enim illud ei cognominis ab antiquis datum invenerint, veram autem nescirent istius rei causam, falsam illico suo more affigere non sunt veriti; et hinc illæ de ejus infausto plus semel conjugio tragœdiæ, hinc de histrione Cephisophonte, illius servo et adultero, et ejusmodi non pauca, nec ab antiquis, nec ab idoneis auctoribus, nec ab ipsa satis ratione confirmata; nisi forte quis Aristophanis [c] comici conviciis fidem habendam judicet; aut potius illius Scholiastis, qui hæc ex eo piscati sunt, nec asserunt tamen aliud, quam quod ita comœdiæ fingerent, ὃν καὶ συνεῖναι τῇ γυναικὶ αὐτοῦ κωμῳδοῦσιν. Quare hac ignominia motus Euripides in Macedoniam se contulisse dicitur, et perpetuo in omne genus mulieres odio exarsisse, suarum nimirum uxorum adulterarum gratia. Sed pace grammaticastrorum liceat dicere, quod et probaturus sum, aliud huic nomini originem et causam dari. Euripides enim, non modo, quia tot scelestas mulieres, tot veneficas, tot adulteras, et viricidas et incestas in scenam induxerit, verum etiam quod tot aculeatis omnem illum sexum confoderit sententiis, apud veteres Μισογύνης audiebat; nimirum dictionis erat, non hominis, character: quo nomine illum de vita periclitatum apud mulieres in Thesmophoria-

a Aristoph. fol. 183.

b Lil. Gyrald. Poët. Hist. Dialog. 7. l. 846.

c Scholiast. Aristoph. fol. 167. et fol. 184.

zusis suis lepide fingit Aristophanes. Et plures certe, si non omnes, illius tragœdiæ, in quibus tantopere mulieres perstringit, actæ erant, antequam ad iter in Macedoniam animum applicaret; ut cuivis patere potest; et mox patebit. Et quanquam idem, cum res ferret, haud minus honorificis fœminas testimoniis ornaverit, plurimas heroinas ob virtutem eximias fabulis suis populo exhibendo, ut ostendimus plus semel in annotationibus[a] nostris: mansit tamen affixum poëtæ vocabulum, quia plus mordent paucæ offensiunculæ, quam multa beneficia. De hac re tamen audiendus potius videtur Sophocles, Euripidis contemporaneus et amicus, qui [b] nescio cui, Euripidem vocanti mulierum osorem, dixit, "In tragœdiis ita videri, non utique in cubili." Fertur et idem Sophocles nonnihil de hac quæstione haud minus in fœminas aculeatum strinxisse; interrogatus enim, quandoquidem Euripidis personæ mulieres malæ essent, cur ipsius e contra forent bonæ: *Αὐτὸς μὲν ἔφη ποιεῖν, οἵας δεῖ, Εὐριπίδης δὲ, οἷαί εἰσιν.* Certe, ut ab omnibus bonæ notæ auctoribus agnoscitur, fœdos puerorum amores illi odio fuisse; nisi siquando formosos juvenes, si quid etiam virtute præstarent, deoscularetur; ita *φιλογύνης* a nonnullis vocatur. Id diserte Athenæus; [c] *Φιλομείραξ δὲ ἦν ὁ Σοφοκλῆς, ὡς Εὐριπίδης φιλογύνης.* Quare et secundis nuptiis utebatur; ut testantur plurimi. Ad alienas autem uxores quod attinet, nemo unquam castior; unde et Dionysius [d] By antinus illum vocat, *τὸν σκοτίης Κύπριδος ἀλλότριον.*

Verum enimvero Euripides et asper moribus et *μισογέλως* habebatur, ut illius præceptor, Anaxagoras, qui et ipse *ἀγέλαστος* dictus erat; ita enim [e] Alexander Ætolus apud Gellium:

> *Ὁ δὲ Ἀναξαγόρου τρόφιμος ἀρχαίου*
> *Στρυφνὸς μὲν ἔμοιγ᾽ ἔοικε προσειπεῖν,*
> *Καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ᾽ οἶνον*
> *Μεμαθηκώς· ἀλλ᾽ ὅ, τι καὶ γράψαι, τοῦτ᾽ ἂν*
> *Μέλιτος καὶ Σειρήνων ἐτετεύχει.*
>
> Sed Anaxagoræ discipulus veteris
> Congressu mihi visus erat subacerbus;
> Sed nec amans risus, nec doctus pocula salsis
> Exhilarare jocis: sed quicquid scripserit idem,
> Melle et Sirenum dulcedine suavis illud.

Et Aristophanes, quod notat Thomas Magister, difficiliorem paulo illum in congressibus testatur; quinetiam ipse Euripides in * Epistola sua ad Cephisophontem data, dum de lautioribus Archelai conviviis queritur, videtur haud nimis hilarioribus compotationibus deditus. Quod itaque

a Ad Troad. v. 657. et Melanipp. v. 54. Protesilaum v. 5 etc.

b Vid. quæ Nos ad Melanipp. v. 54. ubi ipsa Græca verba.

c Athenæ. l. 13. c. 8 fol. 603.

d Vid. infra ad hujus Vitæ § XXXI.

e Alexand. Ætol. apud Agellium l. 15. c. 20.

* Vide sub finem hujus Editionis Epist. 5.

temporis spatio et philosophiæ studio redderetur tandem in moribus et vitæ actionibus aliquanto severior, nequaquam dubitandum; quod autem hilaritatis omnimodæ hostis esset apertus, non facile concedit is, qui liberos hujus auctoris spiritus et jucundiores hilarescentis Musæ volatus, hinc inde per totum opus lusitantes, perspexerit. Agrestes autem mores ῥητῶς abominatur, ubi Amoris laudes canens hæc de eo habet:[a]—Τοῖσδ' ἀτελέστοις Τῶν τοῦδε πόνων μήτε συνείην. Χωρὶς δ' ἀγρίων ναίοιμι τρόπων. "Fera vita meos nihil ad mores."

XX. Et jam hinc inopinato ducimur ad illam quæstionem, uter sit excellentior poëta, Sophocles, an Euripides. Quod cum nemini adhuc doctorum hominum ea fuerit audacia, ut aperte pro hoc, vel illo, velut ex cathedra pronuntiarint, neque nostrum esse, puto, "tantas componere lites." Verum enimvero, ut eorum saltem hominum temerariæ inscitiæ terminos ponam, qui Euripidi ideo suos honores, suum locum denegant, quod, cum Sophocles, aut Æschylus, apud antiquos poëtas memorentur, Euripides forte silentio prætereatur, quasi ille nullius esset pretii habendus, paucis hic agendum. Et in hanc rem nequaquam [b] Franciscus Floridus Sabinus est nobis despiciendus, qui contra Beroaldum, Euripidis obtrectatorem, inter alia hæc habet: "Cumque Virgilius Sophoclem nominarit (hoc nempe versu: 'sola "Sophocleo tua carmina digna cothurno;') non ideo factum reor, quod "eum Euripidi anteponere voluerit; sed quia id nomen heroico metro "melius conveniret. Cui et simile est Propertianum illud ad Lynceum "poëtam: 'Desine et Æschyleo componere verba cothurno.' Non "Æschylum scilicet, quasi aliis præstantiorem, nominavit Propertius, "quem [c] rudem in plerisque et incompositum fuisse scimus; ut cujus "fabulas in certamen correctas deferre posterioribus poëtis permiserint "Athenienses; sed quod ad ejus nomine deductum nomen versu recte "clauderetur. An, cum Horatius de Romano populo sic inquit:

"Serus enim Græcis admovit lumina chartis;
"Et post Punica bella quietus quærere cœpit,
"Quid Sophocles, quid Thespis et Æschylus utile ferrent:

"An idcirco Euripidem non nominavit, quod vel Thespi eum, vel Æschy-"lo, duxerit postponendum? Hoc ne ipse quidem Beroaldus per "somnium affirmaret." At [d] Plinium Sophocli palmam tragœdiæ deferre concludunt nonnulli, cujus hæc sunt verba: "Sophoclem, tragici "cothurni principem, defunctum sepeliri Liber Pater jussit, obsidentibus "mœnia Lacedæmoniis, Lysandro, eorum rege, in quiete sæpius admo-"nito ut pateretur humari delicias suas Requisivit rex, qui supremum

a Incerta v. 261.

b Fr. Flor. Sabin. Lection. subcisivar. l. 2. c. 13.

c Ita Quintilian. Institut. Orator. l. 10. c. 1.

d Plin. Nat. Hist. l. 7 c. 29

"diem Athenis obiisset, nec difficulter ex iis, quem Deus significasset, "intellexit, pacemque funeri dedit." Ad quem Plinii locum [a] Josephus Scaliger respexisse videtur, quum de Sophocle loquens, dixit: "qui "sane principem locum in theatro Græco obtinet." Quanquam nec hæc verba summam excellentiam denotent, et solam; sed primarium locum et sedem inter primos; ut Latinis auribus satis notum. Nemo certe minoris æstimabit Ciceronis judicium, qui, quis sit præferendus, nec ipse audet eloqui: " [b] Atqui, inquit, id primum in poëtis cerni licet, "quam sint inter sese Ennius, Pacuvius, Acciusque dissimiles, quam "apud Græcos, Æschylus, Sophocles, Euripides: quanquam omnibus "par pæne laus in dissimili scribendi genere tribuatur." Certe nimis mihi jam audax is videbitur, ne dicam temerarius, et Cicerone paulo major, qui suum hac in re judicium interposuerit. Enimvero Sophocline hæc palma, an Euripidi, sit deferenda, grammatici certant, et adhuc sub judice lis est. Crantor sane Solensis, Platonis et Xenocratis auditor, egregius et ipse philosophus academicus, præ cæteris admirabatur Homerum et Euripidem, dicens de hoc ultimo, [c] "Operosum esse et indus- "triæ plenum, proprietate servata, tragice simul et cum affectu miseri- "cordiæ scribere, id quod ipsum, videl. Euripidem, præstitisse aiebat;" et haud raro proferebat illum ex Bellerophonte versiculum: [d] Οἴμοι· τί δ' οἴμοι; Θνητά τοι πεπόνθαμεν. Et in hoc non abhorret ab [e] Aristotelis opinione Crantoris judicium, qui in libro de Arte Poëtica Euripidem τραγικώτατον appellat, hoc est, si Plinii verbis exponas, tragici cothurni principem. Quibus jam Quintilianum plenis velis succedentem videbimus; is enim, de tragœdia loquens, [f] "Sed longe, inquit, clarius illus- "traverunt hoc opus Sophocles atque Euripides, quorum in dispari "dicendi via, uter sit poëta melior, inter plurimos quæritur. Idque "ego sane, quoniam ad præsentem materiam nihil pertinet, injudicatum "relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad "agendum comparent, utiliorem longe Euripidem fore. Namque is et "in sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus "et sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio "generi; et sententiis densus, et in iis, quæ a sapientibus tradita sunt, "pæne ipsis par; et in dicendo et respondendo, cuilibet eorum, qui "fuerunt in foro diserti, comparandus. In affectibus vero cum omnibus "mirus, tum in iis, qui miseratione constant, facile præcipuus. Hunc "et admiratus maxime est (ut sæpe testatur) et secutus, quanquam in "opere diverso, Menander."

a Jos. Scaliger in Conjectaneis ad Varronem. p. 146.
b Cicero de Oratore l. 3. §. 7.
c Diog. Laërt. in Crantore l. 4. § 26.
d Bellerophon in Fragm. v. 5. Vid. Plutarch. περὶ εὐθυμίας.
e Aristot. Poët. c. 18.
f Quintilian. Institut. Orat. l. 10. c. 1.

Præterea veteres critici Sophocli *μεγαλοφωνίαν*, Euripidi *κυριολογίαν*, Sophocli *λογιότητα*, Euripidi *σοφίαν*, Sophocli *φύσιν*, Euripidi *πάθος* tribuebant; et si *λαλιὰν* Euripidis notarent, *ἀνωμαλίαν* Sophoclis indictam non reliquerunt; et hoc ego meo nomine polliceri audeo, quod vel annotationibus meis abunde patere posse puto, Euripidem *πολυμαθέστατον* et *φιλολογώτατον* omnium ubique gentium poëtarum tragicorum et comicorum exstitisse; adeo ut, quum ipse Plato in Lyside fateatur, poëtas *πατέρας τῆς σοφίας καὶ ἡγεμόνας*, Euripidem inter ipsos poëtas, saltem tragicos, patrem et ducem liceat appellare. Quin summe illum fuisse *φιλόβιβλον* apparet, ex illo [a] Athenæi loco, ubi inter famosos omne genus librorum coacervatores Euripidem hunc nostrum recenset cum Pergami regibus et Ægypti, cum Aristotele philosopho, Nicocrate Cyprio, Polycrate Samio, et Pisistrato Atheniensi. Imo quantum auctor noster in doctrina reconditiori profecerit, sublimioribusque studiis, haud uno ex loco colligendum; quare ad * Alcest. v. 962. ubi chorus canit: Ἐγὼ *καὶ διὰ Μούσας, καὶ μετάρσιος ᾗξα, καὶ πλεῖστον ἁψάμενος λόγων* etc. ad eum locum Scholiastes; Ὁ *ποιητὴς διὰ τοῦ προσώπου τοῦ χοροῦ βούλεται δεῖξαι, ὅσον μετέσχε τῆς παιδεύσεως· καὶ περὶ μετεώρων ἐφρόντισα οἷον,* † *ἠστρολόγησα* etc. Præterea Heracliti *τοῦ σκοτεινοῦ* libros apprime doctos, sed valde reconditos, dicitur assidue volvisse; quos cum [b] aliquando Socrati legendos dedisset, rogassetque, quid ei visum, respondit ille: "Ἃ *μὲν συνῆκα, γενναῖα· οἶμαι δὲ, καὶ ἃ μὴ συνῆκα. πλὴν Δηλίου γέ τινος δεῖται κολυμβητοῦ.* "Quæ quidem intelligo, præclara sunt; puto vero, et ea, quæ non intelligo: verum Delio quodam natatore indigent;" nimirum sensum adeo profunde latere innuebat. Quod vero nonnullis dicatur *μακρὸς ἐν ὀδυρμοῖς*, tantum abest, ut id vitio vertam Euripidi, ut potius inter illius virtutes reponam; cum id affectibus movendis præcipue inserviat; nec in ea re supra modum, aut contra naturam, redundet; si quis æquus et idoneus judex rem perpenderit. Itaque is præcipue *μονῳδίαις* utitur, quod id genus *ἐν τοῖς θρήνοις* sit convenientius. Veteres certe omnes præcipue laudabant illius *ἠθοποιΐαν* et *ποθοποιΐαν*. Dion vero Chrysostomus *τὸ ἀκριβὲς, καὶ δριμὺ, καὶ πολιτικὸν τὸ τοῦ* Εὐριπίδου extollit, et [c] Plutarchus in Sylla vocat Εὐριπίδην *σοφὸν ἄνδρα καὶ πολιτικῶν ἐπιστήμονα σοφισμάτων*. Adeo autem excellebat in morali prudentia, ut ab ipso Aristophane *σοφώτατος* simul et *γνωμοτύπος* sit dictus; ut etiam Aristoteli *γνωμικώτατος* audit, ob illustres nimirum gemmularum ad instar sparsas undique sententias, ad humanæ vitæ regimen utilissimas. Quin proprietatem dictionis et naturam præcipue coluisse Euripidem

a Athenæ. l. 1. sub initio.
* Vide Hippolyt. v. 87.
† Forte *ἠτιολόγησα*.
b Diog. Laërt. in Socrate, l. 2. § 32. in quem locum vide Ægidii Menagii Not. et Diog. Laërt. in Heraclito. Floruit Heraclitus Olymp. 69.
c Plutarch. Sylla, fol. 453.

testatur idem haud cœcus judex, [a] Aristoteles, in capite de Dictionis Virtute, ubi compositio ex communi sermone, delectu tamen habito facta laudatur: ὅπερ, inquit, Εὐριπίδης ποιεῖ καὶ ὑπέδειξε πρῶτος. Et sane quum, [b] eodem Aristotele teste, dictionis virtus sit, esse perspicua, et non humilis; nescio, an Euripides non sit omnibus scenicis poëtis longe præferendus, qui præcipue τὸ κύριον observat, hoc est, proprietatem in dicendo maximam cum summa perspicuitate conjunctam; adeo tamen, ut humilis nunquam fiat, licet forte neque ad Æschyli, neque ad Sophoclis, granditatem assurgat; quanquam et ipse haud raro grandis, præcipue in choris, (ubi nonnunquam Pindaricæ sublimitati æqualis assurgere videtur) ita tamen, ut sine vitio, ut nos in [c] annotationibus nostris haud semel probavimus; et Longinus in aureo suo περὶ Ὕψους libello instantiis haud paucis demonstrat. Et sane illa tragicorum dialectus, qua tantopere ab usitato loquendi more discedant, adeo ut, dum sublimes esse volunt, ampullosi prorsus et obscuri fiant, ab [d] Ariphrade damnatur apud Aristotelem; qui et ipse proprietatem perspicuam et selectam laudat, et Euripidi præcipue tribuit. Stylus autem Euripidis, adeo facilis, pervius et apertus legentibus apparet, ut cuivis videatur nullo negotio in imitationem trahendus; quod si illum assequi putes, eodem tempore ventos pugno comprimes, solem ferula a cœlo tolles, Homero carmen eripies, clavam Herculi extorquebis et fulmen Jovi; quod eleganter veterum [e] quidam hoc epigrammate innuebat:

Τὴν Εὐριπίδεω μήτ' ἔρχεο, μήτ' ἐπιβάλλου
 Δύσβατον ἀνθρώποις οἶμον, ἀοιδοθέτα·
Λείη μὲν γὰρ ἰδεῖν καὶ ἐπίῤῥοθος. εἰ δέ τις αὐτὴν
 Εἰσβαίνοι, χαλεποῦ τρηχυτέρη [f] σκόλοπος.

Nunquam Euripideo insistas tu tramite, nunquam
 Haud affectandam te juvet ire viam.
Nam facilis visu et lævis; sin cesserit hac quis,
 Asperior rigido visa siet scopulo.

Euripidis erat singulare artificium, fabularum suarum argumenta per prologum exponere; de qua re apud Aristophanem hæc loquens inducitur: Ἀλλ' ὀὐξιὼν πρώτιστα μέν μοι τὸ γένος εἶπεν εὐθὺς τοῦ δράματος.

Quod [g] nonnulli de hac re ad Luciani judicium appellent, de ea quoque re nonnihil dicendum, quanquam ego frustra id diu quærendo laboraverim. "Lucianus igitur sophista, qui, auctore Lactantio, nec diis, "nec hominibus pepercit unquam, in librili suspendit carmina tragico-

a Arist. Rhetoric. l. 2. c. 2.
b Aristot. Poët. c. 22.
c Troad. v. 999. etc.
d Aristot. Poëtic. c. 22.
e Antholog. l. 3. c. 23. fol. 274.
f an σκοπέλου legendum?
g Thom. Stanleius in Æschyl. Comment. fol. 701. Lilius Gyrald. Poët. Hist. Dialog. VII. Johan. Baptista Pius Annotation. Poster. c. 28.

"rum poëtarum, Sophoclis scilicet et Euripidis, comminisciturque, "Sophoclis versus, tanquam plus gravitatis habentes, terram petere, "Euripidis vero, veluti leviores, ad cœlum tendere; tanquam in tragico "scribendi genere Sophocles sit Euripidi præferendus. Nec mirum "igitur, si Virgilius ait,

"Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

"Hoc est, gravi et excocto, plus habente medullæ, quam corticis, gravi-"tatis, quam levitatis." Ita Johannes Baptista Pius. Sed is quidem Luciani mentem minus assecutus mihi videtur. Quis enim nescit, hanc illius poëtarum ponderationem ex illo Homerico effictam typo, ubi Jupiter Hectoris et Achillis fata perpendit? At vero tum quidem Achillis fatum, quod erat excellentius, cœlum versus tendebat, Hectoris autem, qui mox vincendus erat, deorsum vergebat ad terram et manes, [a] ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ. Quare videtur potius ex hoc loco Lucianus Euripidi primas dare; nam ipsum auctoris locum nondum memini, nec invenire possum. Quod autem Virgilius tanto elogio Sophoclem ornet, Euripidem vero ne nominet quidem, id non tam illius judicio tribuendum, (nam et sæpe eum imitatus est, ut in [b] annotationibus ostendimus) quam legum metricarum necessitati; quandoquidem, ut [c] supra diximus, Euripides apud Latinos, ut et apud Græcos, sit vox minus apta versui heroico. Quare Sophocleus cothurnus ibi generaliter dicitur per Synecdochen, ut et Æschyleus cothurnus Propertio usurpatur, et Euripideus etiam usurpari posset, si æque staret; pro Atheniensis simpliciter. Et ita Horatius [d] Cecropium cothurnum dicit:

— — Mox ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno.

Non, ut insulse Johannes Bond, quod Cecrops, Athenarum rex, primus scripserit tragœdias, (quis enim veterum ita unquam dixit?) sed quod ab illo rege Athenæ vocabantur Cecropia, unde Cecropius pro Atheniensis.

Quod si Sophocles Φιλόμηρος diceretur, id quoque nomen si quis Euripidi tribuerit, haud iniquo jure id fecerit; ut plus simplici vice [e] in annotationibus nostris probavimus; sed hoc uterque cum multis aliis poëtis commune habet, et præsertim cum Æschylo, qui dixit suas tragœdias μικρά τινα τεμάχια τῶν μεγάλων Ὁμήρου δείπνων. Sed proferatur in

a Homer. Iliad. χ. v. 212.
b Hecub. v. 978. Orest. v. 1132. Phœniss. v. 18. etc.
c Vid. in principio hujus paragraphi.
d Horat. Carmin. l. 2. Od. 1.
e Vid. Indicem ad Scholia titulo Euripides Homerum imitatur.

medium Vossius, qui et hanc quæstionem attigit, nec Euripidi minus, quam Sophocli, semper deferre solet. "Alii itaque," [a] inquit ille, "consummatæ tragœdiæ gloriam non soli Sophocli, sed et Euripidi tribuunt. Et sane est, ubi vincat Sophocles, est, ubi vincatur. Sophocles enim est φιλυπέρβατος, Euripides φιλοσύνθετος. Hic ciendis affectibus et sententiarum gravitate, ille vincit sublimitate dictionis et Οἰκονομίᾳ." Idem [b] alias; "Quantum item nomen Euripidis divini viri! Nec propterea in moribus effingendis eum exprimere usquequaque oportet. Sæpiuscule in isto peccat. Quid mirum; cum res adeo sit ardua? Jubent igitur in hoc potius imitari Sophoclem. Non refragor. Sed tamen, cum cogito, quam multas Euripidis tragœdias habeamus præ Sophocleis, non injuria aliquis dixerit; nihil mirandum esse, si in pluribus sæpius, quam paucioribus, fuerit peccatum." Et alias de eodem: "Nec tamen tanto inferior Euripides est Sophocle Οἰκονομίᾳ. Sed fortasse sæpius peccasse videtur, quia plura ejus habemus: Qua de re vide in Euripidis Phœnissas προλεγόμενα Hugonis Grotii." Nec tamen absonum prorsus erit in hac controversia, Pythii Apollinis judicium audire, qui Chærephonti, tragico poëtæ, de amico suo Socrate consulenti, hoc Oraculum traditur dedisse*:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερός γ' Εὐριπίδης·
Ἀνδρῶν δ' ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Nec mirari debuit [c] Lilius Gyraldus, Pythiam sacerdotem Iambico jam Trimetro respondisse; cum heroica solita esset oracula reddere: nomina enim certe Socrates et Euripides heroico versui aptare nec ipse potuit Apollo, nec Musæ ipsæ; ut supra monuimus. Quinimo fallitur vir doctus, quod putet, Pythiam non nisi heroicis uti solitam; nam, ut cætera taceam, exstat etiamnum apud [d] Pausaniam Oraculum Delphicum Iambico metro ab ipsa Pythia datum Tisidi Messenio. Sed hæc obiter. Verum ut huic quæstioni tandem aliquem finem ponamus, demus ex veterum sententia Æschylo Στόμα καὶ Ἁπλότητα, Sophocli Μεγαλοφωνίαν καὶ Γλυκύτητα, Euripidi denique Κυριολογίαν καὶ Σοφίαν. Sive, ut [e] Plutarchus, στόμα demus Æschylo, λογιότητα Sophocli, σοφίαν Euripidi. Quanquam Phrynichus apud Photium vocet, Τῶν Τραγῳδῶν Αἰσχύλον τὸν μεγαλοφωνότατον, καὶ Σοφοκλέα τὸν γλυκὺν, καὶ τὸν πάνσοφον Εὐριπίδην.

XXI. Certe ut Euripides in affectibus excitandis præcipue excellit,

a Gerard. Joh. Vossius Institut. Poëtic. l. 2. §. 8.

b Ger. Joh. Vossius de Imitatione §. 6. p. 17.

* Suidas in voce σοφός· Plato, etc.

c Lil. Gyrald. Poët. Histor. Dialog. VII. fol. 271. Quare Anton. van Dalen hunc errorem errat cum aliis.

d Pausan. Messeniacis fol. 120. lin. 1. ad 6.

e De Gloria Atheniensium fol. 348.

ita et in multis aliis cum quovis certare potest. Miram ejus et plane divinam phantasiæ vim, quæ res ad poëticam maxime pertinere visa est,[a] Dionysio Longino laudatam reperimus, critico sane illo haud contemnendo; qui, cum de imaginationis poëticæ viribus plurima nos doceat, Euripidem tandem in ea maxime excelluisse contendit, amoris vero insaniæque affectus felicissime illum et summe tragice expressisse; item in misericordia excitanda, in descriptionibus, narrationibus, ac in reliquis ejusmodi optimum se poëtam præstitisse. Ἔστι μὲν οὖν φιλοπονώτατος ὁ Εὐριπίδης, δύο ταῦτα πάθη Μανίας τε καὶ Ἔρωτος ἐκτραγῳδῆσαι· κἀν τούτοις,[b] εἴ τισιν ἑτέροις, ἐπιτυχέστατος· οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις ἐπιτίθεσθαι φαντασίαις οὐκ ἄτολμος. Postremo hæc addit: Τῷ γοῦν Φαέθοντι παραδιδοὺς τὰς ἡνίας ὁ Ἥλιος,[c] Ἔλα δὲ μήτε Λιβυκὸν αἰθέρ' εἰσβαλών· Κρᾶσιν γὰρ ὑγρὰν οὐκ ἔχων ἁψῖδα σὴν, Κάτω δίεισι — Εἶθ' ἑξῆς· — Ἵει δ' ἐφ' ἑπτὰ Πλειάδων ἔχων δρόμον. Τοιαῦτ' ἀκούσας παῖς ἔμαρψεν ἡνίας, Κρούσας δὲ πλευρὰν πτεροφόρων ὀχημάτων, Μεθῆκεν· αἱ δ' ἔπταντ' ἐπ' αἰθέρος πτυχαῖς· Πατὴρ δ' ὄπισθε νῶτα σειραίου βεβὼς Ἵππευε, παῖδα νουθετῶν· Ἔλα γ' ἐκεῖ· Στρέφ' ἅρμα τῇδε — Ἆρ' οὐκ ἂν εἴποις, ὅτι ἡ ψυχὴ τοῦ γράφοντος συνεπιβαίνει τοῦ ἅρματος, καὶ συγκινδυνεύουσα τοῖς ἵπποις συνεπτέρωται; Οὐ γὰρ ἂν, εἰ μὴ τοῖς οὐρανίοις ἐκείνοις ἔργοις ἰσοδρομοῦσα ἐφέρετο." "An non dixeris," inquit Longinus, "quod animus scribentis simul currum conscendat, et simul periclitatus "una cum equis ipsis volitet? Non enim alias cum cœlestibus illis rebus "æquali cursu raperetur." Hunc sane locum [d] Ovidius, ut mirifico fuit ingenio, aperte tamen in rem suam vertit, in Phaëthontis sui fabula enarranda: eadem et ibi monita filio suo Sol tradit; eadem cura angitur; eundem patris affectum monstrat; ut pluribus probat [e] Jacobus Nicolaus Loensis.

XXII. Aliorum scriptorum importuna supinitas hanc mihi prolixitatem necessariam fecit, inter quos [f] Lilius Gyraldus incogitanter nimis dixit, quod poëtam nostrum arrogantem et superbum Valerius Maximus prodat, quum tamen nobilis is auctor in eo capite et loco, quem Gyraldus designat, nihil omnino tale, imo plane contrarium statuat. Locus quidem tractat de hac re, "Quantam scilicet sui fiduciam virtus habere soleat." Præmissis ergo decem nobilissimorum Romanorum exemplis, omnium externorum primum Euripidem ponit his verbis: [g] "Nec Euripides "quidem Athenis arrogans visus est: cum, postulante populo, ut ex "tragœdia quadam quandam sententiam tolleret, progressus in scenam

a Longinus περὶ ὕψους.

b Thom. Stanleius legit: εἴ τις ἕτερος.

c Vid. in Fragm. Phaëthon. v. 11. etc. ubi hujus loci metrica Interpretatio etc.

d Ovid. Metam. l. 2. c. 1.

e Epiphyllid. l. 4. c. 11.

f Lil. Gyrald. Poët. Hist. Dialog. VII. fol. 265.

g Val. Maximus l. 3. c. 7. De Fiducia sui.

"dixit; se, ut eum doceret, non, ut ab eo disceret, fabulas componere "solere." "Laudanda profecto fiducia est," inquit idem nobilis auctor, "quæ æstimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi arrogans, "quantum a contemtu et insolentia distare satis est. Itaque etiam, quod "Alcestidi, tragico poëtæ, respondit, probabile: apud quem cum que-"reretur, quod eo triduo non ultra tres versus, maximo impenso labore, "deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur; "sed hoc, inquit, interest; quod tui in triduum tantummodo, mei vero "in omne tempus sufficient. Alterius enim fœcundi cursus scripta intra "primas memoriæ metas corruerunt; alterius cunctante stylo elucubra-"tum opus per omne ævi tempus plenis gloriæ velis feretur." Vere hæc quidem Valerius; nam quum hodie ne tres quidem versus, nedum unicus ullus ex innumeris jactabundi istius poëtæ extemporaneis versibus superesse videatur; sed neque ullum illorum vestigium ad Valerii ætatem perduravit; ad quam tamen omnia Euripidis opera salva et integra permanserunt; etiam post Valerii tempora jam mille et octingentos annos supersunt plures istius fabulæ integræ, quam omnes Æschyli, Sophoclis et Aristophanis tragœdiæ et comœdiæ simul sumtæ, ne quid de illius fragmentis hic dicamus: et si quem forte exemplo nostro provocaverimus, auctiorem posthinc visuri illum sunt Nepotes nostri. Qui vero libellum illum Plutarchi περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως legerit, etiam contra Lilii Gyraldi mentem concedet, et Euripidi, et Phocioni ipsi licere aliquando magna de se proferre.

Quod vero Euripides, ut supra memoratur, de seipso fassus est, se triduum fere tribus versibus elaborandis aliquando impendisse, vel, ut alii, vix uno aliquo die tres versus extudisse, docet Nos, quanta cum cura et industria veteres scriptores sibi famam scribendo paraverint. Adeo haud temere Longinus loco supra citato Euripidem φιλοπονώτατον vocat, et Dion Chrysostomus dicit: οὐδὲν παρ' αὐτῷ παρημελημένον. Virgilius sane memoratur [a] adeo scrupulosi et morosi fuisse ingenii, ut, quos uno die quadraginta forte, aut amplius, versus effuderit, dum alio ad limam revocaret, intra septem, aut decem, coërcuisse; adeo ut ipse diceret versus suos similes fœtui Ursino. Nec dissimile quid [b] Plutarchus de Zeuxide pictore memorat, qui, cum Agatharchum, pictorem Atheniensem, audisset gloriantem, se multa magna opera cito absolvisse, respondit: "Ast ego diu in operibus meis hærere soleo."

XXIII. Nec alii desunt testes ad Euripidis ingenii dexteritatem confirmandam; Seneca enim philosophus, in [c] quadam ad Lucilium Epistola,

a Varus apud Quintil. Institut. Orator. l. 10. c. 3.

b Plutarch. in Pericle.

c Senecæ Epist. 115.

ita scribit; " Nec apud tragicos desunt, qui lucro innocentiam, salutem, " opinionem bonam mutant. [a] ' Sine me vocari pessimum, ut dives vo-" cer: An dives, omnes quærimus, nemo, an bonus. Non quare et " unde; quid habeas, tantum rogant. Ubique tanti quisque, quantum " habuit, fuit. Quid habere nobis turpe sit, quæris? Nihil. Aut dives " opto vivere, aut pauper mori. Bene moritur, qui, dum moritur, lu-" crum facit. Pecunia ingens generis humani bonum? Cui non volup-" tas matris, aut blandæ potest Par esse prolis; non sacer meritis " parens. Tam dulce si quid Veneris in vultu micat, Merito illa amores " cœlitum atque hominum movet.' Cum hi novissimi versus in tra-" gœdia Euripidis pronuntiati essent, totus populus ad ejiciendum et " actorem et carmen consurrexit uno impetu: donec Euripides in me-" dium ipse prosiluit, petens, ' ut exspectarent, viderentque, quem ad-" mirator auri exitum faceret.' " Dabat in illa fabula pœnas Bellerophontes, quas in sua quisque dat. Nulla enim avaritia sine pœna est, quamvis satis sit ipsa pœnarum. Alludit vero Euripides duobus ultimis versibus ad auream Venerem, quam vocant poëtæ, et præsertim Homerus; de qua re [b] Eustathius; vel quod auro nihil putetur formosius; vel denique quod jam auro veneat amor, id quod Anacreon dulce queritur; et ex eo Couleius noster suaviter lusit.

Huic autem Euripidis pro Bellerophontis fabula defensioni similis est et illa, [quam [c] Plutarchus testatur eum fecisse in alia haud dissimili causa; quum enim spectatorum nonnulli post actam fabulam quererentur, quod Ixionem populo exhibuerat nimis sceleratum et impurum, respondit Euripides: " Non igitur eum ante de scena eduxi, quam rotæ " affixissem."

Et sane Athenienses tam tersis erant auribus, ut magno opus esset ingenio, magnaque cura illis in scribendo satisdare. Præterea ne quid contra bonos mores, deorum honorem et receptum religionis cultum, aut reipublicæ dignitatem, diceretur, cautum erat per judices; quorum suffragiis etiam de vita auctoris cernebatur. Id quidem aliquando pæne fatale Æschylo fuisse dicitur, nisi Amynias frater accurrens ostendisset humerum brachio privatum, quod fortiter pugnando ad Salaminem pro Græcis amiserat, quando Cynægirus, fratrum alter, occubuit: cujus rei misericordia moti Æschylum, juniorem fratrem, illi Athenienses condonarunt. At [d] Anaxandrides comicus publico decreto fame necatus periit,

a Vid. in Fragmentis Bellerophont. v. 65. ubi septem horum versuum Græce manent.

b Eustath. in Homer. fol. 384. lin. 14. et fol. 1184. lin. 61.

c Plutarch. de Audiendis Poëtis. Vide, quæ nos ad Ixionis Argumentum in Fragmentis.

d Vid. quid nos ad Phœniss. v. 404. et ad Incert. v. 295. Item Lil. Gyrald.

quod quodam carmine Athenienses nimis libere perstrinxisset, teste Eustratio ad Aristotelem; unde Ovidio lux præbetur, qui in Ibin sic canit:

> Utque parum [a] stabili qui carmine læsit Athenas,
> Invisus pereas, deficiente Cibo.

Nec ipse quidem Euripides, quamvis omnia illius dicta severis istis judicibus plusquam placuerint, minus a nonnullis aliis impetitus erat; licet eadem ingenii dexteritas, quæ summorum criticorum sagacitati probata fuerat, invidorum etiam malignitatem eluserit. Ita enim, quod ipse [b] Aristoteles testatur, quando Hygiænon quidam Euripidem impietatis postularet, ut qui carmen fecerit, jubens pejerare: [c] Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος: respondit poëta, "Injuste illum agere, judicia, quæ "ad Dionysiaca certamina et theatrum pertinebant, in forum tradu- "centem. In theatro enim se, quando illam fabulam doceret, rationem "reddidisse, vel certe redditurum, si vellet ille accusationem instituere." Et profecto quanquam is locus, per se sumtus, perjurio patrocinari videatur, qui probe perpenderit, a quo et in quem finem sit dictus in ea fabula, et quod ille, qui dixit, mori maluit, quam etiam temerarium illud juramentum violare, is procul dubio in Ciceronis partes ibit; qui et hunc ipsum versum laudat et explicat his verbis: "[d] Quod enim ita "juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est: quod "aliter, id si non feceris, nullum est perjurium. Non enim falsum "jurare, pejerare est; sed quod ex animi tui sententia juraris, sicut "verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est; scite "enim Euripides: juravi lingua, mentem injuratam gero." Hæc ille. Præterea, ut [e] Grotius observat, multa in tragœdiis sunt, non ex poëtæ sensu dicta, sed congruenter personæ, quæ loquens inducitur.

XXIV. Quod [f] Athenæus ex Ione, Theopompo et aliis ejusdem farinæ contra Euripidis castitatem insimulet, ubi multa quoque de Sophocle haud bona auditu habet, id mihi non magis credibile est, quam quod mox eodem in loco de Epaminondæ ipsius Catamito, Asopicho, proferat, quasi optimus omnium Græcorum turpissimo huic flagitio succumberet, et non potius hoc esset miserabile sceleratorum hominum artificium, suis vitiis magna exempla prætendere: quanquam Athenæus inter plurima illa, quæ ex innumeris auctoribus omnis generis, collegerit, etiam magnam mendaciorum supellectilem habeat, necesse est. Nec

a Parum stabili, i. e., Iambico.
b Aristot. Rhetoric. l. 3. c. 15. fol. 602.
c Hippolyt. v. 608. In quem locum vide quæ Nos et Scholiastes.
d Cicero Officior. l. 3. § 29.
e Hugo Grotius in Præfat. ad Excerpta.
f Athenæus Deipnosoph. l. 13. fol. 604, 605.

tamen, qui hæc de Euripide dixerit, minora flagitia ipsi Socrati affingit. Ita enim videmus, quicquid comicorum maledica libertas in Periclem dicere ausa fuerit, illum indiscriminatim usurpare, utpote cujus propositum erat, non selectos, sed varios, cibos ad mensam ferre. Quare ex modernis potius mihi [a] Daniel Paræus hic audiendus, a quo Euripides vere dicitur "Non minus castitatis, quam poëseos," gloria illustris. Et ab * alio dicitur, "Veneris omnino abstinens fuisse;" hoc est,† σκοτίης Κύπριδος ἀλλότριος. Nam et casti Amoris laudator erat eximius, incestum autem et vulgarem, ante omnia præposterum, ubique acriter damnabat. Ita quidem in Dictye: [b] "Amasse ego illum fateor: ille "autem fuit Non stulta suadens, Veneris aut illex Amor. Nam datus "et alius est Amor mortalibus Justi piique sobriique pectoris. Uti-"namque lex hæc gentis humanæ foret, Ut amare sanctis moribus "spectabile Fas esset: omnis sed fugaretur Venus." Item in [c] Œdipo: Ὁ δ' εἰς τὸ σῶφρον, ἐπ' ἀρετήν τ' ἄγων ἔρως Ζηλωτὸς ἀνθρώποισιν, ὧν εἴην ἐγώ. Quinimo aliis poëtis castitatem præcipue commendat, ut observamus ad Troadas v. 388. Σιγᾷν ἄμεινον ταἰσχρά· μηδὲ Μοῦσά μοι Γένοιτ' ἀοιδὸς, ἥτις ὑμνήσει κακά. Vide quid nos de hac re in Chrysippi fabulæ argumento. Præterea si Euripides a Plutarcho et aliis Ἐρωτικὸς dicatur, caveat lector, ne quid hujuscemodi dictis mali subesse suspicetur; ne quid enim hic dicam de charactere dictionis Euripideæ, qui præcipue ἐρωτικὸς habetur; hic titulus a Theocrito poëta suo Ptolemæo pro laude non levi tribuitur: Εὐγνώμων, φιλόμουσος, ἐρωτικὸς, εἰς ἄκρον ἡδύς. Nemo dixerit, Theocritum Ptolemæi castitatem hoc in loco elevare, aut deprimere, voluisse. Ἐρωτικὸς itaque hic, ut sæpe alias, passive sumitur, pro amabilis, ἔρωτος ἄξιος, amandus; cui omnium amor et vota debentur; eodem modo, quo Titus imperator dictus esset deliciæ humani generis.

Dicitur quidem a Machone comico, [d] quod, cum aliquando Euripides solus in horto versaretur cum stylo scriptorio et pugillaribus, Lais, Corinthia meretrix, illi superveniens diceret: responde mihi, o poëta, quare in Tragœdia scripseris: Ἔρρ', αἰσχροποιέ; Euripides, mulierculæ miratus impudentiam, dixit: σὺ γὰρ εἶναι δοκεῖς τις αἰσχροποιός. At illa ridens excipit: Τί δ' αἰσχρὸν, εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ: Parodia nempe usa ex ipsius [e] Æolo. Potuit sane hoc fieri; nam Laidem, cum esset virgo tenera, captivam fecit ‡ Nicias Atheniensis ex Hyccara, urbe Siciliæ, septimo anno, antequam Euripides Athenas relinqueret; quo

a Daniel Paræus Medulla Historiæ Profanæ p. 132.

* Ravis. Textor. in Eurip. Vita l. 4. c. 27.

† Dionys. Epig. Anthol. l. 3. fol. 274.

b Dictys in Fragm. v. 1. etc. ubi Græca.

c Œdip. in Fragment. v. 17.

d Athenæus l. 13. c. 5. et Paul. Leopard. Emendat. l. 1.

e Vid. Æol. in Fragment. v. 5. et Med. v. 926.

‡ Plutarch. in Nicia.

tempore non est dubium illam meretriciis artibus institutam satis; nec Euripidis poëmatum prorsus ignaram.

XXV. Et hactenus de scriptis et charactere Euripidis; nunc ad priorem methodum redeundum, et quod reliquum est illius vitæ per annales breviter absolvendum, quando prius statum rerum et Atheniensium præcipue per totum hujus auctoris vitæ tenorem, aut præcipuam certe partem, leviter delineaverimus. Et maxima sane portio Euripidis vitæ lætis Atheniensium rebus admodum felix est visa, fortiter gestis gloriosa; statim enim post natum illum, hoc est exactos Medos, (ita enim veteres *) Græci Persas aliquando vocant) Athenienses urbem suam de novo instaurabant, et Piræeum ex Themistoclis consilio ad mare ædificabant, muroque latissimo cingebant. Paulo vero post quum Lacedæmonii sub duce Pausania imperiosius erga Græcas civitates se gererent, Græci fere omnes, exceptis Peloponnesiis, se Atheniensium imperio ducendos tradiderunt. Et hinc Atheniensium potentia in immensum crevit; donec et illi, erga subditos suos durius paulo agentes, multorum animos paulatim a se alienarent, Lacedæmoniorum vero invidiam ad infensissimum odium inflammarent; unde, licet sero tandem, hoc est Olympiadis octogesimæ septimæ secundo, Euripidis autem ætatis anno quinquagesimo, bellum Peloponnesiacum exarsit. Interea vero temporis, haud facile credas, quantum divitiis, ædificiis, victoriis, honoribus, amicis et armis auctum sit Atheniensium imperium: quum enim illis omnes fere [a] Græciæ urbes subditæ essent, ut sub felicioribus eorum auspiciis Barbarorum injurias rependerent, a confœderatorum pluribus ingens ad hoc bellum pecuniæ vis quotannis solvebatur, tributi, aut vectigalis, nomine; quæ primo ab *Ἑλληνοταμίαις* collecta, publicis Græciæ thesaurariis, velut sacra et communis pecunia in Delo apud deum Apollinem reponebatur in usus belli; mox ad Atheniensium arbitrium, qui fere soli hujus belli onus gestarent, disposita erat. Ita quidem Athenienses classem sibi et urbem et exercitus alienis sumtibus compararunt; nec belli tantum totius sumtus, sed et domesticæ luxuriæ. Ex hac enim pecunia Pericles, Atheniensium princeps, urbem Athenarum templis, theatris, odeis musicis, columnis, statuis, porticibus, thermis, picturis et aliis magnificis ædificiis et decorationibus auxit et ornavit; adeo ut longe supra reliquas Græciæ, imo totius orbis, urbes caput suum extulerit. Hinc Pindarus, qui hujus urbis magnificentiam vidit et plus semel admiratus est, aliquando vocat hanc urbem *λιπαρὰς καὶ ἀοιδίμους Ἀθήνας, Ἑλλάδος ἔρεισμα*, et aliquando *μεγαλοπόλιας Ἀθήνας*

* Vid. J. Rualdi Animadvers. 50. in Plutarch.

[a] Thucydid. l. 1; et Plutarch. in Pericl.

nominat; et Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι Thucydidi dicuntur in Euripidis epitaphio ad finem hujus tractatus; de quo loco et laude Athenarum adeundus est[a] Eustathius in Homerum. Sed Plutarchus singulari libro de Athenarum magnificentia et laudibus tractavit, ne quid hic de variis Meursii scriptis dicam huc pertinentibus. Egregie vero comicus Lysippus hanc urbem præ cæteris insignivit his verbis:

Εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ·
Εἰ δὲ τεθέασαι, μὴ εὐαρεστήσας δ', ὄνος·
Εἰ δ' εὐαρεστῶν ἀποτρέχεις, κανθήλιος·
Αὕτη πόλις ἔσθ' Ἑλληνὶς, Ἑλλάδος κλέος.

Si nusquam Athenas videris, es stipes merus;
Sin videris, nec placuerit, te asinum voco;
Sin placuerit, non incoles, asinum magis:
Hæc civitas est Græca, Græciæ decus.

Hæc itaque conditio fere urbis Athenarum, dum Euripides vixit; nam, exceptis peste et clade Siciliensi, nullum magnum Athenis malum omni eo tempore contigit, bona plurima; et vix ullam aliam ex mundi primordiis puto ætatem tot egregiis poëtis, philosophis, historicis, rhetoribus, medicis, floruisse, quot, qui intra hoc spatium aut nati, aut mortui, exstiterint, ut ex Olympiadum descriptione et hoc ipso tractatu colligendum. Athenæ autem a Lysandro captæ sunt (ut mox probabimus) ad minimum biennio post Euripidis mortem; quando et triginta tyranni iis impositi; quibus mox dissolutis successere quadraginta viri. Inter hos vero Euripidem[b] qui ponunt, egregie falluntur, quinquennio nempe tunc defunctum. Sed jam ad Euripidem recurrendum. Anno itaque

Euripidis Vit. A. 19.

Euripidis ætatis decimo nono, Olympiadis nempe septuagesimæ nonæ anno secundo, Tlepolemus erat archon Athenis. Quo anno * Ægyptii, rebellantes in Persas, Inarum, Psammetichi filium, sibi regem creant, et magnis muneribus oblatis Atheniensium patrocinium implorant; qui, missis ducentis navibus, quas tunc temporis circa Cyprum occupatas habebant, magna clade Persas in Ægypto profligabant, et ibi per sex annos suo fere arbitrio agebant, donec tandem a Megabyzo, Zopyri filio, ipsi cum Ægyptiis penitus subjugati essent, et fusi. Et ad hanc historiam alludit Aristophanes in Pluto: Ἡ ξυμμαχία δ' οὐ διὰ σὲ τοῖς Αἰγυπτίοις; Palmerius hujus rei ignorantia, quid putaret, nullam societatis cum Ægyptiis publico nomine factæ mentionem apud historicos, nescio quid de Chabria comminiscitur et Nectanebo; cum tamen

a Eustath. fol. 284.
b Eustathius in Homer. fol. ad Euripid. 1289. lin. 61. Cæl. Rhodig. l. 20. c. 37.
* Thucydid. l. 1. fol. 33. et 35.

ipse Aristophanis Scholiastes hanc Inari et Atheniensium societatem attingat. Proximo anno Conon erat archon Athenis, quo anno, frustra sunt, qui Pindari mortem ponunt, quum quatuor post annis videbimus illum Pythionicam celebrantem, et sex præterea post annis Olympionicam alium. Sequentis anni archon erat Euippus, sub quo Alexander Dives, Macedoniæ rex, moritur. Hic erat ille Amyntæ filius, qui juvenis [a] Persarum legatos ad patrem missos, cum nimis lascivirent inter pocula, ad unum omnes interemit; idem nocte ante pugnam ad Platæas non sine vitæ [b] suæ periculo Athenienses monuit de futura pugna. Perdiccas secundus, illius filius, in regno succedit, undecimus Macedonum rex. Octogesima jam Olympiade ineunte Phrasiclides erat archon. Olympionicæ autem hujus anni erat Torymbas, alias Toryllas, Thessalus stadio, Arcesilaus Cyrenæus curru, Alcimedon puer lucta, quem etiam [c] Pindarus poëta celebrat. Amesinas autem Barcæus virorum vicit lucta, qui aliquando, cum boves pasceret, se cum tauro exercebat, quem postea ad Pisam ferens iterum cum eo pugnabat. Hoc anno Œbotæ, viro Dymæo, stadii olim victoriam Olympiade sexta adepto, statua ex oraculo Delphico erigitur. Democritus Abderita nascitur, ut Apollodorus in chronicis testatur, quanquam alii illius natalitia statuant ad Olympiadis septuagesimæ septimæ annum primum, Thrasyllus ad annum tertium ejusdem. Hippocrates quoque Cous, medicorum Deus, hoc anno natus dicitur a Sorano. Philocles archon annum suum vidit patriæ felicem; quandoquidem hoc anno, qui erat Euripidis vicesimus secundus, Athenienses [d] Corinthios, Epidaurios et Peloponnesios, deinde et Æginetas vincunt. Fabula Æschyli Agamemnon docebatur, primus Æschylus Agamemnone, Choëphoris, Eumenidibus, Proteo satyrico, quæ fabulæ tetralogia Orestæa dictæ erant: Xenocles Aphidnæus apparatum scenicum exhibuit. Paulo post Æschylus in Siciliam abiit, vel sponte præ pudore, quod theatri tabulata in ultima didascalia cecidere, ut [f] Suidas ait, vel quod Atheniensium uxores Eumenidibus suis nimium terrefecerit, coactus solum vertere; ut alii. Nescio, quomodo concilietur interpretatio, ingeniosa licet, Josephi Scaligeri, quod videl. theatri tabulata fuerint lapsa idem sit, quod victoria excidere, in quem sensum et illud, fregit subsellia versu, torquet, nescio, inquam, quomodo hæc interpretatio concilietur cum illo didascalio, quod victorem nunc Æschylum pronuntiat. Bion erat archon Euripidis anno vicesimo tertio, quem et Abion alii dicunt, haud bene. Megarensium et Atheniensium bellum [g] de finibus. Thrasydæus puer

Euripides Vit. A. 20.

OLYMP. 80. An. 1. Euripidis Vit. A. 21.

Euripidis Vit. A. 22.

Euripidis Vit. A. 23.

a Justin. l. 7.
b Plutarch. in Aristide
c Pindar. Olymp. Od. VIII. Vid. Joh. Meursii Archontes Athen. l. 2. c. 17.
d Thucydid. l. 1. fol. 34.
e Aphidna Demus Atheniensis ad Tribum Leontidem pertinens.
f Vid Joh. Meursii Archontes Atheni-enses l. 2. c. 19.
g Thucydid. ibid.

Thebanus stadio viros vicit, in Pythiade tricesima tertia, quam victoriam celebrat quoque [a] Pindarus poëta. Hoc anno videtur Euripides, ut castitati, quam unice colebat, melius consuleret, uxorem duxisse Chœrinam, Mnesilochi filiam, ex qua primogenitum Mnesilochum habuit, Xenophontem, Mnesarchidem et Euripidem. Quod Xenophon a me addatur reliquis illius ab aliis auctoribus memoratis filiis, id ex Thucydide colligo; qui anno belli Peloponnesiaci secundo et tertio de Xenophonte [b] quodam, Euripidis filio, Atheniensium ad Potidæam duce, meminit. Solus autem Euripides noster, qui primus erat illius nominis, eo tempore filium potuit habere illius ætatis; quum ipse eo anno quinquaginta trium esset annorum. Non me latet, seniorem nostro Euripidem a
Euripidis Vit. An. 24. Suida memorari; sed is quidem error palpabilis; si modo vera Euripidis nostri nominis causa et occasio a veteribus assignetur. Mnesithides, sive Mnesitheus, sequentis anni archon, quando Lysias orator, Cephali filius, ex Syracusanis parentibus, natus est Athenis, ut ait
OLYMP. 81. An. 1. Dionysius. Thebani et Corinthii sub [c] Myronida, Atheniensium duce,
Euripidis Vit. A. 25. celebri prœlio vincuntur ad Megaram. Euripidis ætatis anno vicesimo quinto, Olympiade octogesima prima ineunte, archon erat Callias.
Euripidis Vit. A. 26. Olympionica Polymnestus Cyrenæus stadio. Quo tempore [d] Æschylus
Euripidis Vit. A. 27. poëta moritur in Sicilia, annos natus sexaginta novem, sive septuaginta. Proximo anno, quando Sosistratus erat archon, Atheniensibus et Peloponnesiis quinquennales factæ induciæ, de qua re [e] Thucydides adeundus; Pindari mortem [f] Johannes Meursius ponit ad annum sequentem, cujus Ariston erat archon; quem tamen ad minimum duobus post annis vivum et sanum mox probabimus.

Euripidis Vit. A. 28, 29. Hac Olympiade exeunte Lysicrates erat archon; ineunte octogesima secunda, Chærephanes; quando Olympionicæ erant Lycus Thessalus, stadio; Psaumis autem Camarinæus, quadriga, curru mulabus juncto
OLYMP. 82. An. 1. et celete equo. Cujus victoriam celebrat [g] Pindarus jam septuagenarius, nec ultra certamina Græcorum celebravit, quod ex iis, quæ hodie supersunt, colligendum. Ion Chius, poëta tragicus, lyricus et philosophus, Orthomenis filius, cognomento autem Xuthi, tragœdias cœpit
Euripidis Vit. A. 30, 31. docere. Chærephanem excepit Antidotus archon, illum Euthydemus; cujus tempore Cimon,[h] Atheniensium dux, Persas juxta Cyprum navali
Euripidis Vit. A. 32, 33. prœlio fundit; mox et ipse Cypro moritur. Unde pax insecuta est inter Artaxerxem et Athenienses. Pedieus tum erat archon; quem excipit Philiscus, sub quo Crison Himeræus Olympionica erat stadio,

a Pythion. Od. XI. Et tamen idem Thrsydæus Puer dicebatur annis ante hæc 21. Olympiad. videl. 75. an. 3.
b Thucydid. l. 2.
c Thucydid. l. 1.
d Vid. Sam. Petit. Miscell. l. 3. c. 14. Tho. Stanleii Comment. in Æschyl. fol. 703. Rich. Bentleii Epist. ad Malalam. p. 50.
e Thucydid. l. 1.
f Archont. Athen. l. 2. c. 16.
g Pindar. Olymp. IV.
h Thucydid. l. 1. Plutarch. in Pericle.

ut et duabus proxime sequentibus Olympiadibus. Anno autem tertio hujus Olympiadis, quando, Timarchidis anno exacto, Callimachus erat archon, regni Perdiccæ, Macedoniæ regis, anno decimo quarto, Eubœa ab Atheniensibus deficit, quam tamen anno sequente Athenienses recuperantes, Hestiænses ejiciunt et coloniam inferunt, Lysimacho archonte. Huic Praxiteles succedit, sub quo floruit Melissius Samius, philophus, Protagoras et Empedocles Agrigentinus. Praxitelem sequitur Lysanias archon, quando Athenienses ad Sybarim coloniam mittunt, post Thurios dictam; inter quos Herodotus Halicarnasseus, 42 annos natus, quem tribus retro annis in [a] Panathenæis Athenienses publicis honoribus mactarunt ob historiæ merita (ut post [b] Hippocrati fecerunt ob medicinæ laudes) et Lysias orator, jam quindecennis, numerati sunt. Euripidis Vit. A. 35, 36, 37, 38, 39.

XXVI. Jam Diphilus erat archon Athenis, et [c] quando Euripides quadragenarius existens primo vicit in Panathenæis tragœdiam exhibendo. Duodecim legum tabulæ Romæ sunt confectæ. Timocles archon sequitur; sub quo Pericles [d] Samum expugnat et Byzantium capit. Myrichides archon succedit, sub quo decreta contra comœdos. Euripidis Vit. A. 40, 41, 42, 43, 44, 45. Post sequitur Glaucides; sub quo belli Corinthiaci initium cadit; quod Thucydides describit et Plutarchus in Pericle. Proximo anno, Theodoro nempe archonte, Pericles et Sophocles tragicus, Atheniensium duces, Anæam, Samiorum urbem, capiunt. Tum Euthymenes archon; quando decretum contra comœdos sub Myrichida factum revocatur; et Aristophanis * Acharnenses docebantur Lenæis per Callistratum. Aristophanes primus, secundus Cratinus χειμαζομένοις, Tertius Eupolis Neomeniis. Athenienses Amphipolin condiderunt, et arcis suæ vestibula ædificare cœperunt, sub Periclis auspiciis, Mnesicle architecto, ut Philochorus in quarto. Quinque autem annis opus absolutum; talenta bis mille et duodecim expensa. Quinque vero portas fecerunt, per quas in arcem adscendebant, ut Heliodorus in primo de Athenarum Acropoli. Octagesima sexta Olympiade ineunte, archon erat Nausimachus, alias Lysimachus [e] Murrhinusius. Euripidis Vit. A. 46. Olympionica Theompopus, alias Diopompus Thessalus, stadio. Isocrates orator natus. Phrynichus Atheniensis comicus, inter secundos antiquæ comœdiæ scriptores, docuit primo. Tum Antilochides archon, et Chares post illum, et deinde Apseudes; sub quo Meton, Pausaniæ filius [f] Leuconicus, astronomorum suæ ætatis Euripidis Vit. A. 47, 48, 49.

a Euseb. Chron. Canon.

b Decretum Atheniensium exstat inter Hippocratis et Galeni opera.

c Ex Marmor. Oxon.

d Thucydid. l. 1. Plutarch. in Pericle.

* Alii hoc ponunt ad Olympiad. 88. ann. 3. Euthydemo archonte. Vid. Sam. Petiti Miscell. l. 1. c. 4.

e Μυῤῥινοῦς δῆμος Πανδιονίδος φυλῆς.

f Λευκόνιον δῆμος Λεοντίδος φυλῆς

præstantissimus, solarium in Pnyce, loco, ubi ecclesiæ congregari solebant, posuit Athenis, et quam vocabant Enneacaidecaëterida edidit. Ipse autem vernas conversiones hoc anno observavit.

Euripidis Vit. A. 50. Olympiade octogesima septima ineunte, Euripidis anno quinquagesimo, Pythodorus erat archon: Sophron Ambraciotes Olympionica stadio. Aristomenes inter secundos veteris comœdiæ auctores floret. Euripidis [a] Phœnissæ, Hypsipyle et Antiope docentur, primus Euphorion, secundus Sophocles, tertius Euripides. Argumentum Medeæ hanc tetralogiam huic anno assignat, Medeam, Philocteten, Dictyn, Messores Satyros. Aurea Minervæ statua erigitur in templo magno, auri pondus habens talentorum quadraginta quatuor, Pericle dedicante, Phidia auctore, ut tradit Philochorus et Plutarchus in Pericle.

Euripidis Vit. A. 51. Proximi anni Euthydemus archon. Bellum Peleponnesiacum incipit, quod descripsit Thucydides, Olori filius. Anno Euripidis vitæ quinquagesimo primo, Chrysidis, sacerdotis Argivæ Junonis, quadragesimo octavo, Herodotus Halicarnasseus, historicorum princeps, moritur Thuriis quinquagesimo secundo ætatis anno. Pindarus moritur nonagenarius.

Euripidis Vit. A. 52. Apollodorus archon. Annus secundus belli Peloponnesiaci. Plato nascitur, ut [b] Athenæus; licet alii ad proximum annum illius natales rejiciant, quando Epameinon erat archon. Euripidis Hippolytus Coronatus sub hoc docetur. Primus Euripides, secundus Iophon, tertius Ion. Athenienses Potidæam capiunt. Archidamus, rex Lacedæmoniæ, Platæas, Bœotiæ urbem, Athenis amicam, gravi obsidio cingit.

Euripidis Vit. A. 53. Tertius annus belli Peloponnesiaci, cujus mense sexto Pericles moritur, peste magna Athenis grassante, quam descripsit Thucydides. Xenophon, Euripidis filius,[c] dux Atheniensium, post multa egregia edita facinora, in bello perit. Perdiccas, rex [d] Macedoniæ, moritur, quum regnasset viginti octo annis. Regno succedit illius filius Archelaus; de quo mox plura dicturi sumus; quandoquidem is est, qui ob Euripidis amicitiam tantum nominis apud literatos est adeptus.

Euripidis Vit. A. 54. Sequentis anni Diotimus archon, Olympiadis nempe octogesimæ octavæ anni primi; quo anno victor erat Symmachus Messenius e Sicilia stadio: Megacles Atheniensis quadrigis; qui Megacles, ut puto, filius erat alterius ejusdem nominis, qui quinquagesimo antehac anno Pythiada vicesimam octavam vicit, quam et [e] Pindarus celebravit. Præterea Dorieus, Diogoræ filius, Rhodius, vicit pancratio jam secundo. Anaxagoras Clazomenius, philosophus, Euripidis præ-

a Scholiast. Aristoph. fol. 132

b Athenæus l. 5. c. 18.

c Thucydid. l. 2. anno Belli Peloponn. 2. et 3.

d Athenæus l. c. 18. Et anonymus auctor Olympiadum apud Eusebium. Vid. infra Olympiad. 90. an. 1.

e Vid. Olympiad. 75. an. 3. et Meursii Archont. Athen. l. 3. c. 4. ubi tamen male Pindari Scholiasten emendat, legens pro ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα, ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Ὀλυμπιάδα, cum legendum esset εἰκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα.

ceptor, moritur anno ætatis septuagesimo secundo. Sunt, qui ad hunc annum Platonis nativitatem statuant. Archidamus, rex Lacedæmoniorum, moritur. Agis, ejus filius, in regno succedit. Belli Peloponnesiaci annus quartus. Annum ejusdem quintum excepit Euclees archon; sub quo Leontini a Syracusanis bello petiti per Gorgiam oratorem, civem suum, ad Athenienses legationem faciunt, unde prima belli Siculi semina sparsa. Lesbii ab Atheniensibus deficiunt. Platæenses fame tandem victi se Lacedæmoniis dedunt, a quibus ad unum omnes cæduntur, una cum viginti quoque Atheniensibus, ut * Thucydides testatur. Quod tamen Lacedæmoniorum factum eo detestabilius videbatur, quoniam hi Platæenses in bello Persico de tota Græcia haud parum meruerant, quarum rerum consideratione multo post Alexander Magnus Plateam restauravit, et dispersas undique Platæensium reliquias in unum congregavit, ut testatur Plutarchus in Aristide. Euripidis Vit. A. 55.

XXVII. Quinquagesimi sexti Euripidis vitæ anni archon erat Euthydemus; quando prodigia haud pauca contigere, nam post [a] cometen, qui mense Gamelione præcedentis anni apparuit, Atalante insula juxta Locros Opuntios, in qua erat Atheniensium præsidium, fere tota jam maris illuvie superfusa est, teste Thucydide; et nunc iterum [b] mons Ætna flammas eructabat. Delus ab Atheniensibus expiatur. Hipponicus, Atheniensium dux, una cum Nicia, Nicerati filio, Tanagræos, Bœotorum socios, fundit. Hic annus belli Peloponnesiaci sextus. Ejusdem septimo Stratocles archon; sub quo eclipsis lunæ, mense Boëdromione: Aristophanes docet Equites Lenæis, [c] primus ipse, secundus Cratinus Satyris, tertius Aristomenes Ὁλοφύρσις. Isarchus archon octogesimæ nonæ Olympiadis anno primo, belli Peloponnesiaci octavo, Euripidis vitæ quinquagesimo octavo. Olympionicæ, Symmachus Messenius e Sicilia stadio, secundo. Dorieus, Diagoræ Rhodii filius, pancratio, tertio. Hellenicus, Alcæneti filius, cæstu. Atheniensium et Lacedæmoniorum induciæ, mense Elaphebolione factæ. Aristophanes Nubes primo docet, sed explosus est; Cratinus primas tulit fabula Putina dicta; secundas Ameipsias fabula, cui nomen Κοννόν. Atheniensium [d] juxta Delium, oppidum Bœotiæ, in Tanagra clades. Ameinias, vel Amynias, anni sequentis archon: quando Aristophanes Nubes secundo exhibuit, haud multo majori cum successu. Ejusdem Vespæ primo actæ Olympiis in urbe, secundo Lenæis. Templum Junonis hoc anno incensum, de qua [e] re supra diximus. Alcæus proximus archon, sub quo

Euripidis Vit. A. 56. Euripidis Vit. A. 57. Euripidis Vit. A. 58. Euripidis Vit. A. 59.

* Thucydid. l. 3.
a Aristot. Meteorolog. l. 1. c. 6.
b Thucydid. l. 3. fin.
c Scholiast. ad Equites.
d Thucydid. l. 4.
e §. viii. in fine.

Euripidis Vit. A. 60. Eupolis fabulam Κόλακας docuit. Brasidas Laco, re strenue ad Amphipolin gesta, (plurimisque Atheniensium contra pugnantium cæsis, quos inter et Cleon ille demagogus cecidit) et ipse casu cadens vitam heroice mutavit. Atheniensium et Lacedæmoniorum [a] induciæ quinquagenariæ. Euripidis Vit A. 61. Aristion archon: Eupolis Autolycum fabulam docet, Pherecrates fabulam, cui nomen [b] Ἄγριοι, non, ut nonnulli, Ἀργεῖοι. Astyphilus, alias Euripidis Vit. A. 66. Aristophilus, archon. Olympias nonagesima. Victores Hyperbius Syracusanus stadio; Theantus puer cæstu; Androsthenes Arcas pancratio. Lacedæmonii a templo Jovis Olympii et a sacro certamine ab Eleis exclusi; de qua re Thucydides libro quinto. Lacedæmoniorum contra Athenienses bellum rursus exardescere cœpit. Athenienses fœdus ineunt mutuum cum Argivis, Mantinæis, et Eleis in centum annos. Perdiccas, rex Macedoniæ, hoc anno moritur, et Archelaus succedit, ut Euripidis Vit. A. 63. marmora Oxoniensia. Archias archon. Bellum Lacedæmoniorum contra Argivos, ob eorum commissa in Troezenios, Lacedæmoniorum socios. Euripidis Vit. A. 64. Euripides [c] Andromachen exhibens vincit. Antiphon archon. Argivi et Lacedæmonii, legatis hinc inde euntibus, pacem inter se et mutuum pangunt auxilium. Euripides [d] Supplices docet. Athenienses Melios delent. Euphemus archon. Agatho tragœdus coronatur Lenæis. Hic annus Platonis decimus quartus, Euripidis sexagesimus quartus. Aristomnestus, alias Arimnestus, archon. Olympias nonagesima prima. Victor Exænetus Agrigentinus stadio; Evagoras Elæus synoride perfecta primus. Xenocrates philosophus natus. Archippus Atheniensis, comicus vetus, vicit semel. Certant simul Xenocles et Euripides, et primus erat Xenocles Œdipo et Lycaone et Bacchis et Athamante satyrico; secundus Euripides Alexandro et Palamede et Troibus et Sisypho Satyrico. De qua re [e] Ælianus queritur in Varia Historia, et Agellius [f] his verbis: "Menander a Philemone, nequaquam pari scriptore, in certaminibus comœdiarum ambitu, gratiaque et factionibus sæpenumero vincebatur. "Eum quum forte habuisset obviam: Quæso, inquit, Philemo, bona "venia, dic mihi; quum me vincis, non erubescis? Euripidem quoque "M. Varro ait, quum quinque et septuaginta tragœdias scripserit, in "quinque solis vicisse; quum eum sæpe vincerent aliqui poëtæ ignavissimi." Et, ut idem Agellius ex Apollodori chronicis, nobilissimus ipse comicorum, Menander, quum circa centum et octo comœdias scripserit, octies tantum vicisse dicitur. Alii tamen Euripidem quindecim victorias reportasse asserunt; quare Isaacus Casaubonus in Agellio pro Quinque

a Thucydid l. 5.
b Joh. Meursii Archont. l. 3. c. 7.
c Vid. quæ nos ad Andromach. v. 732.
d Vide Argum. Supplic.
e Ælian. Var. Hist. l. 2. c. 8.
f Agell. l. 17. c. 4. Vid. Meursii Lect. Attic. l. 3. c. 28. et Archont. Athen. l. 3. c. 9.

legit quindecim; quoniam Græci, inquit, scriptores testantur, Euripidem νίκας νικῆσαι πεντεκαίδεκα. Sed non Euripides, ut Æschylus, nimis ægre hanc rem tulisse dicitur. Fortius ille ex veræ philosophiæ præceptis loricatus ac munitus, quam ut virilem animum vulnus attingeret.[a] Quinimo Timotheum, excellentissimum musicum, quando ob theatri exsibilationes frangeretur, dicto suo confirmavit; theatra ipsa brevi ad ipsius arbitrium fore spondens. Videtur autem, ut obiter hoc notem, hic Xenocles filius fuisse Carcini poëtæ; de quo Aristophanis [b] Scholiastes, ut rudi et impolito, loquitur: υἱὸς Καρκίνου, Ξενοκλῆς, κωμῳδεῖται, ὡς ἄξεστος ἐν τῇ ποιήσει. Et ipse [c] poëta: Ὁ δ' αὖ Ξενοκλῆς ὢν κακὸς κακῶς ποιεῖ.

XXVIII. Juxta hoc tempus Archelaus, rex Macedoniæ, cum literarum studio præ cæteris mortalibus flagaret, ideoque plurimis doctis viris dona mitteret, alios etiam in Macedoniam invitaret, Amphiam Macedonem Athenas misit, qui argentum inter alios Euripidi deferret; et Clito, nobilis Macedo, regis amicus et consiliarius, literas subjunxit, quibus hortatur Euripidem, ut regis benevolentiam acciperet. De qua re prima Euripidis epistola, quæ exstat, tractare videtur. Sed quum iisdem sua argumenta præfigenda curaverimus, hoc solum hic loci addendum, priores quatuor fere ad hæc tempora pertinere; de quinta alias dicemus. Quod vero vir magnus mihi per literas aurem vulserit, dicens, Pellæi istius senis, de quo epistolæ prima, tertia et quarta, nomen male abesse, et magnum hoc esse signum sophisticæ ληκύθου, sciendum est, nihil hæc apud me valere; quum enim ex ipsa priori harum epistola pateat, aliam de re eadem prius scriptam; eo debet animus ad nomen recurrere; nec enim nos omnes de rebus utrique parti satis jam notis aliter solemus scribere. Quid enim alias impediret, quo minus nomen aliquod affigeret huic seni sophista ille, (si forte auctor esset sophista) qui tam bene [d] Clitonem facit Macedonicum virum, et Amphiam et Lapretam et Chionidem et Antigenem medicum nominatim appellat. Quod ad convicium attinet [e] Sophocli ab Euripide factum περὶ παιδικῶν, cui Sophocles acuto quodam epigrammate respondet, credibile est, hæc contigisse media Sophoclis ætate, cum juvenis adhuc esset Euripides, diu antequam amici inter se facti fuerint; quanquam tamen ex neutra parte insanabilis injuria fieri videatur. Et in quinta epistola ad Cephisophontem fatetur ipse Euripides, sero se in amicitiam Sophoclis venisse; licet semper eum æstimarit. Nec, quod objicit vir doctus, putandum est, secundam epistolam

a Plutarch. εἰ πρεσβ. πολιτευτέον, f. 795.
b Fol. 133.
c Thesmoph. f. 516.
d Meursii Archont. Atheniens. l. 4. c. 14. de Clitone Macedone Olympionica.
e Athenæus l. 13. fol. 604.

Schocli esse scriptam, quando una cum Pericle dux esset contra Samios, licet tum etiam ad Chium [a] appulsum constet; hæc enim decem annis ante ipsum bellum Peloponnesiacum contigerunt; quando nondum inter se facti essent amici Sophocles et Euripides: sed diu post Sophocles ob privata negotia putandus est ad Chium insulam navigasse; sicut et ipse Euripides aliquando in Icarum [b] insulam navigarit; quod observamus in epigrammatum [c] argumentis ex Eparchide. Quanquam, quod [d] Diogenes Laërtius tradit, de Euripidis cum Platone in Ægyptum navigatione, ubi ægrotans poëta marina aqua suffusus revaluisse dicitur; unde illud: Θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά: id quoque criticorum insomnium; ut ex ætate * Platonis colligendum; qui decimum septimum ætatis annum agebat, quando Euripides iret in Macedoniam, vicesimum, quando e vita migraret. Quod si Cephisophonti et Sophocli quid habeant hæ epistolæ commune, ex nota historia; ne hoc sodes obsit; sed illorum potius gratia etiam ignotis fidem habeamus; præsertim cum hic nihil vulgare, tritum, aut incongruum, imo omnia elegantia, pia, docta, et summe Attica sint; et etiam postea patebit, Sophocli percarum fuisse Euripidem, licet, ejusdem esset uterque studii, Quod si putidum videatur, illum prævidisse, se moriturum ἐν γῇ βαρβάρῳ, id quod contigit; notandum quoque, hunc poëtam etiam præsupposuisse, Archelaum ex statu regio aliquando posse excidere; quod factum non est; quid vero mirum erat, si Euripides, plusquam septuagenarius, sibi in peregrina terra moriendum jam putaret? Quod autem Macedoniam etiam βάρβαρον γῆν vocat, (quod tamen nemo mihi hactenus objecerit) id plane Atticum quid spirat; nam ut cæteri Græci, omnes non Græcos, barbaros putarent; ita Athenienses fere reliquos Græcos, præsertim, qui aristocratia, aut monarchia, uterentur, et Ioniam, aut extremas Græciæ partes et barbarorum confinia, incolerent, pro barbaris habebant. Quare et aliquando ipsos Laconas, et Eleos, et Eretrienses, (ne dicam Caras, quos etiam Homerus βαρβαροφώνους appellat,) eo nomine vocari videbimus; quod [e] Eustathius probat.

Euripidis Vit. A. 64. XXIX. Eodem [f] anno, belli nempe Peloponnesiaci decimo sexto,

a Athenæ. l. 13. fol. 603. Vide Thucyd. l. 1. de bello Samio.

b Athenæ. l. 2. c. 19.

c Vide infra in ind. in Eurip.

d Diog. Laërt. in Platone et Jac. Dur. Caselii Variar. l. 1. c. 3.

* Quare Zacharias Bogan in libro, cui titulus, Homerus Ἑβραΐζων, p. 249. quando hanc rem narraverit, in margine ait; "Et quidem de hac historia dubito.' Verba autem θάλασσα κλύζει etc. exstant Iphigen. Taur. v. 1201. quem locum videsis.

e Eustathius in Homerum fol. 279. et 367.

f Scholiastes Aristophanis Argumento Avium.

Athenienses bellum contra Syracusanos decernunt, cui præponuntur Nicias, Lamachus et Alcibiades; qui tamen ultimus brevi post ex Sicilia avocatur per Salaminiam navim, ad causam dicendam circa mutilationem Mercuriorum; sed is secundum illud, [a] ἐξὸν φεύγειν, μὴ ζήτει δίκην, evasit eorum manus et ingratæ patriæ iratus, proximo post anno persuasit Lacedæmoniis, ut Athenienses in Sicilia vellent adoriri. Chabrias tunc erat archon; sub quo * Aristophanis Aves et Euripidis [b] [Euripidis Vit. A. 65.] Andromeda docentur; quando et Athenienses talentum edicto proposuerant illi, qui Diagoram atheum occiderit. Pisandrus mox archon [Euripidis Vit. A. 66.] fit, quando Lacedæmonii, ab Alcibiade incitati, inducias cum Atheniensibus factas solvunt, et Gylippum in Siciliam mittunt; annoque proximo, quando Cleocritus, alias Clearchus, archon fuit, sub Agide, Archidami [Euripidis Vit. A. 67.] filio, et Alcibiade Atheniensi, ducibus, locum validum occupant, Deceleam dictum, quem propugnaculum contra Atticam faciunt; unde bellum vocabatur Deceleiacum. Eclipsis lunæ. Clades Atheniensium in Sicilia, simul ducum Demosthenis et Niciæ cædes; de quibus Thucydides sexto et septimo historiarum et Plutarchus in Nicia. Hanc publicam et miserabilem patriæ suæ calamitatem Euripides epicedio elegiaco luxit, eleganti sane et auctore suo undiquaque digno carmine, quod ex unico illo ejusdem fragmento apud Plutarchum [c] servato colligendum. Euripidis tamen gloria in tantum jam patriæ suæ profuit; ut levior hæc ipsa calamitas illius causa fieret. Plurimi enim Atheniensium captivorum, qui illi cladi superfuerant, quotquot hujus poëtæ versus aliquos memoriter tenerent, illius causa servati sunt. Μάλιστα γὰρ, ut [d] Plutarchus rem narrat, ὡς ἔοικε, τῶν ἐντὸς Ἑλλήνων ἐπόθησαν αὐτοῦ τὴν μοῦσαν οἱ περὶ Σικελίαν· καὶ μικρὰ τῶν ἀφικνουμένων ἑκάστοτε δείγματα καὶ γεύματα κομιζόντων ἐκμανθάνοντες, ἀγαπητῶς μετεδίδοσαν ἀλλήλοις· τότε γοῦν φασι τῶν σωθέντων. οἴκαδε συχνοὺς ἀσπάσασθαι τὸν Εὐριπίδην φιλοφρόνως, καὶ διηγεῖσθαι τοὺς μὲν, ὅτι δουλεύοντες ἀφείθησαν, ἐκδιδάξαντες, ὅσα τῶν ἐκείνου ποιημάτων ἐμέμνηντο, τοὺς δ', ὅτι πλανώμενοι μετὰ τὴν μάχην, τροφῆς τε καὶ ὕδατος μετέλαβον, τῶν μελῶν ᾄσαντες. οὐ δεῖ δὲ θαυμάζειν· ὅτι τοῦ Καυνίου φασὶ πλοίου προσφερομένου τοῖς λιμέσιν ὑπὸ ληστρίδων διωκομένου, μὴ μάχεσθαι τὸ πρῶτον, ἀλλ' ἀπείργειν· εἶτα μέντοι διαπυνθανομένους, εἰ γινώσκουσιν ᾄσματα τοῦ Εὐριπίδου, φησάντων ἐκείνων, οὕτω παρεῖναι καὶ καταγαγεῖν τὸ πλοῖον. Ad priorem narrationem alludens erupit tunc temporis inter Athenienses proverbialis [e] senarius, de non apparentibus post Siciliam cladem Atheniensibus:

a Plutarch. Apophthegm.
* Scholiast. Aristoph. ad Aves.
b Scholiast. Aristoph. f. 132.
c Plutarch. in Nicia. Vid. Fragment. titulo, Ἐπικήδειον.
d Plutarch. ibid. ad finem.
e Apostolius Centur. 10. §. 4.

Ἤτοι τέθνηκεν, ἢ διδάσκει γράμματα, "Vel morte functus est, docet vel carmina."

OLYMP. 92. An. 1. Euripidis Vit. An. 68. XXX. Proximo post hanc cladem anno Callias archon; quando populus Atheniensis ultro a Democratia cessit, et electis quadringentis viris reipublicæ administrationem permiserunt. Olympionica hujus anni erat Exænetus Agrigentinus stadio, secundo. Lysias orator, quum a Thuriis nimis esset seditionibus vexatus, quasi Attice saperet, revertitur Athenas jam 47 annos natus. Calliæ succedit Theopompus archon; sub quo Athenienses quadringentorum virorum oligarchiæ pertæsi dissolvunt. Lacedæmoniis de pace mittentibus, Athenienses, quod id credere nequirent, Cleophonte [a] maxime paci obstante, nolunt eos admittere. Alcibiadis reditus decernitur. Hic Thucydides, Olori filius, historiam suam abrumpit, cum complexus esset ferme viginti duo annorum spatium octo libris. Xenophon tamen et Theopompus historicus inde cœperunt, ubi Thucydides finem fecerat; ille quidem complexus spatium annorum 48, hic autem res gestas Græcorum libris 12 tractans per annos 17. Historiam suam claudit ad navale prœlium sub Conone duce factum circa Cnidum, Olympiadis videl. CVIII. anno 4to, quando Eubulus, vel Eubulides, erat archon. Theopompum sequitur archon Glaucippus, sub quo Sophocles Philoctetem docens vincit. Euripidis Vit. A. 69. Lacedæmonii pedestri et navali prœlio circa Cyzicum victi ab Atheniensibus [b] miserandum in modum animis dejecti sunt. Diocles mox archon; sub quo fabulam Oresten docet [c] Euripides; et paulo post, literis frequentibus vocatus, in Macedoniam ad Archelaum se confert; de qua re nonnihil hic dicendum. Archelaus ille, rex Macedoniæ, istius nominis primus, duodecimus Macedonum rex, erat filius natu maximus quidem, sed nothus, Perdiccæ regis, Alexandri divitis filii. Et hic quidem ob insignem probitatem et indolem tutor Perdiccæ, legitimi filii infantis, et, si quid humani eidem accideret, regni hæres relinquitur. Et regius sane infans anserem fugiens in puteum decidit et exstinctus est; quare Archelaus regni habenas excipit, et Macedoniæ quidem gloriam haud levem, sibi ipsi vero prorsus immortalem, comparavit. De hoc enim testatur [d] Thucydides: "Quod "munitos locos, qui tunc erant, exstruxit, viasque rectas ordinavit, et "cætera, quæque ad bellum spectabant, equis et armis, alioque apparatu

a Scholiast. Euripid. ad Orest. v. 762. et 893.

b Xenophon Hist. Græc. l. 1. circa Principium.

c Schol. ad Orest. v. 365. et Joh. Meursii Archont. Athen. l. 3. c. 10.

d Thucydid. l. 2. ad finem fol. 82. Ἀλλὰ ὕστερον Ἀρχέλαος, Περδίκκου υἱὸς, βασιλεὺς γενόμενος, τὰ νῦν ὄντα ἐν τῇ χώρᾳ (τὰ καρτερὰ καὶ τείχη) ᾠκοδόμησε, καὶ ὁδοὺς εὐθείας ἔτεμε, καὶ τἄλλα διεκόσμησε τά τε κατὰ τὸν πόλεμον ἵπποις καὶ ὅπλοις, καὶ τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ κρείσσονι, ἢ ξύμπαντες οἱ ἄλλοι βασιλεῖς ὀκτὼ πρὸ αὐτοῦ γενόμενοι. Regum autem hic Macedonicorum catalogus ad Alexandrum M. 1. Caranus.

instruxit melius, quam octo ante illum reges." Adeo autem gloriæ ardore incaluit, ut [a] Olympica certamina in Dio Macedoniæ institueret, quæ respectu Olympiorum in Elide dicta erant Minora Olympia; quod et Athenienses ante eum fecisse dicuntur; in quibus Alcibiades ter victoriam reportabat; nec enim is semel Majora Olympia vicisse deprehenditur. Erat porro Musarum quoque amore adeo abreptus, ut et docta certamina apud Macedonas suos in Jovis et Musarum honorem institueret; quæ durabant per novem dies, ita ut Musæ cujusque nomini unus proprie dicaretur. Id testatur nobis [b] Diodorus Siculus: *Καὶ σκηνικοὺς ἀγῶνας (συνετέλεσε) Διῒ καὶ Μούσαις, οὓς Ἀρχέλαος ὁ προβασιλεύσας πρῶτος κατέδειξε· τὴν δὲ πανήγυριν ἐφ' ἡμέρας ἐννέα συνετέλεσεν, ἑκάστῃ τῶν Μουσῶν ἐπώνυμον ἡμέραν ἀναδείξας.* Hic Archelaus a Solino [c] dicitur fuisse "Prudens rei bellicæ, Navalium etiam commentor prœliorum. Idem Pythias et Olympicas palmas quadrigis adeptus, Græco potius animo, quam regali gloria, illa præ se tulit. In tantum autem literarum amator fuit, ut Euripidi tragico consiliorum suorum summam crederet.[d]" Plutarchus in Apophthegmatibus hujus regis ingeniosa admodum responsa philosophico sale condita tria vel quatuor memorat; quare, quod [e] Ælianus a Socrate in eum contortum dicterium dicat, fidem non mereri censeo; quod mox apertius videbitur. Plurimos sane et insignes apud se pellectos et ex omni Græcia evocatos habuit Archelaus [f] artifices, viros, et in omni scientiæ genere peritos, præcipue doctrina claros, philosophos et poëtas; et Socratem quoque literis suis rex nobilis plus semel vocabat; quanquam is quidem semper se excusatum haberi precatus est; utpote qui Archelao prorsus inutilem se fore vidit, nec illius favoribus æquandis ullo modo parem; cum Archelaus virtutibus satis esset instructus, nihil autem ipse aliud doceret. Quare quum neminem alium, qui ad Archelaum iret, accusaret [g] Aristoteles, quod non iret, Socratem laudat: *Διὸ Σωκράτης οὐκ ἔφη βαδίζειν ὡς Ἀρχέλαον, ὕβριν γὰρ ἔφη εἶναι, τὸ μὴ δύνασθαι ἀμείβεσθαι ὁμοίως εὖ παθόντα, ὥσπερ καὶ κακῶς.* Et alias videtur Socrates minime peregrinandi studiosus; quandoquidem nec toto vitæ tempore extra patriæ limites se vagatum fuisse fatetur (si bene memini) apud [h]

2. Cænus. 3. Thurimas. 4. Perdiccas. 5. Argæus I. 6. Philippus. 7. Æropas. 8. Alcetas. 9. Amyntas. 10. Alexander. 11. Perdiccas II. 12. ARCHELAUS, Euripidis amicus. 13. Orestes. 14. Archelaus II. 15. Amyntas II. 16. Pausanias. 17. Amyntas III. 18. Argæus II. 19. Amyntas IV. 20. Alexander II. 21. Ptolemæus Laorites. 22. Perdiccas III. 23. Philippus. 24. Alexander Magnus.

a MS. Pind. penes me in Vita; ubi de Olympiis. Et Johan. Meursii Græc. Feriat. l. V. in Ὀλύμπια.

b Diodor. Sic. l. 17. Vid. Joh. Meursii Græc. Feriat. l. V. in Μουσεῖα.

c Solinus c. 15.

d Plutarch. Apophth. in Ἀρχέλαος.

e Ælian. Var. Hist. l. 14. c. 17.

f Euripid. Epist. 4. circa finem.

g Aristotel. Ῥητορικῶν l. 2. c. 22. fol. 576.

h Plato in Phæd.

Platonem; nisi forte juvenis admodum una cum Archelao philosopho proficisceretur ad Samum; quod Ionem affirmare testatur [a] Diogenes Laërtius. Et Atheniensium præter Euripidem memorantur, qui apud Archelaum in honore habiti sunt, haud pauci; quos inter Chærilus, optimus poëta, et alius ab illius cognomine, quem Alexandri Magni temporibus diu post floruisse dicit Horatius, haud postremus erat; is quidem Xerxis expeditionem et clades et ex Græcia fugam celebravit heroico carmine,[b] cujus nonnulla fragmenta, ex Aristotele, Josepho, Strabone et Eusebio, in marginem repono. Et ab Athenæo dicitur Salario 4 librarum per diem honoratus fuisse ab Archelao. Item Agatho poëta, tragicus et ipse, Euripidis amicus, homo probus et morum candore amabilis; de quo ipse [c] Aristophanes; *Ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ ποθεινὸς τοῖς φίλοις.* In quem locum Scholiastes: *Ἀγάθων δὲ οὗτος Τραγικὸς ποιητὴς, ἀγαθὸς τὸν τρόπον καὶ τὴν τράπεζαν λαμπρός· καὶ φασὶν, ὅτι Πλάτωνος συμπόσιον ἐν ἑστιάσει αὐτοῦ γέγραπται, πολλῶν ἅμα φιλοσόφων σὺν αὐτῷ καταχθέντων.* Et paulo post, ubi poëta, de eodem Agathone: *ἀπολιπών μ' ἀποίχεται, ἐς μακάρων εὐωχίαν*: ita Scholiastes: *ὅτι Ἀρχελάῳ τῳ βασιλεῖ μέχρι τελευτῆς μετὰ ἄλλων πολλῶν συνῆν ἐν Μακεδονίᾳ, καὶ τὴν μακάρων εὐωχίαν ἔφη, τὴν ἐν βασιλείοις.* Hic Agatho erat Euripidis admirator egregius, et fere par in sententiis et compositione, et hanc imprimis *γνώμην* Archelao, regio suo hospiti, dedit, auro contra non caram: *Τὸν Ἄρχοντα τριῶν δεῖ μεμνῆσθαι. πρῶτον μὲν, ὅτι ἀνθρώπων ἄρχει· δεύτερον, ὅτι κατὰ νόμους ἄρχει· τρίτον, ὅτι οὐκ ἀεὶ ἄρχει.* Famosum et illud: [d] *Τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὡς, ποιούμεθα· Τὸ δ' ἔργον, ὡς πάρεργον, ἐκπονούμεθα.* Erat et alius [e] Agatho comicus, haud fama tantus, quantus malignitate; quem cum Mesato et Aristophane, obtrectatoribus suis, numerat Euripides in epistola sua ad Cephisophontem data, et fortiter suo more contemnit. Timotheus quoque, nobilis musicus, apud Archelaum his temporibus in honore fuisse dicitur a [f] Plutarcho, ut et Zeuxes pictor, ab [g] Æliano. Et tales multos viros Archelaus secum congregatos habuit, et postea quidem ipsum Platonem, qui nimis his temporibus juve-

a In Socrate l. 2. §. 24.

b *Ἠγεό μοι πόνον ἄλλον, ὅπως Ἀσίης ἀπὸ γαίης Ἦλθεν ἐς Εὐρώπην πόλεμος μέγας.* Ex Chærilo laudat. Aristot. Rhetoric. l. 3. c. 14. *Τῶδ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες, Ὤικουν τ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ παρὰ λίμνῃ Αὐχμαλέοι, κορυφὰς τροχοκουρίδες· αὐτὰρ ὕπερθεν Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρευν ἐσκληκότα καπνῷ.* Ex eodem Josephus contra Apionem, et Eusebius. *Μηλονόμοι τε Σάκαι, γενεᾷ Σκύθαι· αὐτὰρ ἔναιον Ἀσίδα πυροφόρον· Νομάδων γε μὲν ἦσαν ἄποικοι Ἀνθρώπων νομίμων.* Strabo l. 7. fol. 303.

c Aristoph. fol. 133.

d Operose id agimus, agere quod non est opus: At in eo, quod opus, opera perfunctoria est.

e Scholiast. Aristoph. fol. 133.

f Plutarch. Apophthegm. in Archelao.

g Var. Hist. l. 14. c. 17.

nis erat; supra omnes autem miratus est Euripidem, quem et vere sapientem novit, nec munerum regiorum, ut alii, cupidum, sed modestum, castum, doctum et amicum veritatis ac virtutis; a quo plurima erant illi addiscenda, juxta illud [a] Euripidis et Sophoclis quoque: Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ. Quare cum ille fere semper regia munera detrectaret, omnem rex occasionem accepit favores in eum congerendi; atque ita, quum aliquando in convivio Archelaus ab aulico [b] quodam magno interpellaretur, ut ei poculum quoddam aureum dare vellet; id statim rex puerum, qui erat illi a poculis, Euripidi jussit deferre, hæc aulico dicens: Σὺ μὲν γὰρ αἰτεῖν, οὗτος δὲ λαμβάνειν ἄξιός ἐστὶ καὶ μὴ αἰτῶν. Quo dicto simul impudentiam aulici elusit, et Euripidis modestiam approbavit. Contigit aliquando, [c] ut Archelaus rex opiparum lautumque convivium Euripidi cæterisque doctis amicis strueret; in quo cum inter pocula meracius Euripides biberet, sensim in ebrietatem est delapsus. Deinde proxime sibi accumbentem Agathonem, tragicum poëtam, complexus exosculabatur; annos circiter quadraginta natum. Tum Archelao interrogante, num adhuc in deliciis habendus videretur? respondit: Per Jovem, omnino: "Non enim ver solum formosorum est pulchrum; sed et autumnus." Plutarchus paulo aliter rem narrat, et sententiam Archelao regi tribuit; [d] ita enim loquitur: Cum coram rege Archelao Euripides formosum Agathonem in convivio amplecteretur et oscularetur, jam barba probe auctum, ad amicos rex dixit: Μὴ θαυμάσητε· τῶν γὰρ καλῶν καὶ τὸ μετόπωρον καλόν ἐστιν. Idem tamen in Alcibiade eandem sententiam [e] Euripidi rursus concedit; neque enim inusitatum Plutarcho, easdem res et sententias aliquando narrando variare, aliquando diversis auctoribus tribuere, non memoria lapsus; sed ut in rem suam, quam præsens ornat, torqueat. Rogavit aliquando Euripidem Archelaus, ut de se drama quoddam componeret, quo late nomen suum ferretur; at pius poëta, qui probe sciret, tragœdiarum materiam esse mœstam plerumque et infelicem, malum omen deprecans, dixit, se deos immortales [f] precari, ut nihil tragicum illi contingeret unquam. Sed credibile est, postea regiis votis obsecundasse poëtam, et fabulam Archelaum dictam illius nomine honestasse, vivo adhuc et florente rege; nam nec nisi sexto post Euripidem functum anno mortuus est Archelaus. Et Archelaus quidem filio suo, qui in regnum post successit, juxta hæc tempora nato, Orestis nomen dedit, Euripidis nimirum causa; quod

a Vid. Johan. Meursii Catalog. Poëtarum Trium Tragic. in Αἴας ὁ Λοκρός.
b Plutarch. Tom. 2. in Apophthegm. Archelai fol. 177.
c Ælian. Var. Histor. l. 13. c. 4.
d Apophthegm. Tom. 2. fol. 177.
e Plutarch. in Alcibiade: Οὐ γὰρ, ὡς Εὐριπίδης ἔλεγε, πάντων καλῶν καὶ τὸ μετόπωρον καλόν ἐστι. fol. 192.
f Diomedes Grammat. l. 3. de Poëmatis Generibus fol. 486.

is fabulam ejusdem nominis supremam Athenis egisset, antequam in Macedoniam proficisceretur: Quanquam et alias Orestis nomen apud Macedonas familiare videatur. Præterea in hujus regis gratiam et honorem fabula, Temenus, sive Temenidæ, dicta, videtur facta; reges enim Macedoniæ ex Temenidarum familia oriundi, testante [a] Thucydide. Certe et rex ipse et Clito, nobilis Macedo, regis consiliariorum princeps, haud oscitanter instabant Euripidi, ut aliquid scriberet suo more; quod testatur ipse poëta in epistolarum ultima; quæ et de nimis lautis conviviis illum querentem introducit, et omnino huic loco multam lucem adferet. Alio quidem tempore, vel anno novo ineunte, vel ipsius Archelai natalibus, quando inter plurimos, qui regi strenas et munuscula deferrent, solus Euripides, suo amore et fide fretus, nihil præterea adduceret, rex illum subridens rogavit, "Numquid illum gravaretur regem munusculo honestare?" Respondit Euripides: [b] Οὐ βούλομαι πλουτοῦντι δωρεῖσθαι πένης. Μή μ' ἄφρονα κρίνῃς, ἢ διδοὺς αἰτῶν δοκῶ. Quæ Latino versu donata reperies in Archelao. Juxta hæc tempora, cum cæteri Athenienses ægre ferrent Euripidis absentiam, tum inimici illius illum* parasitum vocabant et auri potentiæ cupidum; et Sophocles ipse, qui haud ita pridem illius amicitiæ cultor erat factus, hoc in illum distichum torsisse putatur, quod et Pompeius [c] Magnus ad regem Ægypti iturus usurpasse dicitur: Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται, Κείνου ἐστὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ. Et Plutarchus in libro de exsilio: Τίς γὰρ εἴρηκε τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος ἐγκώμιον τοιοῦτον, οἷον Εὐριπίδης; tum versibus quibusdam ex [d] Erechtheo laudatis, infert: Ἀλλ' ὁ ταῦτα γράψας εἰς Μακεδονίαν ᾤχετο, καὶ παρ' Ἀρχελάῳ κατεβίωσεν. Argumentum ultimæ, quæ exstat, Euripidis epistolæ huc pertinet; in ea enim Cephisophonti scribens, histrioni suo, at amico et philosopho viro, qui et Euripidem ipsum aliquando in tragœdiis conscribendis putatur adjuvisse, hortatur, secum contemnat iniquas et immeritas malorum hominum de hac illius peregrinatione cavillationes; at si quem boni et æqui amantem reperiret, qui et hanc ægre ferret, omnino illi veras rationes aperiret et satis daret. Non est prætereundum, garrulum quendam et futilem Archelai regis aulicum, Decamnichum vocatum, Euripidi jam seni plus septuagenario τὴν τοῦ στόματος δυσωδίαν objecisse; cui Euripides salse respondit, id in se mirum videri nequaquam debere; qui tam pertinaci fide, quæcunque illius pectori essent concredita, retineret. Hujus apophthegmatis meminit † Stobæus his verbis: Εὐριπίδης, ὀνειδίζοντος αὐτῷ τινος, ὅτι τὸ στόμα

a Thucydid. l. 2.

b Fragment. Archel. v. 11.

* Quod et Lucian. in Par. facit, sed joco.

c Plutarch. in Pompeio.

d Vid. Erechth. v. 70. et Incerta v. 410.

† Sermo XXXIX. περὶ ἀποῤῥήτων

δυσῶδες ἦν· Πολλὰ γὰρ, εἶπεν, αὐτῷ ἀπόῤῥητα ἐγκατεσάπη, hoc est, "Euripides, quum oris graveolentia illi a quodam objiceretur: multa "enim, dixit, secreta in eo computruerunt:" fidelem se innuens et taciturnum. Et hæc habui, quæ de Euripide vera et explorata dicerem; de illius enim erga Decamnichum ob hanc contumeliam gravi vindicta et ira, unde gravior in illum atque ipsum Archelaum accensa est, mitto nugatores, [a] quique eos temere sequuntur, licet eos amicus [b] Aristoteles ipse defendat; cum satis constet, quod probaturi sumus, Archelaum non cum Euripide, sed nec nisi sex post annis, occubuisse."

XXXI. Quare, ut ad finem tandem veniamus, quum jam tertio Euripides anno in Macedonia versaretur, sive invidorum malitia, sive deorum fato, nam et casus et malitia in causam utraque feruntur, a Promeri canibus in [c] Bormisco, vico Macedoniæ, adeo laceratus est, ut brevi post vita fungeretur; crudelitas fati tanto ingenio non debita, ut inquit [d] Valerius Maximus. Sunt, qui hos Dianæ canes dicant immites et efferatos, quos, cum Euripides, [e] Heracliti Scotini admirator eximius, frequenter Dianæ templum, ubi illius carmina reconderentur, illorum addiscendorum causa adiisset, ei immissos, invidorum consilio, a Promero, regiorum canum procuratore, quo ipso fato eundem Heraclitum periisse dicunt. Et ita quidem [f] Apostolius: Τοῦτον (τὸν Πρόμερον) φασὶν, οἰκέτην ὄντα βασιλικὸν, μισῆσαι καθ' ὑπερβολὴν τῶν τραγῳδιῶν τὸν ποιητὴν Εὐριπίδην· ἐπαφεῖναί τε αὐτῷ Κύνας ἀγρίους, οἳ τὸν Εὐριπίδην ἀνελοινήσαντο. Unde Ovidius in Ibin: utque cothurnatum vatem tutela Dianæ, "Dilanient vigilum te quoque turba canum." Narratur et alia hujus casus historia, quæ sic se habet: in Macedonia vicus quispiam est, qui Thracum dicitur, propterea quod a Thracibus plerumque sit habitatus, alias Bormiscus vocatur a monte Bormio. In hunc locum quum canis quidam venaticus Archelai regis forte aberrasset, Thraces de more suo mactatum devorarunt. Id ubi comperisset Archelaus, talentum eis multam indicit; quod ubi illi solvendo non essent, Euripidem rogarunt, ut pro ea, qua valebat apud regem, auctoritate, exoraret eum, hanc iis multam remittere. Hoc Euripides fecit, et veniam impetravit; postea vero, quum Euripides in sylva quadam solus meditaretur, Archelaus autem juxta viam a venatu rediret, canes aliquot poëtam cingentes lacerarunt et devorarunt. Existimatum vero est, hosce canes ex eodem cane proseminatos, quem Thraces

a Cæl. Rhodig. l. 24. c. 10.
b Politic. l. 5. c. 10.
c Stephanus περὶ πόλεων in voce Βορμίσκος.
d Valer. Maxim l. 9. c. 12.
e Tatianus Orat contra Græcos p. 143. ad fin. Justini Martyris.
f Apostol. Centur. 16. §. 70. Vid. Erasmi Adag. Promeri Canes.

sacrificarant et devorarant. Hinc adagium [a] apud Macedonas increbuit, Κυνὸς δίκην, subaudi passus, aut aliquid simile. Alia narrantur de mulieribus et Cratero, Archelai amasio, quæ velut ab ipsa ratione dissentanea, ne quid hic repetam de poëtæ castis moribus et provecta ætate, procul hinc ableganda judico. Obiit enim septuagesimo fere quinto ætatis anno, cum [b] Antegenides archon vixdum desierat, quo anno Callias archon erat. Cujus ad nuntium Sophocles fabulam acturus, mimos suos pullatos et sine coronis, ipse pulla indutus, in scenam produxit. Et ipse quidem [c] Sophocles circa finem ejusdem anni moritur nonagenarius; quod ex [d] Aristophanis patet Ranis, ubi Hercules rogat Bacchum, an non vellet Sophoclem ex inferis reducere, Euripide priorem. Dionysius [e] sane Byzantinus hoc atroci tam nobilis poëtæ fato attonitus, ne qua de deorum bonitate suspicio inde oriatur, satius putat, omnes omnium gentium auctoritates uno poëtico gladio discindere, et naturalem ei mortem assignare; quare ita canit, alludens ad Dionysiacas vestes et tragicum omnem ornatum in tumulo illius exsculptum:

Οὔ σε κυνῶν γένος εἷλ', Εὐριπίδη, οὐδὲ γυναικῶν
  Οἶστρος, τὸν σκοτίης Κύπριδος ἀλλότριον·
Ἀλλ' Ἀΐδης καὶ γῆρας ὑπέκβαλε· τῇ δ' Ἀρεθούσῃ
  Κεῖσαι, ἑταιρείῃ τίμιος Ἀρχέλεω.
Σὸν δ' οὐ τοῦτον ἐγὼ τίθεμαι τάφον· ἀλλὰ τὰ Βάκχου
  Εἵματα καὶ σκηνὰς ἔμβαλε πειθομένας.

Non te turba canum est, Euripides, ira nec ulta
  Fœminea, expertem non licitæ Veneris.
Verum Orcus seniumque tulit: juxtaque Arethusam
  Cumbis, amicitia nobilis Archelei.
Sed nec ego hunc tumulum vestrum puto: Bacchica vestis
  Hic scenas suadet posse latere tuas:

At vero, quod ad mortis hujus magni bonique viri genus attinet, non est, quod nimis offendantur aures philosophicæ, multo minus Christianæ; quia multo cariores solet Deus aliquando amicos suos flammis, ferro, bestiis, aquis, non perire quidem, sed mori, permittere. Quis credat,

a Erasmus Adag. Canis Vindictam, Chiliad. 1. Cent. 7. §. 47.

b Marmora Oxon. Thom. Magister in Euripidis Vita.

c Joh. Meurs. Archont. Athen. l. 3. c. 12. etc.

d Aristoph. fol. 133. Εἶτ' οὐχὶ Σοφοκλέα. etc.

e Antholog. l. 3. c. 26.

Dei amicos, de quibus divus [a] Paulus (qui et ipse cum bestiis Ephesi pugnaverat) hæc habet? "Ludibria et flagella sunt experti; et vincula "insuper et carcerem; Lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt; gladio "cæsi occubuerunt," etc. Sed et poëtarum et philosophorum optimorum plurimi mala, quod ad humanum attinet judicium, morte perierunt. De qua re hæc Sotades:

Αὐτὸς γὰρ ἐὼν παντογενὴς, ὁ πάντα γεννῶν
Οὐ κρίνει δικαίως τὰ κατ' ἄνθρωπον ἕκαστον·
Καὶ γὰρ κατὰ γαῖαν τὰ κακὰ πέφυκεν αἰεὶ,
Καὶ τοῖς μεγάλοις τοῖσι κακοῖς γέγηθ' ὁ Κόσμος·
Ὅτι πάντες, ὅσοι τὸ περισσὸν ἠθέλησαν εὑρεῖν,
Ἢ μηχανικὸν ποίημά γ', ἢ σοφὸν μάθημα,
Οὗτοι κακὸν εἰς τὸν θάνατον τέλος ἐποίησαν,
Ὑπὸ τοῦ γενετῆρος Κόσμου κακῶς παθόντες.
Σωκράτην ὁ Κόσμος πεποίηκε σοφὸν εἶναι.
Καὶ κακῶς ἀνεῖλε τὸν Σωκράτην ὁ Κόσμος,
Ἐν τῇ φυλακῇ κώνειον ὅτε πιὼν τέθνηκε.
Πολύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν·
Αἰσχύλῳ γράφοντι ἐπιπέπτωκε χελώνη·
Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς πνιγεὶς τέθνηκε·
Κύνες οἱ κατὰ Θρᾴκην Εὐριπίδην ἔτραγον·
Τὸν θεῖον Ὅμηρον λιμὸς κατεδαπάνησεν.

Mundus genitor cunctiparens, satorque rerum,
Causas hominum non bene novit arbitrari;
Sunt per sola terræ mala, semper et fuere;
Multisque malis undique gaudet omnis orbis.
Res eximias queis fuit invenire cordi,
Sive ingenii laus foret illa, sive dextræ,
Omnes malus hos cernitur exitus secutus;
Idque omne malum fluxerat a parente mundo
Mundo sapiens judice Socrates putatus;
Mundo sapiens judice Socrates necatur,
Jussus bibere in carcere poculum cicutæ.
Crudi Polypi Diogenes peremtus esu:
Testudine, cum scriberet, Æschylus cadente:
Glutito Acino strangulat uva te, Sophocles;
Te, Euripides, in Thrace solo canes vorarunt:
Atra abstulerat egregium fames Homerum.

Præterea nec ipsum horum versuum auctorem idem fatum malum neglexit: [b] Plutarcho enim teste, quod Ptolemæo Philadelpho dixerit, quando sororem uxorem duceret: Εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς, "non legitimum tu stimulum in foramen indis:" in vincula con-

a Hebræ. c. 11. v. 36.

b Plutarch. περὶ παίδων ἀγωγῆς, fol. 11.

jectus est, ubi per longum tempus contabuit. Eadem fere causa, et fatum, quæ et summo virorum, Johanni Baptistæ, contigere. Sed aliorum nonnullorum clarorum sane virorum fata memorare hic juvat: et Heraclitus ὁ σκοτεινὸς, ut supra diximus, canibus quoque laceratus, periit; Theocritus suspendio; Orpheus discerptus interiit; Empedocles flammis Ætnæ consumtus; Hesiodus ab inimicis gladio cæsus, Ibycus et [a] Archilochus a prædonibus, Lycophron sagitta transfixus, Cornelius Gallus suo gladio, Anacreon uvæ acino, Cratinus et Terentius maris haustu, Seneca et Lucanus a Nerone, venas secti, Ovidius ab Augusto in exilium actus; ut et Propertius a nonnullis dicitur. Denique Lucretius philtro furiatus sibi manus conscivit, et inter modernos [b] Caspar Barlæus puteo suffocatus interiit. Non ego hic regum maximorum, etiam optimorum et ducum clarissimorum mortes exsequar, quotquot vel gladio, vel securi, vel venenis, vel vi, vel insidiis, perierunt; sufficit ad hunc locum, non singularem fuisse Euripidem mortis genere, æque ac vitæ et ingenii laude.

XXXII. Euripidis quidem fatum [c] tota Atheniensium civitas luxisse dicitur, et, quamprimum potuerunt, ad Archelaum regem miserunt legatos, qui urbis totius nomine ossa ejus repeterent, in patrio solo tumulanda: sed hoc rex iis obstinatius negavit: designaverat enim inter Macedonicorum regum tumulos Euripidem reponere. Atque ita paulo post in urbe Pella, quam nonnulli Beræam putant, Macedoniæ metropoli, nobile illi exstructum sepulcrum inter duos confluentes rivos, quorum alter saluberrimi quidem potus, alter vero mortiferi, quod a Plinio et Vitruvio dictum profert [d] Lilius Gyraldus. In cujus funere rex Archelaus suprema sumtu prosequi non contentus, crinem tonsus est, et mœrorem, quem animo conceperat, vultu quoque prodidit, ut [e] Solinus refert. Hæc urbs in regione Pieria ponitur, quæ olim ad Thraciam, tum ad Macedoniam pertinebat, Musarum parens et domus, ut Mela vocat, et a qua Musæ Pierides dictæ; unde hoc poëtæ inscriptum epitaphium:

Εἰ καὶ δακρυόεις, Εὐριπίδη, εἷλέ σε πότμος,
Καί σε λυκοῤῥαῖσται δεῖπνον ἔθεντο κύνες,
Τὸν σκηνῇ μελίγηρυν ἀηδόνα, κόσμον Ἀθηνῶν,
Τὸν Σοφίῃ Τραγικὴν μιξάμενον χάριτα·
Ἀλλ' ἔμολες Πελλαῖον ὑπ' ἠρίον· ὡς ἂν ὁ λάτρις
Πιερίδων ναίῃς ἀγχόθι Πιερίδων.

a Solinus c. 7.
b Duport. Sylvar. l. 1. fol. 50. et 53. et l. 2. fol. 213.
c Tho. Magister in vita Euripidis circa finem, et Agellius l. 15. c. 20.
d Hist. Poët. Dialog. VII. f. 267. Vid. Vitruv. l. 8. c. 3. Plin. l. 31. c. 2.
e Solinus c. 15.

Dira licet tibi mors, Euripides, abstulit auras,
Et lupicida tua carne repleta canis,
Cecropiæ decus et dulcis Philomela theatri,
Qui sophia tragicas miscueras charitas;
Cespite Pellæo ast tegeris: sic nempe minister
Pieridum cumbis jam prope Pieridas.

Sepulcrum autem ejus ex marmore pyrrhopœcilo videtur exstructum magnifice, una cum Euripidis ipsius cothurnata statua et cum Bacchi ornatu et toto tragico apparatu exsculptum, ut supra ex Dionysio Byzantino collegimus; de cujus duratione, quasi perpetua futura, Macedones gloriabantur. Ita enim * Agellius: "Sepulcrum ejus et "memoriam Macedones eo dignati sunt honore, ut in gloriæ quoque "loco prædicarent: † Οὐ σόν γε μνῆμ', Εὐριπίδης, ὄλοιτό που, quod "egregius poëta, morte obita, sepultus in eorum terra foret. Quamo-"brem quum legati ad eos ab Atheniensibus missi petiissent, ut ossa "Athenas in terram illius patriam permitterent transferri; maximo "consensu Macedones in ea re deneganda perstiterunt." Exstant et alia de illo epitaphia, ut illud imprimis Ionis dictum (quod tamen potius Iophonti, Sophoclis filio, adscriberem, quia vix credibile est, ipsum [a] Ionem ad hæc durasse tempora). Sic autem se habet:

[b] Χαῖρε μελαμπέπλοις, Εὐριπίδη, ἐν γυάλοισι
Πιερίας, τὸν ἀεὶ Νυκτὸς ἔχων θάλαμον·
Ἴσθι δ' ὑπὸ χθονὸς ὤν, ὅτι σοὶ κλέος ἄφθιτον ἔσται,
Ἶσον Ὁμηρείοις ἀενάοις χάρισι.

Salve pullata, o Euripides, in regione
Pieriæ, æternum Noctis habens thalamum:
Idque scias, tellure latens, tibi fama quod ingens
Æquet Homereum æterna futura decus.

Celebratur et aliud vetus epigramma, cujus auctorem [c] nonnulli statuunt Thucydidem historicum, alii Theophilum comicum, alii Timotheum, musicum eundem et poëtam nobilem, alludens ad numerum poëtarum, qui illius mortem næniis prosecuti sunt:

Μνᾶμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου· ὀστέα δ' ἴσχει
Γῆ Μακεδών· ᾗ γὰρ δέξατο τέρμα βίου.
Πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι· πλεῖστα δὲ Μούσας
Τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

* Agell. Noct. Att. l. 15. c. 20.
† Ita lego, quum Iambus sit, pro eo, quod corrupte apud Agellium legitur: Οὔ ποτε σὸν μνῆμα Εὐριπίδης ὤλετό που.
a Vid. Schol. Aristoph. ad fol. 466. et Rich. Bentleii Epistol. post Malalam p. 50. etc.
b Antholog. l. 3. c. 23.
c. Eustath. in Homer. fol. 284. lin. 5. Vid. Tho. Magist Vitam Euripidis.

Græcia tota quidem monumentum Euripidis: Ossa
Terra tenet Macedûm; quæ fera fata dedit.
Patria Cecropidum tellus: sed plurima Musas
Delectans, tumulo carmina plura refert.

Sed monumentum Euripidis, quod Archelaus in Macedonia exstruxerat, aliquanto post a Cœlo tactum perhibetur; quod et Lycurgo, Lacedæmoniorum legislatori, contigisse memoratur; et [a] veteribus divini favoris erga mortuos argumentum habebatur. Quare ita [a] Plutarchus in Lycurgo; *Λέγεται δὲ, καὶ τῶν λειψάνων αὐτοῦ Λυκούργου κομισθέντων οἴκαδε, κεραυνὸν εἰς τὸν τάφον κατασκῆψαι· τοῦτο δὲ οὐ ῥᾳδίως ἑτέρῳ τινὶ τῶν ἐπιφανῶν, πλὴν Εὐριπίδῃ, συμπεσεῖν, ὕστερον τελευτήσαντι, καὶ ταφέντι τῆς Μακεδονίας περὶ Ἀρέθουσαν. ὥστε ἀπολόγημα καὶ μαρτύριον μέγα εἶναι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Εὐριπίδην, τὸ μόνῳ συμπεσεῖν αὐτῷ μετὰ τελευτὴν καὶ γενέσθαι, ἃ τῷ θεοφιλεστάτῳ καὶ ὁσιωτάτῳ πρότερον συνέπεσεν.* Et ad hæc quoque alludens exstat vetus epigramma, ipsum Euripidem primo alloquens, mox de eo loquens:

*Α Μακέτις σὲ κέκευθε τάφου κόνις· ἀλλὰ πυρωθεὶς*
*Ζανὶ κεραυνείῳ πᾶσαν ἀπημφίασας·*
*Τρὶς γὰρ ἀπαστράψας Εὐριπίδῃ ἐκ Διὸς αἰθὴρ*
*Ἥγνισε τὰν θνητὰν * σήματος ἱστορίην.*

Te Macedûm condit tumuli cinis; igne sed ustus
A Jove fulmineo discutis hunc cinerem:
Ter namque intonuit Mnesarchiadæ Jovis æther,
Purgans mortalem corporis illuviem.

Athenienses vero, quandoquidem illius cineres obtinere ab Archelao nequirent, nobile illi cenotaphium condiderunt, quod [b] Pausaniæ tempore durabat, juxta viam, qua descendebatur ex urbe ad Piræeum, ubi et postea Menandri monumentum erigebatur. Et in hoc cenotaphium hoc inscriptum videtur distichon; eleganter enim alludit ad ipsius corporis absentiam, et nominis gloriam, qua sola potiebatur:

*Οὐ σὸν Μνῆμα τόδ' ἔστ', Εὐριπίδη, ἀλλὰ Σὺ τοῦδε·*
*Τῇ σῇ γὰρ Δόξῃ Μνῆμα τόδ' ἀμπέχεται.*

Hoc tibi non monumentum, Euripides, illius at tu:
Namque tui hoc splendor nominis irradiat.

Unicum aliud Græcum adjiciam iambicum epitaphium vetus:

a Plutarch. in Lycurgo, fol. 59. ad finem Vitæ. Et Cæl. Rhodig. l. 24. c. 10. fol. 1341. Lil. Gyrald. Poët. Hist. Dialog. VII. fol. 267.

* Vel *σώματος*.

b Pausan. Attic. fol. 2. lin. 16. Vid. Johan. Meursii Athen. Attic. l. 1. c. 2. p. 5.

῞Απασ' Ἀχαιῒς μνῆμα σόν γ', Εὐριπίδη·
Οὔκουν ἄφωνος, ἀλλὰ καὶ λαλητέος

Græcia tota tuum monumentum, Euripides, exstat;
Haud igitur mutum, sed magis ore viget.

Sed et exstare adhuc dicitur in finibus Græciæ et Valachiæ aliud Euripidi cenotaphium ætate aliqua barbara exstructum, certe [a] figura illius exstat, in cujus dextro latere Latinum hoc epitaphium literis majusculis exaratur, secunda syllaba τοῦ Euripides contra regulam correpta:

SISTE QUID IPSE VELIM ROGITO COGNOSCE VIATOR
EURIPIDES TRAGICO CARMINE CLARUS * HOMO
HAC JACEO ISTUD † ERAM QUOD TE COGNOSSE VOLEBAM
ERGO DIU FELIX CHARE VIATOR ABI.

* an Humo?
† an erat?

[b] Cælius Rhodiginus, et ab eo deceptus Lilius Gyraldus, aliud Euripidis sepulcrum memorat in medio Argivorum foro, et Palinthum nuncupatum, ex Strabone refert; sed optandum est, ut inter tot lectiones antiquas nullos novos errores proseminaret Cælii incuria. Nam [c] Strabo hoc sepulcrum Danai fuisse ait; quanquam eodem loci Euripidem auctorem laudat. Et jam Euripidis vitam dedimus, sed nondum illius historiam scripsimus; notandum autem, quod, ut eo ipso, quo natus est Euripides, die Athenienses sui Persas ad Salaminem navali prœlio superassent, ita hoc eodem, quo moritur, anno, Callia etiam nunc archonte, iidem Athenienses Lacedæmonios ad Arginusas navali prœlio vincerent; de qua re [d] Xenophon in primo Græcæ historiæ. Alexias anni sequentis archon erat, sub quo junior Euripides, nostri poëtæ filius, vel, ut Suidas, illius fratris, Iphigeniam in Aulide, [e] Alcmæona, et Bacchas docuit Athenis, et vicit pro patre. Circa hoc tempus [f] Lysander ad deditionem cogit Athenienses, et conditionibus certis pacem dat. Belli Peloponnesiaci finis. Darius Ochus moritur; cui succedit filius, Mnemon dictus; contra quem Cyrus frater expeditionem ornat; et hanc describit Xenophon, Grylli filius. Antimachus poëta floret. Aristophanis Ranæ docentur; quibus victor ille; Phrynichus secundus Musis, Plato tertius Cleophonte. Pythodorus erat archon; quanquam ob triginta tyrannos anarchia dicatur hoc anno. Alcibiades a Pharnabazo satrapa cæsus. Democritus [g] philo-

a Sigefridi Rybish Monument. Illustr. Virorum Figura 6.
b Cæl. Rhodig. Antiqu. Lect. l. 23. c. 10. et Lil. Gyraldus Poët. Hist. Dial. VII. f. 268.
c Strabo l. 8. fol. 371.
d Xenophon Hist. Græc. l. 1. fere ad finem.
e Scholiast. Aristoph. fol. 133.
f Vid. Xenoph. ibid. l. 2.
g Joh. Meursii Archont. Athen. l. 3. c. 13.

sophus et Hippocrates medicus moriuntur. Hic annus Olympiadis nonagesimæ quartæ primus, quo victor Crocinas Larissæus stadio, Lasthenes Thebanus longiori cursu equum superat. Proximi anni archon erat Euclides, cujus tempore vocales longæ [a] η et ω nondum in
OLYMP. 94. An. 1. usu, mox sub illius successore, Micione archonte, Atheniensibus primum sunt receptæ. Micionem excepit Exænetus archon, quando Thrasybuli [b] Steiriensis auspiciis, expulsis triginta tyrannis, Athenienses politiam patriam recuperarunt; quo tempore expeditio Cyri
OLYMP. 95. An. 1. contigit, quam Xenophon, Grylli filius, Atheniensis, descripsit. Tum sub Lachete archonte Olympiadis nonagesimæ quintæ anno primo, quando Minos Atheniensis stadio vicit, Socrates philosophus solita Atheniensium δυσβουλίᾳ cicutæ haustu exstinguitur septuagenarius; quando et Archelaus, rex Macedoniæ, Euripidis nostri amicus, per imprudentiam a quodam Cratero ictus moritur, relicto Oresta filio impubere regni hærede, (quum regnasset ad minimum [c] viginti annos) non sine ingenti Macedoniæ suæ et totius literati orbis jactura. Non jam ego Euripidis characterem subtilius ducam, nec laudes, quas innumeri auctores in illum congesserunt, accumulabo; nec quanti fecerit Euripidis opera Alexander Magnus, cui Harpalus ea dono miserit, nec quanti Antigonus rex, aliique reges et imperatores haud pauci; librum sane authenticum ipsius Euripidis manuscriptum, qui septuaginta quinque fabulas contineret, [d] Ptolemæo, Ægypti regi, ab Atheniensibus dono fuisse missum legimus, exornandæ (ut Galenus scribit) Bibliothecæ ejus Alexandrinæ causa. Cum Ptolemæus (inquit Galenus) ab Atheniensibus petiisset Sophoclis et Euripidis autographa exemplaria, ad eorum augmentum, quæ in Alexandrina bibliotheca ille positurus erat, iique denegassent, Ptolemæus ex Ægypto frumentum eos exportare prohibuit, quo propter Atticæ ejus temporis penuriam illi maxime indigebant, usquedum Athenienses penuria compulsi illa ipsa exemplaria regi dono miserint. At his acceptis, gratus rex non modo, ut frumentum ex Ægypto exportarent, concessit; sed sine etiam vectigali. Tanti scilicet rex literarum studiosissimus casta et emendata exemplaria faciebat. Unum hoc addam: Lycurgum, Lycophronis filium, oratorem et legislatorem, Athenien-

a Scholiast. Euripidis ad Phœniss. v. 693. Vid. Joh. Meursii Archont. Athen. l. 3. c. 17.

b Στειριὰ Demus Pandionidis tribus Atheniensis.

c Ita enim Marmora Oxoniensia initium ejus Regni ponunt ad Astyphilum Archontem, i, e. Olympiad. 90. ann. 1. Eusebiana autem Olympiadum ἀναγραφὴ, etiam ex Josephi Scaligeri recensione, ponit ad Olympiad. 87. ann. 4. Epaminone Archonte. Quo magis miror, eundem Scaliger. septem tantum huic regi annos regni tribuere, animadversionibus ad Eusebii Chronolog. ann. MDCIX. Ipse quoque Eusebius in Chronico Canone 24. annos regno Archelai concedit. De morte Archelai vid. Æliani Var. Histor. l. 8. c. 9.

d Vid. Lil. Gyrald. Poët. Hist. Dialog. VII. fol. 269, et Joh. Faber Bambergens. Imagin. Illustr. 60.

sem. legem tulisse, ut æreæ imagines ponerentur Æschylo, Sophocli et Euripidi, eorumque tragœdiæ exscriptæ publice adservarentur, teste [a] Plutarcho. Illius certe statuam in theatro Athenis positam meminit [b] Pausanias in Atticis. Menander vero, princeps comicorum novæ comœdiæ, præcipue Euripidem admiratus est et secutus, ut ait [c] Quintilianus. Illius autem æmulus, [d] Philemon comicus, suam Euripidis admirationem nobili hoc tristicho testatam dedit:

Εἰ ταῖς ἀληθείαισιν οἱ τεθνηκότες
Αἴσθησιν εἶχον ἄνδρες, ὥς φασίν τινες·
Ἀπηγξάμην ἄν, ὥστ᾽ ἰδεῖν Εὐριπίδην.

Si sensum haberent mortui, ut quidam volunt,
Finire vitam mihi laqueo meam velim;
Ut pascerem oculos intuendo EURIPIDEM.

Diphilus denique animitus illius scripta amabat et versabat perpetuo, quinetiam velut oraculum profert cum his verbis: [e] Εὖ γ᾽ ὁ κατάχρυσος εἶπε τοῦτ᾽ Εὐριπίδης. Atque ita huic novæ comediæ nobili triumviratui vehementer placuit nunquam moriturus EURIPIDES.

a Plutarchi in X. Orator. Vita titulo Lycurgus.
b Fol. 18. lin. 44.
c Vid. supra §. 20. fol. 18.
d Antholog. l. 1. c. 85.
e Vide ad Incert. v. 327.

## ΜΑΝΟΥΗΛ ΤΟΥ ΜΟΣΧΟΠΟΥΛΟΥ

### ΣΥΝΟΨΙΣ ΤΟΥ ΒΙΟΥ ΤΟΥ

# ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ.

ΕΥ'ΡΙΠΙ'ΔΗΣ Μνησάρχου, ἢ Μνησαρχίδου, καὶ Κλειτοῦς. οἵ φεύγοντες, εἰς Βοιωτίαν μετῴκησαν, εἶτα ἐν τῇ Ἀττικῇ. οὐκ ἀληθὲς δὲ, ὡς λαχαιόπωλις ἦν ἡ μήτηρ αὐτοῦ. καὶ γὰρ τῶν σφόδρα εὐγενῶν ἐτύγχανεν οὖσα, ὡς Φιλόχορος ἀποδείκνυσιν. ἐν δὲ τῇ διαβάσει Ξέρξου ἐκυοφορεῖτο ὑπὸ τῆς μητρός. ἐτέχθη δὲ καθ' ἣν ἡμέραν Ἕλληνες ἐτρέψαντο τοὺς Πέρσας. ἐγένετο δὲ τὰ πρῶτα ζωγράφος, εἶτα μαθητὴς Προδίκου ἐν τοῖς ῥητορικοῖς, Σωκράτους δὲ, ἐν τοῖς ἠθικοῖς καὶ φιλοσόφοις. διήκουσε δὲ καὶ Ἀναξαγόρου τοῦ Κλαζομενίου. ἐπὶ τραγῳδίαν δὲ ἐτράπη, τὸν Ἀναξαγόραν ἰδὼν ὑποστάντα κινδύνους, δι' ἅπερ εἰσῆξε δόγματα. σκυθρωπὸς δὲ τὸ εἶδος ἦν, καὶ ἀμειδὴς, καὶ φεύγων τὰς συνουσίας. ὅθεν καὶ μισογύνης ἐδοξάσθη· ἔγημε δὲ ὅμως πρώτην μὲν Χοίριλην, θυγατέρα Μνεσιλόχου· ἐξ ἧς ἔσχε Μνησίλοχον καὶ Μνησαρχίδην, καὶ

## MANUELIS MOSCHOPULI

### SYNOPSIS VITÆ

# EURIPIDIS.

**EURIPIDES** filius erat Mnesarchi, vel Mnesarchidæ, et Clitus; qui fugientes in Bœotiam migrarunt, deinde in Attica habitarunt; non est autem verum, quod mater illius olerum erat venditrix; etenim ex valde illustribus erat orta, ut Philochorus demonstrat. Sub Xerxis vero expeditione in utero adhuc matris latebat; natusque est eo ipso die, quo Græci Persas in fugam verterunt. Primo quidem pictor erat, deinde discipulus Prodici in rhetoricis; ut et Socratis in ethicis et philosophia. Audiebat insuper et Anaxagoram Clazomenium. Ad tragœdiam vero conversus est, quum vidit Anaxagoram pericula subeuntem ob dogmata, quæ invexerat. Subtristis autem erat, et risui minime deditus; nec coitus appetebat; unde et mulierum osor vocabatur. Veruntamen uxorem duxit primam Chœrilen, Mnesilochi filiam, ex qua

Εὐριπίδην. ἀπωσάμενος δὲ ταύτην, ἔσχε καὶ δευτέραν. καὶ ταύτης ὁμοίως ἀκολάστου πειραθεὶς, μεταναστὰς ἀπ' Ἀθηνῶν, ἦλθε πρὸς Ἀρχέλαον, βασιλέα τῶν Μακεδόνων, παρ' ᾧ διῆγεν ἄκρας ἀπολαύων τιμῆς. ἐτελεύτησε δὲ ἐξ ἐπιβουλῆς Ἀριδαίου τοῦ Μακεδόνος, καὶ Κρατεύα τοῦ Θετταλοῦ, ποιητῶν ὄντων, καὶ φθονησάντων αὐτῷ, καὶ πεισάντων τὸν βασιλέως οἰκέτην, ὄνομα Λυσίμαχον, δέκα μνῶν ἀγορασθέντα, τοὺς βασιλικοὺς, οὓς αὐτὸς ἔτρεφε, κύνας ἐπαφεῖναι τῷ Εὐριπίδῃ. Ἕτεροι δὲ ἱστόρησαν, οὐχ ὑπὸ κυνῶν, ἀλλ' ὑπὸ γυναικῶν, αὐτὸν διασπασθῆναι, πορευόμενον ἀωρὶ πρὸς Κρατερὸν, τὸν ἐρώμενον Ἀρχελάου. καὶ γὰρ σχεῖν αὐτὸν καὶ περὶ τοὺς τοιούτους ἔρωτας. οἱ δὲ πρὸς τὴν γαμετὴν Νικοδίκου τοῦ Ἀρεθουσίου. ἔτη δὲ βεβιωκέναι φασὶν αὐτὸν ἑβδομήκοντα πέντε. καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ ἐν Πέλλῃ μετακομίσαι τὸν βασιλέα. Δράματα δὲ αὐτοῦ κατὰ μέν τινας ἑβδομήκοντα πέντε, κατὰ δὲ ἄλλους ἐννενήκοντα δύο. νίκας δὲ εἵλετο πέντε, τὰς μὲν τέσσαρας περιὼν, τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτήν. τελευτᾷ δὲ ἐπὶ τῆς ἐννενηκοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος.

habuit Mnesilochum, Mnesarchidem et Euripidem; repudiata autem hac, secundam duxit. Et hanc etiam libidinosam expertus, Athenas reliquit, et ad Archelaum, Macedonum regem, profectus est. Mortuus est autem ex insidiis Aridæi Macedonis et Crateuæ Thessali, qui, poëtæ quum essent, illi invidebant, et persuadebant Lysimacho, regio servo, decem minis conducto, ut regios canes, quos ipse nutriebat, Euripidi immitteret. Alii dicunt, illum non a canibus, sed a mulieribus, lacerатum, ut nocte intempesta adiret Craterum, Archelai delicias: etenim et talibus amoribus illum succubuisse; alii vero, adiisse eum uxorem Nicodici Arethusii. Annos eum vixisse dicunt septuaginta quinque; et illius Ossa in Pellam a rege translata. Fabulæ autem illius ex quorundam mente septuaginta quinque, ex nonnullorum nonaginta duæ. Victorias quinque reportabat, quatuor quidem ipse superstes, unam post mortem. Fato autem concessit Olympiade nonagesima tertia.

# ΘΩΜΑ ΤΟΥ ΜΑΓΙΣΤΡΟΥ

### ΣΥΝΟΨΙΣ ΤΟΥ ΒΙΟΥ

# ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ.

ΕΥ'ΡΙΠΙ'ΔΗι, τῷ ποιητῇ, πατρὶς μὲν Ἀθῆναι, πατέρες δὲ Μνήσαρχος κάπηλος, καὶ Κλειτὼ λαχανόπωλις. γεννηθεὶς δὲ ἐν Σαλαμῖνι, τῇ πρὸ τῆς Ἀττικῆς νήσῳ, ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, κατὰ τὴν πέμπτην καὶ ἑβδομηκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ὅτε καὶ τὸ τοῦ Ξέρξου ναυτικὸν κατεναυμάχησαν Ἀθηναῖοι· πρῶτον μὲν ἤσκησε παγκράτιον, καὶ πυγμὴν, τοῦ πατρὸς αὐτῷ χρησμὸν λαβόντος, ὅτι στεφανηφόρους ἀγῶνας ὁ παῖς αὐτῷ νικήσει. ὃ δὴ καὶ εἰς ἔργον προὔβη· ἐνίκησε γὰρ ταῦτα Ἀθήνησιν. ἔπειτα εἰς λόγους ὡρμηκὼς, ἐφοίτησε παρὰ Ἀναξαγόρᾳ, καὶ Προδίκῳ, καί τισιν ἄλλοις. ἀγχίνους δὲ ὢν εἴπερ τις, καί τῷ πονεῖν ἑαυτὸν ἐκδεδωκὼς, εἰς τραγῳδίαν ἐτράπη, καὶ ἔλαμψεν ἐπὶ ταύτῃ σεμνῶς. πολλὰ γὰρ εἰς τὴν τέχνην ἐξεῦρεν, ἃ οὐδεισδηποτοῦν γε τῶν πρὸ αὐτοῦ· τό, τε γὰρ ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος τὴν ὑπόθεσιν διατυποῦν, καὶ τὸν ἀκροατὴν ὥσπερ χειραγωγεῖν εἰς τὸ

# THOMÆ MAGISTRI

### SYNOPSIS VITÆ

# EURIPIDIS.

Euripidi poëtæ patria quidem urbs Athenæ, parentes Mnesarchus caupo, et Clito olerum venditrix. Natus vero in Salamine insula, Atticæ opposita, sub Callia archonte, circa septuagesimam quintam Olympiadem, quando Xerxis classem Athenienses profligarunt. Primum quidem pancratium et cæstuum certamina exercuit; quia pater oraculo acceperat, filium hunc coroniferorum certaminum victorem evasurum; quæ res et suum eventum sortita est: in his enim apud suos Athenienses victor erat. Postea cum ad literas se conferret, Anaxagoræ auditor fuit, Prodici, et aliorum quorundam. Quum vero ingenio valeret, si quis alius, et laborum patiens esset, ad tragœdiam conversus est, et in hac non sine veneratione excelluit. Multa enim huic arti adinvenit, quibus ante illum nemo est usus; initio enim fabulæ argumentum de-

ἔμπροσθεν, Εὐριπίδου τέχνημα· τό, τε σαφήνειαν καὶ πλάτος ἔχειν τὰ λεγόμενα, καὶ τὴν ἑρμηνείαν ποικίλλειν ἐπιχειρήσεσί τε καὶ ῥυθμῷ χαρίεντι, καὶ γνώμας εἰσάγειν συνεχεῖς, καὶ μάλα τῷ ὑποκειμένῳ προσφόρους, θαυμαστός. ἔγραψε μὲν οὖν δράματα δύο καὶ ἐννενήκοντα τὰ πάντα, ἐν οἷς ἦν ὀκτὼ μόνα Σατυρικά. νενίκηκε δὲ ἐν πᾶσι τούτοις τοῖς δράμασι νίκας πεντεκαίδεκα. ἤρξατο δὲ τοῦ περὶ ταῦτα ἀγῶνος, ἐτῶν πέντε καὶ εἴκοσι γεγονώς. φασὶ δὲ, αὐτὸν καὶ ζωγράφον γεγονέναι, καὶ δείκνυσθαι αὐτοῦ πινάκια ἐν Μεγάροις. γυναῖκα δὲ γήμας, πρώτην μὲν Μελιττὼ, ἔπειτα, αὐτῆς ἀπελθούσης, Χοιρίλην, υἱοὺς ἔσχε τρεῖς, Μνησαρχίδην ἔμπορον, Μνησίλοχον ὑποκριτὴν, καὶ ὁμώνυμον αὐτῷ Εὐριπίδην, περὶ λόγους διατρίβοντα. ἦν δὲ σύννους, καὶ στρυφνὸς τὸ ἦθος, καὶ μισόγελως, καὶ σκυθρωπὸς, καθὰ καὶ Ἀριστοφάνης σκώπτων φησίν· Στρυφνὸς ἔμοιγε προσειπεῖν Εὐριπίδης. φωράσας δὲ τὸν αὑτοῦ ὑποκριτὴν, Κηφισοφῶντα, ἐπὶ τῇ γυναικὶ, καὶ τὴν ἐντεῦθεν μὴ φέρων αἰσχύνην, σκωπτόμενος ὑπὸ τῶν κωμῳδοποιῶν, ἀφεὶς τὴν Ἀθήνησι διατριβὴν, εἰς Μακεδονίαν ἀπῆρε παρὰ τὸν βασιλέα Ἀρχέλαον. καὶ δεχθεὶς ὑπ' αὐτοῦ κάλλιστα, καὶ φιλοτιμηθεὶς, μεγίστης ἠξιοῦτο τιμῆς. διατρίβων οὖν ἐκεῖ, ἐπειδὴ ἔν τινι ἄλσει φροντίζων ἔτυχε, κατεβρώθη, ὥς φασιν, ὑπὸ τῶν Ἀρχελάου κυνῶν, τοῦ Μακεδόνων βασιλέως, ἐξιόντος εἰς θήραν, ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονώς. ἐτάφη μὲν οὖν ἐν Μακε-

lineare, et auditorem ceu manu prehensum ad ulteriora deducere, id Euripidis artificium est. Mirus autem in dictorum suorum perspicuitate et majestate, et ipsum sensum argumentis et rhythmo amabili variegando, et continuas sententias valde materiæ consonas inducendo. Scripsit quidem in universum fabulas nonaginta duas; inter quas octo tantum erant satyricæ. Adeptus autem his omnibus fabulis quindecim victorias. Et hæc primus certamina aggressus est, viginti quinque annos natus. Ferunt, ipsum etiam pictorem fuisse, ejusque tabellas ostendi Megaris. Uxorem autem primo duxit Melittonem, deinde, hac repudiata, Chœrilen; filios habuit tres, Mnesarchidem mercatorem, Mnesilochum histrionem, et cognominem sibi Euripidem, dicendi studio intentum. Severus porro erat et asper moribus, lætitiæ osor et tetricus; sicut et Aristophanes illum cavillans ait: "Difficilis conventu mihi est Euripides." Cæterum quum suum proprium histrionem, Cephisophontem, cum uxore deprehendisset, et contumeliam exinde partam minime ferret, sæpe taxatus a comœdis, relictis Athenis, in Macedoniam se contulit, ad Archelaum regem. Ab illo honestissime susceptus est, honoribusque auctus, ad summam dignitatem pervenit. Ibi itaque quum degeret, quando forte fortuna per nemus quoddam cogitabundus ambularet, dilaniatus est, ut dicunt, a canibus Archelai, Macedonum regis, ad venationem tum exeuntis, ultra septuaginta annos natus. Sepultus est quidem in Macedonia, sed et Athenis honorarium illi

δονίᾳ, κενοτάφιον δὲ αὐτοῦ Ἀθήνησι γέγονεν, ἐφ' οὗ ἐπέγραψε Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς, ἢ Τιμόθεος ὁ μελοποιὸς, τάδε·

Μνᾶμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου· ὀστέα δ' ἴσχει
  Γῆ Μακεδών· ᾗ γὰρ δέξατο τέρμα βίου·
Πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλὰς, Ἀθῆναι· πλεῖστα δὲ Μούσας
  Τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

Φασὶ δὲ, ἐπὶ τῷ ἀκούσματι τῆς Εὐριπίδου τελευτῆς, τοὺς μὲν Ἀθηναίους πάντας πενθῆσαι· Σοφοκλέα δὲ αὐτὸν μὲν καὶ φαιὸν ἐνδεδῦσθαι χιτῶνα· τοὺς δὲ ὑποκριτὰς αὐτοῦ ἀστεφανώτους τῷ τότε εἰσαγαγεῖν πρὸς τὸν ἀγῶνα. οὕτω δὲ αὐτὸν Φιλήμων ἠγάπησεν, ὡς καὶ τάδε περὶ αὐτοῦ τολμῆσαι εἰπεῖν·

Εἰ ταῖς ἀληθείαισιν οἱ τεθνηκότες
Αἴσθησιν εἶχον ἄνδρες, ὥς φασίν τινες,
Ἀπηγξάμην ἄν. ὥστ' ἰδεῖν Εὐριπίδην.

οὕτως ἡγοῦντο πολλοῦ τινος ἄξιον.

monumentum exstructum erat; cui * Thucydides historicus, vel Timotheus musicus, hæc inscripsit:

Græcia tota quidem monumentum Euripidis: Ossa
  Terra tenet Macedum; quæ fera fata dedit.
Patria Græcia Græciæ, Athenæ; pluraque musas
  Delectans, tumulo carmina plura refert.

Narratur vero, ad nuntium mortis ejus universos quidem Athenienses luxisse; Sophoclem vero ipsum, pulla amictum tunica, histriones suos sine coronis in certamen tunc temporis celebratum introduxisse. Tantopere autem Philemon eum adamavit, ut hæc de eo dicere non dubitaverit:

Si sensum haberent mortui, ut quidam volunt,
Finire vitam mihi laqueo meam velim;
Ut pascerem oculos intuendo EURIPIDEM.

Tanti illum nimirum æstimabant.

* Vid. in Euripid. Vita. §. XXXII.

# TRACTATUS

DE

# TRAGŒDIA

## VETERUM GRÆCORUM,

ITEM

DE THEATRO, ET SCENA, ET ILLIUS APPARATU, NEC NON DE MUSICA THEATRICA, DEQUE VERSUUM TRAGICORUM LEGIBUS.

AUCTORE EODEM JOSUA BARNESIO.

---

### ARGUMENTUM.

I. TRAGŒDIÆ origo ab Homero. II. Qui et pluribus fabulis materiam suppeditavit. III. Veteres Tragœdiæ Auctores, quam Æschylus, Sophocles, Euripides tandem perficiunt. IV. Veterum patrum objectiones contra eam diluuntur. V. Tragœdiæ utilitas. VI. Theatra et amphitheatra; item odeum. VII. De scena triplici; item de mimis, choragis, scenarum mutatione, et de partibus scenæ ac totius demum theatri. VIII. De histrionibus et eorum apud Græcos dignitate. IX. De histrionum ornatu et habitu. Item de vocis cura et Phonascis. X. De choro. XI. De musica theatri. XII. De tragico metro. XIII. Peroratio totius operis.

### I.

DE TRAGŒDIA veterum Græcorum dicturus, originem ipsius poëseos et incrementum paulo altius repetendum puto; architectorum more, qui, jactis prius fundamentis, tum demum superstructionem per gradus ordinatim faciunt, suis ornamentis et coloribus ubique adhibitis, donec ipsum tandem perficiatur suis partibus absolutum undiquaque ædificium. Et HOMERUS quidem nobis statuendus est omnis poëseos fons, auctor et inventor; non, quod ante eum non exstiterint clara ob hanc nomina forsan aliquammulta; sed quod illorum omnium, quotquot ii fuerint, claritudinem hic unus diviniori sua luce perstrinxit et superavit, et quod

arte magis et ingenio, dictionis charactere et splendore, mentis acumine et indolis majestate, copia denique et universalitate, rerum magnitudine et numerorum vi longe cæteris omnibus, et ante ipsius tempora et post natis, præluxit. Nam et illius ILIAS est EPICORUM omnium poëmatum princeps et exemplar; et illius ODYSSEA tragœdiæ partim, et partim comœdiæ ansam dedit; et Margites ejus comicum pariter et satyricum genus redolet, et etiam iis numeris, qui postea dithyrambici et Pindarici vocabantur, et mixto metro originem dedit: quandoquidem ex multiplici versuum varietate constiterit. Quamvis enim iambicam severitatem præ se tulisse dicatur, non tamen solo iambico gaudet metro, sed nec heroico genere, nec elegiaco, nec alio fere quolibet caruisse memoratur. Dramaticas insuper imitationes complectitur, nec tamen scurrilitatem et convicia facit; sed faceto quodam lepore vitium omne genus omnino deridendum nobis propinat, et virtutem ac morum honestatem e contra tollit et collaudat; ut [a] Aristoteles nobis testatur; et ex paucis, quæ etiamnum supersunt, fragmentis licet colligere. Qualia sunt hæc de Margite ipso;

[b] *Πόλλ' ἠπίστατο ἔργα, κακῶς δ' ἠπίστατο πάντα.*

Et illa: [c] *Τὸν δ' οὔτ' αὖ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν, οὔτ' ἀροτῆρα,*
*Οὔτ' ἄλλως τι σοφόν· πάσης δ' ἡμάρτανε τέχνης.*

II. Quare hunc omnes tragici poëtæ patrem agnoscunt et auctorem; unde Æschylus sua poëmata dixit esse tantum *Μικρά τινα τεμάχια τῶν μεγάλων Ὁμήρου δείπνων.* Et Sophocles præcipue *Φιλόμηρος* et Homerus tragicus est dictus, ut e contra Homerus vocabatur Sophocles epicus. Euripides vero quanti illum æsimabat et æmulabatur, passim in notis nostris declaravimus; ne dicam, Homeri poëmata materiam omnibus fere dramaticis poëtis præbuisse: Hinc enim Andromache, Hecuba, Orestes, Troades, Cyclops, Helena, et Rhesus EURIPIDIS; Agamemnon ÆSCHYLI; Ajax et Philoctetes SOPHOCLIS; ut ne omnes antiquas tragœdias hic percurram: adeo Troja materiam dedit Homero, cæteris autem ille omnibus poëtis: Quam rem [d] Palaton, pictor ingeniosus, comico penicillo lepide significavit aliquando; magnam enim circa Homerum, stomachum regerentem, poëtarum pronam turbam descripsit, singulos *τὰ ὑπ' αὐτοῦ ἐμεμεσμένα* resorbentes. Et Argivos puto his rationibus ductos, poëticæ totius palmam Homero tribuisse; ut Ælianus tes-

a Aristot. Poët. c. 4. fol. 655.

b Socrates apud Platonem ex Homeri Margite citat.

c Arist. Ethic. et Clem. Alex. Strom. l 1.

d Cæl. Rhodigin. l. 21. c. 44. et Lilius Gyrald. Poët. Dialog. ex Æliano.

tatur;[a] Ποιητικῆς ἁπάσης Ἀργεῖοι τὰ πρῶτα Ὁμήρῳ ἔδωκαν· δευτέρους δὲ αὐτοῦ ἔτταττον πάντας. Et quod omnibus tragœdis chorum ducat Homerus, ipse fatetur[b] Plato, ubi contra eos loquitur: Ῥητέον, ἦν δ' ἐγὼ, καίτοι φιλία γέ τίς με καὶ αἰδὼς ἐκ παιδὸς ἔχουσα, περὶ Ὁμήρου ἀποκωλύει λέγειν· ἔοικε γὰρ τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν Τραγικῶν πρῶτος Διδάσκαλός τε καὶ Ἡγεμὼν γενέσθαι.

III. Sunt tamen, qui ante Homerum[c] Theomin quendam, Oresti coætaneum, tragœdiæ apud Græcos auctorem prædicant, quem Minos et Auleas secuti dicuntur. Ita Scholiastes vetus: Ἐν τοῖς χρόνοις Ὀρέστου ἐθαυμάζετο παρ' Ἕλλησι Θέομις, ὃς πρῶτος ἐξεῦρε Τραγῳδικὰς μελῳδίας, καὶ ἐξέθετο πρῶτος Δράματα· καὶ μετ' αὐτὸν Μίνως, καὶ μετὰ Μίνωα Αὐλέας Χοροὺς Τραγικοὺς συνεστήσατο. Alii[d] primum tragœdiæ auctorem faciunt Epigenem Sicyonium; a quo Thespin Atheniensem ex Icaria familia tribus Ægeidis decimum sextum tradunt. Ita Suidas: Ὁ Θέσπις ἑκκαιδέκατος ἀπὸ πρώτου γενομένου Τραγῳδοποιοῦ Ἐπιγένους Σικυωνίου. Hos vero non tam artis tragicæ rationem omnem habuisse verisimile est, quam τῶν αὐτοσχεδιασμάτων, quorum[e] Aristoteles meminit, et poëseos hujusmodi originem fuisse affirmat. Ut verbo rem expediam, veteres quidem ita fere statuisse reperio, quotquot de rebus certis maluerunt loqui, quam de dubiis frustra disputare. Ex illorum igitur sententia Thespis erat primus tragœdiæ auctor, simplicis quidem istius, atque rudioris paulo, omnique ἐκ τῆς ὄψεως ψυχαγωγίᾳ carentis: nec enim theatrico ornatu cohonestabatur; nam ut[f] Horatius canit;

> Ignotum tragicæ genus invenisse Camœnæ
> Dicitur et plaustris vexisse poëmata Thespis.

Unde et Plutarchus in Solone: Ἀρχομένων τῶν περὶ Θέσπιν ἤδη τὴν Τραγῳδίαν κινεῖν. Et hic sane in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ Eusebiana dicitur primum docuisse, hoc est, tragœdiam populo exhibuisse, Olympiadis sexagesimæ primæ anno primo, quod et Suidas confirmat; duodecim nempe annis ante Æschylum natum. Thespin itaque excepit Phrynichus, qui et illius discipulus fuisse traditur, claruitque circa Olympiadem sexagesimam septimam; sed et Olympiadis septuagesimæ sextæ anno primo victor erat, quando Themistocles choragum egit, ut ostendimus in[g] Euripidis vita. Sed hic in tragœdia nihil putatur promovisse. Post hunc Chœrilus, Atheniensis tragicus, pater illius, ut puto, quem Arch-

a Var. Hist. l. 9. c. 15.
b Πολιτείας δεκάτῳ. Vid. Euseb. in Evang. Præpar. l. 12. fol. 392.
c Julius Cæsar Bulenger. de Theatro l. 1. c. 2. Tho. Stanleius in Æschyl. f. 700.
d Vid. Mich. Apostol. Chil. 15. Proverb. 13.
e Aristot. Poët. c. 4.
f Horat. de Art. Poëtic.
g Euripidis Vit. An. 4.

elao, Macedoniæ regi, placuisse diximus eadem vita, qui Olympiade septuagesima cum [a] Pratina et Æschylo decertabat. Hic centum et quinquaginta [b] fabulas composuisse traditur; triginta demum victorias reportasse; personis quoque et ornamentis ordinem atque initium dedisse creditur. Certe sub illo * theatrum apud Athenienses exstructum est primum, quod aliquando tabulata corruerent, in quibus populus staret, dum Pratinas fabulam exhiberet.

Ab his itaque acceptam tragœdiam ÆSCHYLUS ornatiorem fecit, præsertim tragico apparatu; nam et eam syrmate ornavit, et cothurnis sublevavit, et pulpito excelso grandiorem fecit, et heroum formis, nuntiis, internuntiis, et iis omnibus, quæ in scena, aut sub scena, vulgo adhibentur, ut [c] Philostratus testatur: unde Athenienses merito illum patrem tragœdiæ vocarunt et ad Dionysia etiam mortuum invitarunt. Is quidem eminet dictionis majestate, qua supra cæteros mortales assurgere non sine vitio contendebat: erat enim turgidus et grandiloquus, gravis et audax, et bellicis motibus in auditorum animis excitandis aptus; qua re maxime suis Atheniensibus placere visus, tunc temporis ob Persicas victorias elatis, et circa res bellicas occupatis. SOPHOCLES vero harum ampullarum scopulos vidit et majestatis amans nihilominus tumorem et fastum fere rejecit; nec enim id penitus fecit. Hic in certaminibus nonnihil [d] innovavit; primum enim abrogavit morem, quo tenerentur ipsi poëtæ personam quandam agere histrionice; conscius nimirum suæ vocis exilitatis. Hic etiam chorum ad quindecim resonas auxit, qui prius ex duodecim tantum constabat. Chorum autem, ut obiter hoc notem, aliquando pro persona haberi, aliquando præter personas, nec raro in duas dividi, quæ Ἡμιχόρια dicuntur, semel hic observasse sufficiat. Præterea σκηνογραφίαν, sive scenæ picturam, invenit, teste [e] Aristotele; et tertiam demum personam in scenam primus induxit. Nam licet Æschylus in principio Promethei sui Robur et Vim et Prometheum et Vulcanum simul inducat, non ibi nisi duæ tantum personæ loquuntur, hoc est Robur et Vulcanus; nec enim Prometheus loqui prius incipit, quam cæteri illi, opere absoluto, abierint et priori scenæ finem fecerint. Et quando alii poëtæ totis tetralogiis certare sint soliti, [f] Sophocles unam tantum fabulam uni alterius cujusvis committere voluit, quod

a Suidas in Voce Πρατίνας et Tho. Stanleius in Æschyl. fol. 701.

b Lil. Gyrald. Poët. Hist. Dialog. 6. fol. 249.

* Suidas in Πρατίνας.

c Ὁ Αἰσχύλος τραγῳδίαν ἐσθῆτι κατασκευάσας, καὶ ὀκρίβαντι ὑψηλῷ, καὶ ἡρώων εἴδεσιν, ἀγγέλοις τε καὶ ἐξαγγέλοις, καὶ οἷς ἐπὶ σκηνῆς τε καὶ ὑπὸ σκηνῆς χρὴ πράττειν. Philostrat. in Sophist. Vid. Julii Cæsar. Bulenger. de Theatro l. 1. c. 2.

d Πολλὰ ἐκαινούργησεν ἐν τοῖς ἀγῶσι, πρῶτον μὲν καταλύσας τὴν ὑπόκρισιν τοῦ Ποιητοῦ, etc. Sophoclis Vita H. Stephani editioni præmissa.

e Poët. c. 4.

f Καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ Τετραλογίαν. Suidas. Vid. Sam. Petit. Miscell. l. 1. c. 2. p. 7.

tamen quotannis fecisse dicitur. Præterea Sophocles [a] candidos calceos saltaturis reperit, ut in saltando micationes pedum conspicatiores fierent; et fabulas suas [b] componere solebat ex ratione, quam ad histrionum dispositionem haberet; ut sic melius actioni prospiceret.

Jam vero quando Euripides tantis in tragœdia artificibus successit, dolendum ei fuisse videtur, Alexandri M. in morem, quod illorum excellentia nihil illi reliquum factura videretur. Verum is majori quidem studio opus sibi esse ratus, stylum immutavit, familiariusque paulo locutus est, dictionibus oratorio generi magis aptis, at selectis omnino et probioris monetæ, * ut in vita illius observavimus, iisque figurarum et ingenii viribus artificiose suffultis. Præterea [c] singulare illius erat artificium in fabularum suarum limine lucem toti fabulæ aperire et omne præsentis materiæ argumentum exponere. Nemo autem mortalium tanta dexteritate veteres fabulas ad præsentis tunc temporis circumstantias referre unquam deprehenditur; quod maximum semper audiendi lenocinium habetur. Adeo autem se omnia auditorum suorum Gratia scribere professus est; ut etiam [d] volens sciensque nonnunquam de scenæ regulis remitteret, et artem tragicam arte populari commutaret; nec enim illum aliquis ignorantiæ unquam arguerit. Quare nemo magis providenter, ubi quid minus probabile erat prolaturus, sibi consulit, viamque præmunit ac struit; uti passim in [e] annotationibus nostris probavimus; quod et in hujus poëtæ vita observamus. De his itaque tribus poëtis, tragœdiæ auctoribus, fundatoribus, patribusque, recte [f] Velleius Paterculus: "Una, neque multorum annorum spatio divisa, "ætas, per divini spiritus viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, "illustravit tragœdias."

IV. Quare cum jam ad perfectam ab hoc insigni triumviratu tragœdiam pervenimus, in illius commendationem lubet hic pauca dicere; quoniam nonnulli veterum patrum contra eam satis intemperanter debaccharunt; quod sine modernorum offensione aliqua audiri non potest. [g] Tertullianus itaque inprimis inquit: "Tragœdos cothurnis extulit "diabolus; quia nemo potest adjicere cubitum unum ad staturam suam; "et sic mendacem vult facere Christum." Ni sanctum hominem amarem et vererer; in risum fortasse effunderer. Lactantius vero theatra

a φησὶ δὲ Ἴστρος, καὶ τὰς λευκὰς κρηπῖδας etc. Vita Sophoclis, ut supra.

b Καὶ πρὸς τὰς φύσεις αὐτῶν γράψαι τὰ Δράματα. Vita Sophocl. ut supra.

* Fol. xxxvii.

c Vid. in Euripidis Vita §. XX. fol. xxxix.

d Monsieur Hedelin Art. Scen. p. 24.

e Electr. v. 50. etc. Vid. Eurip. Vit. §. XV. fol. xxviii.

f Vell. Paterc. l. 1.

g Tertull. libro de Spectaculis. Huc refer Julii Cæsar. Bulenger. de theatro l. 1. c. 50. et 51. et Gerard. Joh. Voss. Institut. Poëtic. l. 2. c. XXXIV.

ipsa, scenasque simul omnes cum suis tragœdiis et comediis evertit: "In scenis quoque," [a] inquit, "nescio an sit corruptela vitiosior: Nam "et comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus mere-"tricum; et quo magis sunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo "magis sententiarum elegantia persuadent et facilius inhærent audien-"tium memoriæ versus numerosi et ornati. Item tragicæ historiæ "subjiciunt oculis parricidia et incesta regum malorum et cothurnata "scelera demonstrant. Histrionum quoque impudicissimi motus, quid "aliud nisi libidines docent et instigant?" Hæc ille: nec divus ipse Chrysostomus minus contra ludos scenicos et Circenses, contra theatra et hippodromos declamitare solet, et plus [b] uno in loco effulminare. Hæc vero patris optimi jurgia de ipsis spectaculis præcipue videntur intelligenda, vel certe illi ipsi patres ex seipsis aliisque haud minoris classis sunt refutandi. Non dico hic, nos soli Chrysostomo hodie debere, quod Aristophanis, quæ exstant, comœdias habeamus; qui et ipse nonnihil vehementis suæ in vitiis muliercularum corripiendis eloquentiæ ex hoc auctore mutuatus creditur. Hanc rem alius pro me dicat [c] "Quin et Antiochenus ille Johannes, ab oris ubertate Chrysosto-"mus cognominatus, Constantinopoleos patriarcha, fertur bonam partem "suæ facundiæ, tum vehementiæ in corripiendis vitiis, maxime mulier-"cularum, ex Aristophanis pæne quotidiana lectione hausisse; cum, ut "Alexander olim Homeri poëma, sic sanctus hic vir Aristophanis "comœdias, pulvillo subdere solitus fuerit. Itaque cum publico Græ-"corum sacerdotum ac monachorum consensu eliminati sint e scholis "comici, quasi eorum lectio minus competat adolescentibus ob nequi-"tiam: hic tamen unus in communi crimine (si crimen est, exprimere "vitia, ut ea explodamus) impetravit veniam, nimirum prærogativa "eloquentiæ. Atque hinc factum est, ut solus comicorum Græcorum "nunc exstet et omnibus placeat Aristophanes." Hæc ille ex veteri historia. Quod ad Lactantium attinet, nemo in scenicorum poëtarum operibus versatior, ut in omni fere politioris literaturæ genere; quare ille lasciviam spectaculorum mimosque et Atellanos gesticulatores damnat et profaniores gentium historias et [d] infamiam theatri, quæ apud Latinos magna, apud Græcos haud item: nequaquam autem sanctissimas has Euripidis tragœdias lectoribus eripere voluit. Quod si maxime faceret, æque intemperantiam zeli illius in hac parte damnandam putarem, ac illorum, qui Celsi et Porphyrii et Hieroclis, aliorumque

a Lactant. l. 6. c. 20.

b Chrysostom. Homil. 69. in Matthæi c 21. et Homil. 62. ad populum Antiochen. Et Homil. in Psalm. 50.

c Anonymus Aristophanis Vitæ Auctor, edit. Amstelod. 1670.

d Vid. Julii Cæsaris Bulengeri de Theatro l. 1. c. 51. et Gerard. Joh. Vossii Institut. Poëtic. l. 2. c. 10. §. 10.

ethnicorum scriptorum opera flammis damnanda censerent; quasi Christi veritas illorum calumnias pati non posset; nec illorum quoque operibus multa inessent Christianis lectoribus haud inutilia. Præterea longe aliud nobis suadere potest auctoritas Clementis Alexandrini, Justini Martyris, Athenagoræ, Tatiani contra Græcos, Eusebii, Isidori Pelusiotæ, innumerorumque aliorum; qui sancti gravesque viri cum fuerint, tum aliorum poëtarum, tum Euripidis nostri præcipue, carmina laudare nequaquam sunt veriti. Quin scimus, et ipsum divum Paulum [a] apostolum ex [b] Menandri, novæ comœdiæ principis, Thaide comœdia senarium quendam inter diviniores suas literas consecrasse: *Φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί.*

V. De utilitate autem tragœdiæ multi multa dixere; quod nempe sit vitæ magistra, et morum efformatrix, mundi speculum, philosophiæ theatrum, virtutis schola, unde plurimi docti, gravesque viri mirificam doctrinam hauserint. Hinc [c] Epictetus: *Μέμνησο, ὅτι Ὑποκριτὴς εἶ Δράματος, οἵου ἂν θέλῃ ὁ Διδάσκαλος· ἂν βραχὺ, βραχέος· ἂν μακρὸν, μακροῦ· ἂν πτωχὸν ὑποκρίνεσθαί σε θέλῃ, ἵνα καὶ τοῦτον εὐφυῶς ὑποκρίνῃ· ἂν χωλὸν, ἂν ἄρχοντα, ἂν ἰδιώτην. Σὸν γὰρ τοῦτ' ἐστὶ τὸ δοθὲν ὑποκρίνασθαι πρόσωπον καλῶς· ἐκλέξασθαι δὲ αὐτὸ, ἄλλου.* Quale et illud, quod [d] Teles apud Stobæum dixit: *Δεῖ, ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν Ὑποκριτὴν, ὅ, τι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς, οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα, ὅ, τι ἂν περιθῇ ἡ Τύχη· καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ Ποιήτρια, ὁτὲ μὲν Πρωτολόγου, ὁτὲ δὲ Ὑστερολόγου περιτίθησι πρόσωπον, καὶ ὁτὲ μὲν Βασιλέως, ὁτὲ δὲ Ἀλήτου.* Sed hæc sunt *Διδάγματα ἀπὸ τῶν ἔξω.* Ipsa tragœdiarum Lectio magnas nos præclaras res docet, si quis, uti par est, attente rem ipsam pensitaverit. Nec enim possibile est, quin cordati homines, dum varios humanæ vitæ casus et fortunæ lusus in scena repræsentatos vident, sapientiores fiant et ad calamitates suas ferendas habiliores; quando regum maximorum et semideorum heroum casus, infortunia, cædes et exilia coram ipsis spectent. Præclare in hanc rem [e] Timocles comicus in *Διονυσιαζούσαις*:

> Ὦ 'τὰν, ἄκουσον, ἤν τί σοι δοκῶ λέγειν·
> Ἄνθρωπός ἐστι ζῶον ἐπίπονον φύσει,
> Καὶ πολλὰ λυπήρ' ὁ Βίος ἐν αὐτῷ φέρει.

a 1 Corinth. c. 15. v. 33.
b Vid. Hugon. Grotii Excerpt. in Menandri Thaide; ubi Latine ita: "Collo- "quia mores prava corrumpunt bonos."
c Epictet. c. 23.
d Teles apud Stobæum Serm. 27. περὶ Αὐταρκείας.
e Timocles apud Athenæ. l. 6 fol. 223. Stobæum in Florileg. f. 509. et Arsenium Euripidis. Scholiorum Collectorem in Epistola Paulo PP. III. nuncupata in ipso fine. Exstant etiam in Minoribus Poëtis ex Edit. Rad. Winterton. Cantabrig. 1637.

Παραψυχὰς οὖν φροντίδων ἀνεύρατο
Ταύτας· ὁ γὰρ νοῦς τῶν ἰδίων λήθην λαβὼν,
Πρὸς ἀλλοτρίῳ τε ψυχαγωγηθεὶς πάθει,
Μεθ' ἡδονῆς ἀπῆλθε παιδευθεὶς ἅμα·
Τοὺς γὰρ Τραγῳδοὺς πρῶτον, εἰ βούλει, σκόπει,
Ὡς ὠφελοῦσι πάντας· ὁ γὰρ ὢν μὲν πένης,
Πτωχότερον αὐτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον
Γενόμενον, ἤδη τὴν πενίαν ῥᾷον φέρει.
Ὁ νοσῶν τι μανικὸν a Ἀλκμαίων' ἐσκέψατο·
Ὀφθαλμιᾷ τις; b εἰσὶ Φινεΐδαι τυφλοί·
Τέθνηκέ τῳ παῖς; ἡ Νιόβη κεκούφικε.
Χωλός τίς ἐστι; τὸν Φιλοκτήτην ὁρᾷ.
Γέρων τις ἀτυχεῖ; κατέμαθεν τὸν Οἰνέα.
Ἅπαντα γὰρ τὰ μείζον', ἢ πέπονθέ τις,
Ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγονότ' ἐννοούμενος,
Τὰς αὐτὸς αὑτοῦ συμφορὰς c ἧττον στένει.

Adverte sodes; numquid ex usu loquar:
Est homo miserrimum animal ex ortu suo,
Multasque secum vita fert molestias;
Mali levamen igitur hoc ingens sui
Sibi ipsa reperit. Namque mens proprii mali
Oblita, dum se mulcet aliena obtuens,
Documenta pariter et voluptatem trahit.
Primum tragœdos, si placet, considera:
Quam commodi sint omnibus: qui pauper est,
Ubi Telephum se pauperem magis videt,
Ibi pauperem se dicier minus dolet.
Lymphatur aliquis? Alcmæonem conspicit.
Oculis laborat? Cœca proles Phinei.
Natum aliquis effert? Nioba lugentem levat.
An claudicat quis? At Philoctetem videt.
Miser in senecta est? Intuetur Œneum.
Ita quisque, dum majora aliis, quam quæ sibi,
Mala contigisse cogitat secum sagax,
Animo æquiore sortis injurias gemit.

Hanc rem claram facit illa Neoptolemi histrionis responsio, de qua ita Clitomachus apud Stobæum: Νεοπτόλεμον, τὸν τῆς Τραγῳδίας Ὑποκριτὴν, ἤρετό τις, τί θαυμάζοι τῶν ὑπ' Αἰσχύλου λεχθέντων, ἢ Σοφοκλέους, ἢ Εὐριπίδου; Οὐδὲν μὲν τούτων εἶπεν· ὃ δ' αὐτὸς ἐθεάσατο ἐπὶ μείζονος Σκηνῆς, Φίλιππον

a In hac voce media syllaba communis est, de qua re vid. ad Hecub. v. 1090. Sic Oraculum illud; Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι.

b Item restituo pro ἴσιφην ἴδαι, Ita res monet; Phineus enim filios suos novercae calumniis motus excœcavit. Wintertonus sensum magis, quam literarum vestigia, sequens Οἰδίπουν ἔνιδε τυφλὸν legit.

c In aliquibus legitur ῥᾷον φέρει, quod tamen supra occurrit; quare minus placet hic. Vid. Hugon. Grotium ad hunc locum apud Stobæum, ut supra.

ἐν τοῖς τῆς θυγατρὸς Κλεοπάτρας γάμοις πομπεύσαντα, καὶ τρισκαιδέκατον Θεὸν ἐπικληθέντα, τῇ ἑξῆς ἐπισφαγέντα ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ ἐῤῥιμμένον.

VI. De veterum, præcipue Græcorum, theatris nonnihil nunc dicendum; quanquam dramaticæ historiæ scriptores antiqui, quorum nomina haud pauca [a] Bulengerus nobis exhibet, omnes omnino perierunt. Ex modernis paucissimi in hanc provinciam missi, iique haud multum eam ornarunt; quales sunt * Franciscus Floridus Sabinus, aliique, qui obiter eam et aliud agendo attingunt. Lilius Gyraldus in poëticæ historiæ dialogis multa in hanc rem præclare dicta habet. Lipsius de amphitheatro libellum edidit doctrinæ uberis, verum haud magni sane, ut mihi videtur, momenti. Gerardus Johannes Vossius in poëticis suis institutionibus omne fere punctum tulit. At [b] Julius Cæsar Bulengerus spicilegium adeo amplum ex veterum libris collegit, ut librorum perditorum damnum minus ægre feramus. Nos hinc inde ex his omnibus, aliisque aliquot auctoribus, quæ necessaria sunt, colligemus; eos, qui avidiores haustus amant, ad prædictos auctores remittentes. Et theatra quidem primo extemporanea, sive tumultuaria, erant exstructa, et ex ligno facta, quæ solvi possent, et denuo erigi; et erant tabulata gradatim insurgentia, in quibus spectabat senatus populusque Atheniensis, [c] Ἴκρια ideo dicta. Aliquando autem cum, [d] Pratina tragœdiam agente, tabulata subito corruerent ingenti strepitu, nec sine magno spectatorum periculo, saxeum tandem Athenis theatrum in Dionysio exstruebatur. Hinc saxea, vel marmorea, et perpetua theatra sunt facta, præcipue Athenis, idque, mole et magnificentia stupenda; ut mox dicemus. Quare et Ἑκατόμπεδα dicta accepimus; quod aream centum ab undique pedum, sive potius diametrum centumpedalem, obtinerent; licet illud virginum templum, quod a Pericle in Ἀκροπόλει exstructum peculiariter Ἑκατόμπεδον esset dictum, theatrum non fuerit, ut [e] Bulenger. ex Hesych. sine causa colligit, quum a [f] Dicæarcho dicatur supra theatrum situm: Ὁ καλούμενος Παρθενὼν, ὑπερκείμενος τοῦ Θεάτρου, μεγάλην κατάπληξιν ποιεῖ τοῖς θεωροῦσι.

Theatrorum forma circularis primo, mox semicircularis facta, unde amphitheatri nomen; et aperta erant, adeo ut spectatores opus haberent petasis et tunicis contra solem et imbres; quanquam ipsa scena, ubi occasio foret, aulæis ingentibus et parapetasmatis umbellæ in

a Jul. Cæs. Bulenger. de Theatro l. 1. c. 6.

* Fr. Flor. Sabin. Lect. Subcisiv. l. 1. c. 15.

b De Theatro l. 2. quorum prior capita continet LXI. alter XCVIII.

c Vid. Hesych. in Ἴκρια.

d Suidas in Pratina.

e Jul. Cæsar. Bulenger. de Theatro l. 1. c. 13. fol. 235.

f Vid. Joh. Meursii Cecropiæ c. 14. et Attic. Lection. l. 3. c. 16.

morem erectis et extensis sit tecta; postea autem, ubi [a] Romanorum majestas ampliora et toti orbi stupenda theatra exstruxerit, etiam super totis theatris, quod tecto carerent, si qua ingrueret tempestas, aut solis fervor nimium torreret,[b] immensa intendebantur vela carbasina, aut linea, aut etiam serica magnificentiæ causa. Sed et in tectos porticus post cuneos exstructos pluviæ tempore recedere solebant, ubi aperta essent theatra; nam et de theatris nonnullis legimus [c] cedro tectis et fornicatis. Quomodo autem formabatur tota theatrorum moles, consulatur [d] Vitruvius ille architectorum princeps,[e] Sebastianus Serlius et Julius Cæsar Bulengerus, apud quos gradationes et fori et porticus et hospitalia, et vasa et scena, proscenium, orchestra et thymele, graphice pinguntur, et theatrorum etiam formæ depictæ exstant; nobis actum agere non libet; nisi forte pauca infra dixerimus, quæ saltem suffecerint, ad certam harum rerum ideam lectorum animis infigendam.

Sciendum [f] vero, omnia theatra Baccho et Veneri sacra semper habita, et omnes ludos theatrales Dionyso, hoc est, Baccho, dicatos; unde Dionysiaca certamina sint dicta, et theatrici artifices *Διονυσιακοὶ τεχνῖται*. Et Dionysia quidem Athenis bis quoquo anno fiebant, in honorem liberi patris, priora veris tempore in urbe, quando *οἱ φόροι Ἀθήνησιν ἐφέροντο*, vectigalia in urbem ferebantur, altera in agris, autumni tempore, quando vindemiæ causa sacra Baccho agerentur, *Λήναια* dicta; nec peregrini Athenis jam aderant, quod hyems adventaret: unde explicantur, quæ toties in scenicorum didascalicis occurrunt, *Ἐδιδάχθη ἐν Ἄστει·* Et, *Ἐδιδάχθη ἐν Ληναίῳ*, et *ἐν Ληναίοις*, ve *εἰς Λήναια*, hoc est, in Liberalibus. His certaminibus præses constituebatur, qui erat summus pro tempore magistratus, adeo ut [g] Adrianus, antequam imperator foret, hoc unum administrare non detrectaverit. Et hic poëtæ [h] epici, tragici et comici certabant, etiam tibicines, cæterique musici. Choros vero constituebant decem tribus; quarum singulis præpositus choragus; et hujus erat officium, sumtus in choros suæ tribus suppeditare. Meminisse autem oportet,[i] Odeum a Pericle Athenis exstructum, nempe *Ὠιδεῖον*, ubi musica certamina agebantur, et poëtæ recitabant ac periculum faciebant, antequam in ipsum theatrum admitterentur; licet et id ipsum a nonnullis pro theatro habeatur. De quo Plutarchus in Pericle, Pausanias, aliique.

a Pausan. fol. 69. lin. 42. *Τὰ μὲν γὰρ Ῥωμαίων θέατρα πολὺ δή τι καὶ ὑπερῆρε τῶν πανταχοῦ τῷ κόσμῳ.*

b Bulenger. ibid. l. 1. c. 16.

c Bulenger. ibid. l. 1. c. 16. An theatra tecta fuerint?

d Vitruv. Architect. l. 5. c. 3. et 5. usque ad c. 10.

e Sebastian. Serlio l. 2. di Perspettiva. l. 3. De Antichità.

f Bulenger. de Theatro l. 1. c. 1. etc. Lactant. l. 6. § 20. fol. 338.

g Xiphilinus in Adriano.

h Libanius Rhetor contra Midiam. Vid. Bulenger. de theatro l. 1. c. 1. juxta finem.

i Vid. Joh. Meursii Attic. Lection. l. 4. c. 28. et Julii Cæsaris Bulengeri de theatro l. 1. c. 26. ubi de Odeo.

VII. De scenæ rustica et simplici origine ex arboribus, frondibus, et ramis, qualia erant Judæorum in Σκηνοπηγίαις tabernacula, consulatur [a] Hospinianus, aliique; nos de scena jam adulta et perfecta loquimur. Scena itaque inter duo theatri cornua per diametrum extensa erat, aulæis et peripetasmatis hinc inde interius tecta, ne quid eorum, quæ intus erant, pateret. Ipsa autem scenæ frons, nisi siquando nova scenæ facies erat inducenda, semper fere aperta erat, sublatis post populum coactum aulæis. Et ea quidem, pro triplici fabularum genere, triplici modo ordinabatur: Quum [b] enim tragœdia, comœdia, et satyrica esset fabula, scena illa, quæ tragœdiæ inserviret, magnificis palatiis, marmoreis columnis, fastigiatisque turribus, et aliquando, pro materiæ occasione, regiis tentoriis et templorum prospectu ornabatur. Comica autem scena privatarum ædium humili substructione erat contenta; satyrica vero topiario opere constabat, et sylvas, viridaria, fontes, ambulacra, recessus, speluncas exhibebat. Sunt, qui his tribus genus quartum addant, nempe [c] mimicum; verum haud ego illis assentior, quia neque Aristoteles Ὄψιν tragœdiæ essentialem putabat. Non est enim hæc res poëtica, sed ex histrionis solius ingenio dependet, qui variis, iisque loquacibus, corporis sui motibus, et gesticulationibus, dramaticam fabulam aliquam mira sane arte, verum haud poëtica, exprimit, et designat. Et hæc sane ars tantopere ad extremum crevit, eo quod mira voluptate spectatores perfunderet, ut illius professores pantomimi tandem dicerentur; quod rem quamlibet, aut historiam vulgariter notam, aut quosvis animi sensus, sive, ut Aristoteles ait, καὶ ἤθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις, saltationibus suis et pedum micationibus, manuumque gesticulationibus et oculorum totiusque corporis motibus imitarentur. Tales Græci Ὀρχηστὰς χειροσόφους vocabant, quorum principes,[d] ne quid hic dicam de Sophrone, mimorum scriptore, qui Platoni philosopho tantopere placuit, Augusti ætate memorantur Pylades et Bathyllus; de quibus haud pauca [e] Macrobius. Et paulo post illos, hoc est, extremis ejusdem Augusti temporibus, Philistion floruit, comicus et mimus egregius, qui ideo Βιολόγος cognominatus est; quod hanc artem exercuisset. De hoc exstat epigramma, quod nemo satis intellexit, nisi qui mimum eum norit:

a Hospinian. de Origin. Festorum l. 2. c. 1. fol. 38. et vid. quæ Nos ad Ion. v. 819. Bulenger. l. 1. c. 19.

b Huc refer Bulenger. de Theatro l. 1. c. 20. et 28.

c Vid. Gerard. Joh. Vossii Institut. Poëtic. l. 2. c. 36.

d Gerard. Joh. Voss. Institut. Poëtic. l. 2. c. 33.

e Macrobius l. 2. c. 7. Vid. Bulenger. l. 1. c. 52.

[a] Ὁ τὸν πολυστένακτον ἀνθρώπων βίον
Γέλωτι κεράσας, Νικαεὺς Φιλιστίων,
Ἐνταῦθα κεῖμαι, λείψανον παντὸς βίου,
Πολλάκις ἀποθανὼν, ὧδε δ' οὐδεπώποτε.

Cui vita lacrymanda mortalium fuit
Derisui, Nicæus hic Philistio
Jaceo, vigore cassus omni vivido;
Qui sæpe jacui functus, at nunquam hoc modo.

Hac saltatione plurimi viri et fœminæ tum apud Græcos, tum apud Latinos notabiles memorantur; præcipue autem commendatur [b] epigramma de saltatrice fœmina, quæ a Caramallo, insigni mimico, nominatur et ipsa Caramallus.

Μουσάων δεκάτη, χαρίτων Καράμαλλε τετάρτη
Τερπωλὴ μερόπων, Ἄστεος ἀγλαΐη·
Ὄμματά σοι, καὶ ταρσὰ ποδήνεμα, καὶ σοφὰ χειρῶν
Δάκτυλα, καὶ Μουσέων κρείσσονα καὶ χαρίτων.

Musarum decima, o Caramalle, et Gratia guarta,
Ornamentum urbis, deliciæque hominum;
Pes tuus, atque oculus, scite digitique micantes
Et longe Musas et superant Veneres.

Sed ad tragœdiam ut revertar, has fabulas populo exhibere, totumque scenicum ornatum et fabulæ cujusvis apparatum præbere, officium erat apud Græcos choragorum, apud Romanos ædilium; quare qui magnificentius hæc singula populo ministrabant, scenamque ornatiorem reddebant, ii nomen sibi magnum apud populum parabant et laudem etiam æneis tabulis perpetuatam; cujus rei exemplum dedimus in [c] Euripidis vita: ubi Themistoclem choragum diximus. Et hinc eleganter χορηγεῖν dicitur Græce pro ἐλευθέρως δωρεῖσθαι, et χορηγία pro μεγαλοδωρία, liberalis suppeditatio, qualis erat choragorum, quomodo [d] D. Petrus plus semel utitur; Chrysostomus autem præcipue ea voce gavisus videtur. Sed hæc obiter. Non est autem prætereundum, quod scena quoque ob modos, quibus variatur, duplex habeatur, videl. [e] versatilis et ductilis. Versatilis dicebatur scena, cum tota subito machinis quibusdam abduceretur, vel circumverteretur; ut alia rerum imago suc-

a Exstat Antholog. l. 3. c. 6. et Scaliger. Animadvers. in Euseb. Chron. fol. 164. An. MMXXII. ubi Suidam refutat Scaliger. Item Gerard. Joh. Voss. Institut. Poët. l. 2. c. 33.

b Antholog. l. 4. c. 25. Vid. Bulenger. l. 1. c. 22. et Gerard. Johan. Voss. Institut. Poëtic. l. 2. c. 38. in fine.

c Euripidis Vita An. 4. § IX. fol. xvii.

d D. Petri Epist. 2. c. 1. v. 5. et 11.

e Vid. Servium in Virgilianum illud: "Vel scena ut versis discedat frontibus, "utque purpurea intexti tollant Aulæa "Britanni. Georg. l. 3. v. 24."

cederet; ductilis, cum, tractis hac illac tabulatis, alia interior species nudaretur; qui mos in Anglicis nostris theatris plerumque hodie obtinet. Et in orchestra, ubi Λογεῖον, aut Θυμέλη, hoc est pulpitum, aliquando ara, saltabatur apud Græcos, unde et nomen, apud Romanos locus nobilioribus parabatur; ubi et chorus statis lineis ordinabatur: alia enim apud Græcos (de quibus nos præcipue hic loquimur) erat sedes senatorum et nobiliorum, quam Βουλευτικὸν vocabant, de qua re [a] Meursius et [b] Bulengerus, aliique; quin mulierum et virorum sedes divisas fuisse notat Sphyromachus; etiam impudicas seorsim a pudicis spectare Aristophanis Scholiastes alicubi observat. Et scenæ quidem longitudo theatri ipsius latera utrinque cornibus suis attingebat, æqualis ad theatri diametrum, ad orchestræ diametrum duplex.

Totum autem theatrum in duas partes dispescebatur, scenam nempe et caveam, sive cuneos. In ipsa scena tres erant portæ; media, ubi regium palatium, aut templum quoddam deorum, seu quid simile; sinistra et dextra, ubi paulo humiliora ædificia. Et ad mediam portam utrinque alia fuit porta, (præter duas majores prædictas) quarum valvis et superliminaribus affixæ erant machinæ, quales erant [c] Περίακτοι, Ἐξῶστραι, Πέταυρα, * Ἐγκύκλημα, Γέρανος, Θεολογεῖον, Κεραυνοσκοπεῖον, quibus versabatur, mutabaturque scenæ facies, et sursum rapiebantur, aut demittebantur hominum, aut deorum, personæ, aut deorum voces et coruscationes visebantur. Subter autem post scenam remotius a spectatorum oculis, in concavis quibusdam æneis vasibus, quoties fulminandum esset, utres ingentes, calculis et rotundis lapidibus referti, vi versabantur, unde sonitus fulmen referens ortus. Hic locus igitur Βροντεῖον dicebatur. Scenæ partes præterea erant Ἐπισκήνιον, Παρασκήνιον, Προσκήνιον, Ὑποσκήνιον, de quibus breviter. Ἐπισκήνιον Hesychius vocat τὸ ἐπὶ σκηνῆς καταγώγιον, domicilium quoddam super scena, ubi fulgura, aut tonitrus, descensusque deorum per prædictas machinas movebantur. Παρασκήνιον, ex Harpocrationis mente, ὁ περὶ τὴν Σκηνὴν ἀποδεδειγμένος τόπος ταῖς εἰς τὸν ἀγῶνα παρασκευαῖς, locus circa scenam, ubi ludorum præparatoria fiunt, Anglice "A tireing room:" unde etiam, ut [d] Didymus, αἱ ἑκατέρωθεν τῆς Ὀρχήστρας εἴσοδοι, aditus utrinque in orchestram. Idem Ulpianus in oratorem, Suidas et Etymologici auctor confirmant. Jam vero Προσκήνιον, τόπος ἦν καθαρὸς πρὸ τῆς Σκηνῆς, ἐν ᾧ Ὑποκριταὶ

Episcenium.

Parascenium.

Proscenium.

a Johan. Meursius Attic. Lection. l. 1. c. 24.

b Bulenger. de Theatro l. 1. c. 31.

c Vid. Julii Pollucis Onomastic. l. 4. c. 19. Bulenger. de Theatro l. 1. c. 18. et 25.

* Ἐγκύκλημα, μηχανὴ, ἥπερ στραφεῖσα τὰ ἔνδον τοῖς ἔξω ἐδείκνυε. Scholiast. Aristoph. fol. 69.

d Didymus apud Harpocration. in voce Παρασκήνια. Vid. Ulpian. ad Demosthen. ἐν τῷ κατὰ Μειδίου, initio. Vid. Suidam in voce Σκηνή.

*ἠγωνίζοντο*, locus apertus et liber in scenæ fronte, in quo actores partes suas agebant, Anglice "the stage." Ὑποσκήνιον denique est locus sub pulpito (quod et Θυμέλη et Λογεῖον dicitur, de quo supra) in medio orchestræ; ubi tibicines agebant; ut ex [a] Athenæo constat. Hyposcenium autem [b] columnis et statuis plurimis ornabatur, theatrum versus, adeo ut aliquando [c] tercentum et amplius columnæ cum statuis inibi numerarentur. Et certe scenæ spatia haud brevia putanda sunt, in qua præter chorum tot omne genus personæ cum suis quisque satellitiis visebantur. Sed de theatro et scenæ vasta apud veteres amplitudine dixi satis ad Helenæ v. 1410. Et de scena hæc sufficiant, de altera theatri parte jam dicendum.

Hyposcenium.

Et reliqua sane pars tota theatri, *τὸ κοῖλον*, et cavea erat dicta, ubi et capite censi spectabant. Hic autem locus tripliciter consideratur: cavea enim prima, i. e. ima, a melioris notæ civibus occupabatur; secunda, hoc est, media, reliquæ plebi concessa; tertia et summa fœminis. Singulæ autem caveæ Ἀναβάθροις καὶ Ἕδραις sive scalis et sedibus, seu foris, circa positis, quibus et alia nomina Κρεκίδες, (ita enim mallem, quam Κερκίδες) *παρὰ τὸ κρέκειν*, et *ἴκρια*, circumstipabantur. Loci illi, ubi ex multis sedibus communis erat descensus in exitu theatri, vel unde homines glomeratim ingredientes in sedilia se fundebant, dicebantur vomitoria, [d] ut Macrobius testatur. Pone autem in lateribus theatri post singulas caveæ dispertiones, recipiebant se per opus fornicatum in porticus tectos; si forte nimii caderent repentini imbres, aut tempestatum vis oriretur. Pedibus autem in has ligneas sedes complosis pulsare solebant, quod *πτερνοκοπεῖν* vocabant, (quod tamen aliquando etiam assensus erat indicatio) crocitare, *κλώζειν*, et sibilare, *συρίττειν*, quando testarentur dissensum suum; plaudebant autem, jubilabant, [e] et surgentes ac in digitos arrecti alte vociferabant, quando assensum et applausum indicarent. Atque hæc de theatro sint dicta.

VIII. De histrionibus jam pauca sunt dicenda. Apud Græcos sane actores et histriones nequaquam, ut apud Romanos, infames erant, quod et Cornelius Nepos, si recte memini, in præfatione sua observat: sed plerumque ex melioris notæ familiis cooptabantur ad hoc munus. Nec enim in Græcorum certaminibus pudebat magnos aliquando reges

a Athenæ. l. 14. fol. 631.

b Pollux l. 4. c. 19. *περὶ μερῶν θεάτρου.*

c Vid. Bulenger. l. 1. c. 18.

d Macrob. Saturn. l. 5. Vid. Bulenger. de Theatro. l. 1. c. 18.

e Τοὺς οὖν θεατὰς ἅπαντας εἶδον ἐπ' ἄκρων ποδῶν ὑπ' ἐκπλήξεως ἀναστάντας, καὶ φωναῖς μείζοσι καὶ ἐκβοήσεσιν ἐπαλλήλοις ἔπαινον συνείροντας. Vide totum hunc Philonis locum fusius laudatum ad Syleum Fabulam in Fragm. Sylei v. 14.

et principes locum habere, ut de Hierone Syracusano, Archelao, Macedoniæ rege, aliisque ante et post natis, abunde constat. Quare histriones Græci plerumque erant homines docti et ingenui, oratores et poëtæ et in artibus aliis spectabiles; nec Demosthenes modo pronuntiandi artem ab histrionibus didicisse conceditur; verum oratorum, qui ille erat proximus, [a] Æschines ob λαμπροφωνίαν tragœdias ipse in adolescentia actitavit; teste Plutarcho in illius vita. Aristodemus etiam, licet histrio fuerit, sæpius ab Atheniensibus de rebus pacis ac belli legatus ad Philippum destinatus est ab Atheniensibus; quod testatur [b] Cicero. Quinetiam ex histrionum familia aliquando duces et archontes electi fuerunt; nec poëtarum cuiquam ignominiæ vertebatur, si histrioniam exerceret; nec ideo Sophocles primus per se agere recusavit, quod rem illam se indignam judicaret; sed quod voce ad actionem requisita destitueretur. De Æschylo notum; et de Aristophane [c] legimus haud semel, ipsum per se histrionem suarum fabularum egisse. Quare non est mirum, si hujusmodi histriones tandem aliquando oratores magni, aut poëtæ, evaserint. Talis præter supradictos erat ille Neoptolemus histrio et poëta, talisque Philistion, de quibus nos supra; talis et Crates, qui, cum primo Cratini poëtæ Πρωταγωνιστὴς fuerit, mox et ipse poëticam haud invita Minerva aggressus est, et fabulas docuit, testante [d] comici Scholiasta ad Equites. Talis erat Euripidis quoque Πρωταγωνιστὴς, Cephisophon, qui aliquando ipsum nostrum poëtam adjuvisse dicitur in conscribendis tragœdiis; unde Bacchus apud [e] comicum ad Euripidem ait: ταυτὶ πότερ' αὐτὸς εὗρες, ἢ Κηφισοφῶν; Et alias: [f] Εἶτ' ἀνέτρεφον μονῳδίαις, Κηφισοφῶντα μιγνύς. Et talis erat Roscius histrio, qui etiam apud Romanos, quibus illud nomen erat infame, tantæ virtutis habebatur, ut de eo Marcus Cicero, illius familiaris et amicus: [g] "etenim cum artifex ejusmodi sit, ut solus dignus "videatur esse, qui in scena spectetur; tum vir ejusmodi est, ut solus "dignus videatur, qui eo non accedat." Quare ut semper apud Græcos ingenui homines histrioniam agebant; ita gloriam non levem ex hoc numere reportabant; præsertim si quis primas in agendo obtineret, quales, ut supra innuimus, Πρωταγωνισταὶ vocabantur et Πρωτολόγοι. Sic qui secundus ferrent, Δευτεραγωνισταὶ et Δευτερολόγοι, qui tertias, Τριταγωνισταὶ et Τριτολόγοι sunt dicti, qui ultimi erant ordinis et vilissimi muneris. Et hoc Æschini objicit Demosthenes opprobrii loco, non quod simpliciter esset Ὑποκριτὴς, id enim inhonestum non erat; sed

a Vid. Gerard. Joh. Voss. Institut. Poëtic. l. 2. c. 10. § 10. et Cæl. Rhodigin. Antiqu. Lection. l. 27. c. 21.

b Vid. Vossium ibidem.

c Vid. Sam. Petit. Miscell. l. 1. c. 5.

d Aristophan. Scholiast. fol. 220.

e Aristophan. Ran. Act. v. Scen. iv.

f Act. v. Scen. 1.

g Cicero Orat. pro Quinctio.

quod tertias ageret:[a] Ὑπογραμματεύων (inquit) καὶ Τριταγωνιστῶν Ἀριστοδήμῳ ἐν τοῖς Διονυσίοις διετέλει. Hinc illud [b] Menandri lucem mutuatur:

> Πράττει δ' ὁ Κόλαξ ἄριστα πάντων· Δεύτερα
> Ὁ Συκοφάντης· ὁ Κακοήθης Τρίτα λέγει.
> Est primus adulator omnium; secundus est
> Calumniator; invidus sed pessimus.

Hinc teles apud [c] Stobæum, quod et supra laudavimus: Δεῖ, ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν Ὑποκριτὴν, ὅ, τι ἂν ὁ Ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς, οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα, ὅ, τι ἂν περιθῇ ἡ Τύχη· καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ Ποιήτρια, ὁτὲ μὲν Πρωτολόγου, ὁτὲ δὲ Ὑστερολόγου περιτίθησι πρόσωπον, καὶ ὁτὲ μὲν Βασιλέως, ὁτὲ δὲ Ἀλήτου. Ita [d] Cicero: "Ut in actoribus Græcis fieri viderunt; sæpe illum, qui est secundarum, "aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse "primarum, multum summittere, (i. e. voce) ut ille princeps quam "maxime excellat." Quamobrem [e] Theodorus histrio, cum esset protagonista, adeo suæ famæ providisse dicitur, ut ne tritagonistæ quidem permitteret unquam prius populo coram loqui, quam ipse esset locutus; præoccupationem nempe auditorum favoris tanti æstimabat. Non est omittendum, quod [f] Pollux nobis observat, mediam et digniorem portam ad Πρωταγωνιστὴν pertinere, dexteram ad Δευτεραγωνιστὴν, sinistram ad Τριταγωνιστὴν et vilissimam quamque personam.

IX. Tempus est jam, ut de histrionum Græcorum habitu et ornatu nonnihil dicamus; et primo se Πρόσωπον offert considerandum, quod nomen ipsis etiam actoribus convenit; dicitur et Προσωπεῖον, Latine autem PERSONA, quasi περὶ σῶμα, ut nonnulli statuunt, alii a personando; est enim facies hominis conficta, Anglice, "a wizard, or mask," tali modo circa os formata, ut sonum vocis simul collectum clariorem effundat. Unde Gabius Bassus apud [g] Agellium: "Nam caput," inquit, "et os "cooperimento personæ tectum undique, tantum vocis emittendæ via "pervium, quoniam non vaga, neque diffusa est, in unum tantummodo "exitum collectam coactamque vocem et magis claros canorosque soni- "tus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clarescere et reso-

a Demosthenes περὶ Στεφάνου.

b Menand. apud Euripid. Scholiast. ad Hippolyt. v. 428.

c Stobæ. Serm. 27. περὶ Αὐταρκείας. Vid. supra §. V.

d Cicero in Verrem 2da.

e Aristot. περὶ Πολιτικῶν l. 7. c. 17. fol. 449. Ἴσως γὰρ οὐ κακῶς ἔλεγε τὸ τοιοῦτον Θεόδωρος, ὁ τῆς Τραγῳδίας ὑποκριτής· Οὐδενὶ γὰρ πώποτε παρῆκεν ἑαυτοῦ προεισάγειν, οὐδὲ τῶν εὐτελῶν ὑποκριτῶν, ὡς οἰκειουμένων τῶν Θεατῶν ταῖς πρώταις ἀκοαῖς.

f Pollux Onosmatic. l. 4. c. 19. Περὶ μερῶν Θεάτρου. Τριῶν δὲ τῶν κατὰ Σκηνὴν θυρῶν, ἡ μὲν Μέση Βασίλειον [* Σπήλαιον, ἢ Οἶκος, ἔνδοξος] ἢ πᾶν τὸ Πρωταγωνιστοῦν τοῦ Δράματος· ἡ δὲ Δεξιὰ, τοῦ Δευτεραγωνιστοῦντος καταγώγιον· ἡ δὲ Ἀριστερὰ ἢ τὸ εὐτελέστατον ἔχει πρόσωπον etc. [*] Hæc verba Uncinis inclusa sunt Pollucis, sed ad scenam satyricam et comicum spectant, Βασίλειον ad tragœdiam.

g Agell. Noct. Attic. l. 5. c. 7.

"nare vocem facit, ob eam causam persona dicta est, o litera propter "vocabuli formam productiore." Et hæc Πρόσωπα, ut veram personam tegebant, ita et simulatam repræsentabant, sive heroa, sive heroinam, regem, aut ducem, juvenem, senemve, deumve aliquem, aut deam, ex poëtarum et pictorum mente, exprimebant. Sed hæc quidem πρόσωπα fere gigantum vultus (nos vulgo Saracenica capita dicimus) exprimebant, ob heroum nempe granditatem et proceritatem, quos agebant, adeo ut ob ingentem hiatum pueris et inassuetis horridiora paulo viderentur; unde illud Aristophanis: Ἄπολλον ἀποτρόπαιε, τοῦ χάσματος. Lucianus vocat * στόμα κεχηνὸς πάμμεγα. Et [a] Juvenalis—"Personæ pallentis hiatum In gremio matris formidat rusticus infans." Et [b] Horatius: "Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu!" De variis autem personarum generibus consulatur [c] Julius Pollux; nos alio properamus. Super πρόσωπον ponebatur integumentum quoddam ob granditatem Ὄγκος dictum, figura triquetra λαμβδοειδεῖ σχήματι, uti Pollux ait, loco prædicto. Circa illud in regum personis coronæ et diademata visebantur, et in manibus sceptrum dignitatis regiæ symbolum. Sicut autem vultus persona, ita corpus palla, quæ et toga et syrma dicitur, erat indutum, auro quidem, purpura, et gemmis exterius splendente, interius autem sordidis centonibus segmentata. Ut vero veterum heroum majestati undiquaque pares viderentur, cothurnis gradiebantur, sive calceis grandioribus cubitum sive duos pedes longis; unde et illud [d] Athenæi explicatur: Μέσος δὲ τούτων ἐβάδιζεν Ἀνὴρ μείζων τετράπηχυς ἐν Τραγικῇ διαθέσει καὶ προσώπῳ, etc. Et hanc heroum proceritatem quatuor cubitorum fecerunt, ad Herculis exemplum, qui illius [e] staturæ fuisse dicitur, hoc est octo pedum; ita enim Apollodorus: ἦν δὲ καὶ θεωρηθεὶς φοβερὸς, ὅτι παῖς Διὸς ἦν· τετραπηχυαῖον μὲν γὰρ εἶχε τὸ σῶμα. Quare ut reliquum corpus huic proportioni responderet, simulata etiam corpora habebant et ventriculos et falsas manus, longasque et laxas vestes, quæ omnia tegerent; ita enim [f] Lucianus: τὰ Πρόσωπα, καὶ τὰς ἐμβάδας, καὶ τοὺς ποδήρεις χιτῶνας, καὶ χλαμύδας, καὶ χειρίδας, καὶ προγαστρίδια, καὶ σωμάτια, καὶ τἄλλ', οἷς ἐκεῖνοι σεμνύνουσι τὴν Τραγῳδίαν. Et [g] rursus: Εἰδεχθὲς μὲν καὶ φοβερὸν θέαμα εἰς μῆκος ἄῤῥυθμον ἠσκημένος ἄνθρωπος, ἐμβάταις ἐποχούμενος, πρόσωπον ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνατεινόμενον ἐπικείμενος, καὶ στόμα κεχηνὸς πάμμεγα, ὡς καταπιούμενος τοὺς θεατάς· ἐῶ λέγειν προστερνίδια, καὶ προγαστρίδια, προσθετὴν καὶ ἐπιτεχνητὴν παχύτητα προσποιούμενος. Atque iterum

* Fol. 508.
a Satyr. 3.
b Art. Poëtic.
c Onomasticon l. 4. c. 19. περὶ προσώπων Τραγικῶν. Vid. Bulenger de Theatro l. 1. c. 54. de Personis.
d Athenæ. l. 5. c. 7. fol. 198.
e Apollodor. Bibliothec. p. 96. l. 2. c. 4. §. 9.
f Lucianus in Jove Tragœdo fol. 699.
g De Saltatione fol. 508.

[a] de tragœdis loquens: Ὑποδήματα μὲν βαρέα καὶ ὑψηλὰ ὑποδεδεμένοι, χρυσαῖς δὲ ταινίαις τὴν ἐσθῆτα πεποικιλμένοι, κράνη δὲ ἐπικείμενοι παγγέλοια, κεχηνότα παμμέγεθες, αὐτοὶ δὲ ἔνδοθεν μεγάλα τε ἐκεκράγεσαν, καὶ διέβαινον οὐκ οἶδ' ὅπως ἀσφαλῶς ἐν τοῖς ὑποδήμασι. [b] Philostratus autem egregie habitum hunc describit, loquens de tragico histrione, qui coram Hispalensibus, rudibus Hispaniæ incolis, et theatricæ rei prorsus ignaris fabulam acturus, eos omnes in fugam convertit: Παρελθὼν εἰς τὰ Ἴσπολα, φοβερὸς μὲν αὐτοῖς ἐφαίνετο, καὶ ὃν ἐσιώπα χρόνον ἐπὶ τῆς σκηνῆς· καὶ ὁρῶντες οἱ ἄνθρωποι βαδίζοντα μὲν αὐτὸν μέγα, κεχηνότα δὲ τοσοῦτον, ἐφεστῶτα δὲ ὀκρίβασιν οὕτως ὑψηλοῖς, τερατώδη δὲ τὰ περὶ αὐτὸν ἐσθήματα, οὐκ ἄφοβοι ἦσαν τοῦ σχήματος· ἐπεὶ δὲ ἐξάρας τὴν φωνὴν καὶ γεγωνὼς ἐφθέγξατο, φυγῇ οἱ πλεῖστοι ᾤχοντο, ὥσπερ ὑπὸ δαίμονος ἐμβροντηθέντες. Quod de alta voce histrionis Philostratus et Lucianus addunt, sciendum est, histriones maximopere annisos, ut vocem intenderent; quare præter Stentorophonicam illam personati oris formationem, de qua nuper ex Agellio locum protulerim, balneis præcipue et cibis lenibus et laxantibus ad vocem excitandam usi sunt; item vocum moderatores, τῆς φωνῆς ἀσκητάς, ideo φωνασκοὺς dictos, habebant, qui Phonascico quodam instrumento monerent, quomodo vox illis intendenda esset, aut remittenda; de qua re [c] Galenus et alii. Præterea vomitu aliquando et clystere se purgasse legimus, et plumbeam chartam supino pectore sustinuisse; pomisque et aliis vocis suavitati officientibus abstinuisse, quod et de Nerone [d] Suetonius narrat. Quin et jejuni vocem præparabant et exercitatione fingebant; ne quid hic dicam de architectura theatrorum, quæ vocibus reddendis mire aptabatur.

X. Quum jam de histrionibus et eorum ornatu satis sit dictum; de choro liceat paucis orare; qui certe ex personis constat, licet nonnunquam præter personas numerari debeat, ut supra attigimus. Hujus igitur numerum ad quindecim Sophocles primus reduxit, cum ante multo plures, usque ad [e] quinquaginta, aliquando etiam pauciores essent. Chorus sane ex vulgaribus personis constitutus fere fuit, vel ex virginibus, vel mulierculis, vel senibus, vel militibus, iisque nunc civibus, nunc peregrinis, etiam ex pueris et infantibus, modo adsint præterea, qui chori partes agant idonei. Hoc enim concesso, quilibet numerus ad chorum potuit pertinere; ut in supplicibus functorum ducum et aliorum Argivorum liberi infantes et impuberes supponuntur cum choro simul adesse, ad misericordiam magis movendam. Et chorus quidem scenam

a De Gymnasiis p. 797.

b Philostrat. de Vita Apollonii l. 5. c. 3. fol. 216.

c Galenus κατὰ τόπους l. 1. c. 7. Marsilii cognati Var. Observat. l. 2. c. 8. ubi de Phonascis etc. Et Bulenger. de Theatro l. 2. c. 6. et 7.

d Sueton. in Nerone c. 20.

e Pollux l. 4. c. 15. περὶ χοροῦ.

ingrediebatur vel in [a] fronte terni, ordine vero quinquepartito, Anglice "five-deep," quod vocabatur κατὰ ζυγὰ, vel ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν: vel etiam in fronte quini, ordine tripartito, Anglice "three-deep," quod dicebatur κατὰ στοίχους, vel στοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε. Et chori hujus dux, qui reliquis præcineret et primus loqueretur, directorque, ac monitor cæterorum esset, choragus quoque dicebatur. Saltabant autem et canebant omnes ex scenæ et materiæ occasione ad moderationem et exemplum hujus choragi. Aliquando ob aliarum personarum defectum Chorus in duas partes dispescebatur, quas dixerunt Ἡμιχόρια, quod et supra notabamus; ea quidem divisio Διχορία dicta, mutua utriusque cantando responsio Ἀντιχορία; quæ tamen tria verba [b] Pollux rem candem putat designare posse. Tyrtæus dicitur Τριχορίαν apud Laconas instituisse; quando Lacedæmonios ad bellicam virtutem animaret, nisi potius de tribus simul choris hæc vox sit intelligenda. Constabat enim hæc Τριχορία ex senibus, pueris, et juvenibus, hæc [c] sibi mutuo triplici choro succinentibus:

Γέροντες. Ἄμές ποτ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι.
Παῖδες. Ἄμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάῤῥονες.
Νεανίαι. Ἄμες δέ γ' εἰμέν· αἰ δὲ λῇς, αὐγάσδεο.

Nos fuimus olim viribus valentibus.
Nos erimus olim viribus validi magis.
Nos jam sumus: sin vis, periculum cape.

Et chorus quidem apud Græcos indifferenter vel ante, vel post, actum ingreditur, interdum in actu primo; ubi consistit et prologum explicat: cujus rei exemplum nobis dedit Euripides in Rhesi principio, et (ne quis forte illum in hac re singularem putet) Æschylus in Persarum introitu. Male ergo Scaligero chorus definitur, pars fabulæ post actum. Aristoteles e contra chorum potius εἰς τὸ πολὺ, quam εἰς τὸ ἀεὶ, ad numerum magis, quam ad tempus, restringit. Chori autem officium erat, auditorum exspectationem sustentare, ne, vacante scena, languesceret; vel res ab histrionibus expositas querelis, aut laudibus, prosequendo, vel poëtæ ipsius sensus exponendo, et spectatorum animos et aures vocibus et saltationibus delectando, moræque tædium deliniendo. Nec Aristotelis regula omittenda: [d] Καὶ τὸν Χορὸν δὴ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν Ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι, οὐχ ὥσπερ παρ' Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ παρὰ Σοφοκλεῖ. Unus actorum semper debet

a Pollux l. 4. c. 15. περὶ χοροῦ et Gerard. Joh. Vossius Institut. Poëtic. l. 2. c. 16. et Bulenger. de Theatro l. 2. c. 12.
b Pollux l. 4. c. 15. περὶ χοροῦ.
b Plutarch. de laude sui. Vid. Pollucis Onomastic. l. 4. c. 15. περὶ χοροῦ.
d Aristot. Poëtic. c. 16. fol. 666.

chorum excipere, et pars totius fieri et simul agere, non ut apud Euripidem, sed ut apud Sophoclem. Alii aliter hunc locum exponunt, nempe quod existimandum sit, chorum esse inter actores numerandum; sed quod ad hanc expositionem attinet, Euripides et Sophocles nihil differunt; quod ad nostram, neque semper ipse Sophocles facit, neque semper Euripides non facit.

XI. Jam de musica theatri, et deinde de metro tragico pauca sunt proferenda. Cum ipsa sane tragœdia nihil aliud esset, nisi poëticum quoddam et musicum certamen, in quo Musarum simul et Musicæ filii inter se contendebant de primatu; non est dubium, versus illorum cum horum harmonia temperatos fuisse, et hoc quidem de choris nemo unquam dubitavit, cui ideo præcentor semper adfuit, qui et [a] Ἡγεμὼν et Κορυφαῖος χοροῦ et χοροδιδάσκαλος vocabatur, cui secundus erat Μεσόχορος: ad hujus enim signum chorus aliquomodo ordinabatur, hic in semichoriis respondebat coryphæo; et hi quidem saltationibus suis et vocibus, ad instrumenta musica temperatis, unum elegantem chorum et sonum simul efficiebant; aliquando etiam alta voce et sine instrumento canebant. Hæc nostra dicta veterum suffragio comprobemus; [b] Aristoteles: Καθάπερ δὲ ἐν χορῷ Κορυφαίου κατάρξαντος, συνεπηχεῖ πᾶς ὁ χορὸς ἀνδρῶν, ἔσθ' ὅτε καὶ γυναικῶν, ἐν διαφόροις φωναῖς ὀξυτέραις καὶ βαρυτέραις μίαν ἁρμονίαν ἐμμελῆ κεραννύντων, κατὰ τὸ * ἐνδόσιμον ὑπὸ τοῦ Κορυφαίου προσαγορευθέντος. Et Philostratus in Venere: Ἄϊδουσι γὰρ αἱ παῖδες, ᾄδουσι· καὶ ἡ διδάσκαλος ὑποβλέπει τὴν ἀπᾴδουσαν κροτοῦσα τὰς χεῖρας, καὶ εἰς τὸ μέλος ἱκανῶς ἐμβιβάζουσα· Quem locum ita imitatus est [c] Aristænetus: Καὶ ἡ διδάσκαλος ἐπέβλεπε τὴν ἀπᾴδουσαν καὶ εἰς τὸ μέλος ἱκανῶς ἐνεβίβαζε, χειρονομοῦσα τὸν τρόπον. Audiamus in hanc rem [d] Senecæ verba: "Non vides, quam multorum vocibus chorus "constet? Unus tamen ex omnibus sonus redditur. Aliqua illic acuta "est, aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris fœminæ, interpo-"nuntur tibiæ; singulorum illic latent voces, omnium apparent. De "choro dico, quem veteres philosophi noverant. In commissionibus "nostris plus cantorum est, quam in theatris olim spectatorum fuit, cum "omnes vias ordo canentium implevit, et cavea æneatoribus cincta est, "et ex pulpito omne tibiarum genus, organorumque consonuit: fit con-"sensus ex dissonis.

a Pollux l. 4. c. 15. περὶ χοροῦ.
b Aristot. de Mundo.
* De hac voce vid. Hesych. et Phavorin.
c Aristænet. l. 1.
d Senec. Epist. L. XXXIV.

De choris itaque, ut dixi, non est dubitandum, videamus itaque, annon in ipsis scenis locus aliquis daretur musicæ. Hoc mihi in animum primus injecit sæpe laudatus, multumque mihi laudandus Doctor Johannes Couel, Christi Collegii Præfectus Humanissimus, Musisque et musicæ bene notus amicus; qui constanter asseveravit, id sibi visum, quod et scenis adhiberetur aliqualis musica; nempe ipsi heroës more recitativo cantabant. Id nunc mihi probandum in manus sumo. Et quum, ex [a] Diomedis mente, modulatio sit continuati sermonis in jucundiorem dicendi rationem artificialis flexus, in delectabilem auditus formam conversus, asperitatis atque imperitiæ vitandæ causa; * Aristoteles inprimis in problematis inter alia hæc habet: *Διὰ τί οἱ ἐν Τραγῳδίᾳ Χοροὶ οὔθ' ὑποδωριστὶ οὔθ' ὑποφρυγιστὶ ᾄδουσιν; Ἢ ὅτι τὸ μέλος ἥκιστα ἔχουσιν αὗται αἱ ἁρμονίαι, οὗ δεῖ μάλιστα τῷ χορῷ; ἦθος δὲ ἔχει ἡ μὲν ὑποφρυγιστὶ, πρακτικόν· ἡ δὲ ὑποδωριστὶ, μεγαλοπρεπὲς καὶ στάσιμον· διὸ καὶ κιθαρῳδικωτάτη ἐστὶ τῶν ἁρμονιῶν· ταῦτα δ' ἄμφω Χορῷ μὲν ἀνάρμοστα, τοῖσδε ἀπὸ Σκηνῆς οἰκειότερα· ἐκεῖνοι μὲν γὰρ Ἡρώων μιμηταί. Οἱ δὲ ἡγεμόνες τῶν ἀρχαίων, μόνοι ἦσαν ἥρωες· Οἱ δὲ λαοὶ, ἄνθρωποι· ὧν ἐστιν ὁ Χορός. διὸ καὶ ἁρμόζει αὐτῷ τὸ γοερὸν καὶ ἡσύχιον ἦθος, καὶ μέλος· ἀνθρωπικὰ γάρ. ταῦτα δ' ἔχουσιν αἱ ἄλλαι ἁρμονίαι· ἥκιστα δὲ αὐτῶν ἡ ὑποφρυγιστί· ἐνθουσιαστικὴ γὰρ καὶ βακχική. κατὰ μὲν οὖν ταύτην πάσχομέν τι [παθητικοὶ γὰρ οἱ ἀσθενεῖς μᾶλλον τῶν δυνατῶν εἰσι· διὸ καὶ αὕτη ἁρμόττει τοῖς χοροῖς], κατὰ δὲ τὴν ὑποδωριστὶ καὶ ὑποφρυγιστὶ πράττομεν, ὃ οὐκ οἰκεῖόν ἐστι Χορῷ· Ἔστι γὰρ ὁ Χορὸς κηδευτὴς ἄπρακτος· Εὔνοιαν γὰρ μόνον παρέχεται, οἷς πάρεστι.* Id est, "quare in tragœdia chori neque Hypodorio, neque Hypophrygio, "modo canunt? An quod hæ harmoniæ modulos non habent, quibus "maxime choro opus est? Mores autem Hypophrygius habet actioni "congruos; Hypodorius vero magnificum quid et solidum; quare "harmoniarum maxime citharæ convenit. Hi autem utrique choro "quidem sunt inepti, iisque, qui in scena loquuntur, fere proprii: Illi "enim heroum imitatores. Et veterum quidem principes, soli erant "heroës; populi autem, homines; e quibus constituitur chorus. Quare "et illi conveniunt mores, modulique flebiles et tranquilli. Humana "enim sunt ista. Et hæc aliæ harmoniæ præstant; minime autem ex "iis Hypophrygius modus; est enim enthusiasticus et vehemens. Et "juxta alium, i. e. Mixolydium, patimur quid, (passioni autem obnoxii "sunt impotentes magis potentibus: quare et hic modus choris conve-"nit) juxta vero Hypodorium et Hypophrygium agimus, quæ res chori "non est propria. Est enim chorus curator actione carens; benevolen

a Diomedes l. 2. De modulatione. Vid. sect. ejusdem §. 6, 15, 30, et 31. et
* Aristotel. Problem. sect. XIX. §. 49. de Poëtica c. 6. &c.

"tiam enim tantum præbet, quibus adest." Ex hoc loco sole ipso clarius constat, quosdam modos scenæ proprios, quosdam choro; nempe Hypodorios et Hypophrygios scenæ, διὰ τὸ αὐστηρὸν, καὶ σκληρὸν, ut [a] Athenæus de eadem hac re loquitur; aut certe διὰ τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ στάσιμον, quod Aristoteles supra dixit; qui ideo Mixolydium genus choro tribuit; quia leniores et magis vulgo acceptos aptosque modos exhibet. Recte itaque [b] Strabo et rhapsodiam et tragœdiam et comœdiam ab ᾠδὴ, cantus, deduxit. Adducatur huc demum [c] Lucianus testis: qui in libello περὶ Ὀρχήσεως hæc habet de histrione: Εἶτ' ἔνδοθεν αὐτὸς κεκραγὼς, ἑαυτὸν ἀνακλῶν καὶ κατακλῶν, ἐνίοτε καὶ περιᾴδων τὰ ἰαμβεῖα, καὶ τὸ δὴ αἴσχιστον, μελῳδῶν τὰς συμφορὰς, καὶ μόνης τῆς φωνῆς ὑπεύθυνον παρέχων ἑαυτόν· τὰ γὰρ ἄλλα τοῖς ποιηταῖς ἐμέλησε, προπολλοῦ πότε γενομένοις. καὶ μέχρι μὲν Ἀνδρομάχη τις, ἢ Ἑκάβη ἐστὶ, φορητὸς ἡ ᾠδή· ὅταν δὲ Ἡρακλῆς αὐτὸς εἰσελθὼν μονῳδῇ, ἐπιλαθόμενος αὑτοῦ, καὶ μήτε τὴν Λεοντῆν αἰδεσθεὶς, μήτε τὸ Ῥόπαλον, ὃ περίκειται, Σολοικίαν εὖ φρονῶν εἰκότως φαίη ἄν τὶς τὸ πρᾶγμα. Id est: "deinde ipse vociferans, seipsum inclamans, et verberans, aliquando et iambos cantillans, et quod "turpissimum est, calamitates modulans; ac sola voce semet ipsum "obnoxium præbens: quippe alia priscis poëtis curæ erant. Et quamdiu quis Andromachen, aut Hecubam agat, tolerabilis est CANTIO; "ubi vero ipse Hercules scenam ingrediatur lugubri carmine, sui "oblitus, neque Leoninam, neque clavam, reveritus, qua utitur, jure "utique hanc rem solœcismum aliquis sui compos dicat." In Italia etiamnum tragœdiæ totæ musicis notis temperatæ aguntur et scribuntur, qualem nos vidimus apud venerabilem æque et amabilem virum, dominum doctorem Couel, de qua re monuimus in argumento Hypsipylæ. Quin, ut [d] audio, apud nos Anglos tragœdia illa, quæ nominatur "the Siege of Rhodes," a domino Gulielmo Davenantio conscripta, musicis numeris erat tota constricta et veterum more in scena decantata, hoc est stylo recitativo.

XII. De tragico nunc metro nonnihil dicendum, præsertim quantum suffecerit ad scenarum rationes addiscendas, et etiam chororum quicquid ab aliis explicatur intelligendum. Chororum enim leges metricæ satis a Scholiastis sunt excussæ in septem prioribus tragœdiis; quas facile intellexerit, qui ea, quæ sequuntur, probe perpenderit, pedumque variorum nomina et quantitates attenderit. Huc referantur Pindari, Sophoclis, Horatii et Senecæ veteres Scholiastæ; quibus omnia fere versuum choricorum genera elaborantur. Addatur Hephæstion, Alex-

a Athenæ. l. 14. fol. 525.
b Strabo l. 1. fol. 18.
c Lucian. de saltatione fol. 508.
d Vid. Gerard. Langbaine's Dramat. Poët. in Sir William Davenant.

andrinus grammaticus; Terentianus, Marius Victorinus, Diomedes, Marius Plotius, Bassus, reliquique * grammatici veteres Latini, qui de metris scripserunt. Item modernorum Gulielmus Canterus in prolegomenis ad Euripidem; ubi ex Hephæstione chororum σχήματα disponit; etiam Abdias Pictorius, Johannes Claius Hertzbergensis, Hieronymus Avantius, Georgius Fabricius, Henricus Glareanus, Daniel Bedo in sylloge præceptorum prosodiæ; et illi, quos Draudius ob hujusmodi scripta laudat; qui omnes tractatus de variis carminum generibus et de Græcorum prosodia ediderunt. Nos hic ea tantum, quæ maxime necessaria fuerint, breviter libabimus; eos, qui plura desiderant, ad supra laudatos auctores remittentes.

Musica ars ad canonicam geometriam spectat; quæ est vocum et harmoniarum debita analogia. Κανονικὴ, itaque, ut † Agellius inquit, longitudines et altitudines vocis emetitur. Longior mensura vocis Ῥυθμὸς dicitur, altior Μέλος. Est et alia species geometriæ, quæ appellatur Μετρικὴ, per quam syllabarum longarum et brevium et mediocrium junctura et modus, congruens cum principiis geometriæ, aurium mensura examinatur. Et has disciplinas, quia in principiis ipsis ineptæ et insuaves videntur; aut omnino non discimus, aut prius desistimus, quam intelligamus, cur discendæ sint; inquit doctissimus Romanorum, ‡ M. Varro. Voluptas autem, vel utilitas, talium disciplinarum in postprincipiis, ut idem loquitur, existit, quum perfectæ absolutæque sunt. Nos itaque tanti viri judicio freti, nihil verebimur hisce grammaticis studiis paululum immorari: cum et ipsius rei usus, et de nonnullis bene merendi voluntas satis nos contra invidorum cavillationes in hac parte munire possint. Prosodia itaque, ut [a] Diomedes ait, dicitur apud Græcos quod προσᾴδεται ταῖς συλλαβαῖς. Eo autem nomine præcipue vocatur ars metrica, quæ tractat de syllabarum quantitate, pedum compositione et versuum numero ac mensura. Syllabæ quantitas sequitur naturam vocalis, nisi ubi positio accedat: tum enim brevis syllaba ob duplicem consonam sequentem producitur; et apud Græcos aliquando longa vocalis ante alteram corripitur, ut in [b] vocibus ἐπειὴ, ποιητὴς, τοιοῦτος, et Ἀλκμαίων, in hoc versu: Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι. Syllaba brevis unius est temporis, longa duorum. Est et syllaba communis, quæ tempus suum variat, et nunc longa, nunc brevis habetur. Tempus hic dicitur mora vocis super syllabæ prolatione; ut in voce *surgere;* bis tantum moramur in priori syllaba longa, quantum in

* Grammaticæ Latinæ Auctores Antiqui, Helia Putschio Edente, Typis Wechelianis, Hanoviæ, anno 1605.

† Agell. Noct. Attic. l. 16. c. 18.

‡ Apud Agell. ibidem.

a L. 2. de Accentibus inter Grammaticæ Latinæ Auctores Antiquos. Edit. Heliæ Putschii, ut supra.

b Vid. quæ nos ad Hecubæ v. 1090. et hujus Tractatus §. V. ad Timoclem.

duabus aliis brevibus. Tempus itaque est syllabæ mensura, syllaba pedis, pedes metri, metra carminis: carmen enim constat metro, metrum pedibus, pedes syllabis, syllabæ temporibus. Duæ ergo breves syllabæ uni longæ æquipollent, duæ autem longæ quatuor breves æquant; unde tribrachys vel iambo, vel trochæo, æqualis videtur; dactylus, aut anapæstus, et proceleusmaticus, spondeo, et vice versa: quæ Græci melius vocant *ἰσοδύναμα*. Pes itaque ex syllabis duabus, aut amplius, constat, metrum ex *διποδία*, i. e. pedibus duobus, vel etiam pluribus; et ex metris aliquot carmen; nec enim satis proprie monometra dici videntur. Hinc dimetrum, trimetrum, tetrametrum, pentametrum, hexametrum, heptametrum; quæ ex pedum numero etiam quaternarii, senarii, octonarii, etc. appellantur; quanquam et ipsa vox metrum pro carmine aliquando usurpetur. Pedes igitur pro vario syllabarum, quas complectuntur, numero et quantitate sunt diversi, quandoquidem in cantilenis ipsæ voces ad campanarum modum vario et numeroso pulsu eduntur.

Quatuor igitur pedes sunt dissyllabi, quia quatuor tantum modis locatio duarum longarum et totidem brevium syllabarum inter se variari potest.

1 Spondeus, duas habet longas, quatuor temporum - — —
2 Pyrrhichius, qui et Dibrachys, duas breves, duorum temporum ⏑ ⏑
3 Trochæus, qui et Chorius, primam longam, alteram brevem, trium temporum - - - - - — ⏑
4 Iambus, primam brevem, alteram longam, trium quoque temporum - - - - - - ⏑ —

Octo sunt pedes trisyllabi, quia tres syllabæ diversæ quantitatis tot modis variantur.

1 Molossus, tres longas habet, sex temporum - — — —
2 Tribrachys, qui et Choreus, tres breves, trium videl. temporum ⏑ ⏑ ⏑
3 Dactylus, primam longam, duas reliquas breves, quatuor temporum - - - - - - — ⏑ ⏑
4 Anapæstus, qui et Antidactylus, duas priores breves, alteram longam - - - - - ⏑ ⏑ —
5 Bacchius, priorem brevem, duas reliquas longas, quinque temporum - - - - - ⏑ — —
6 Antibacchius, qui Palimbacchius et Pompicus vocatur, duas priores longas, ultima brevi - - - — — ⏑
7 Amphimacer, qui et Creticus, inter duas longas mediam unam brevem - - - - - — ⏑ —
8 Amphibrachys, inter duas breves unam mediam longam ⏑ — ⏑

Sedecim sunt Pedes Quatuor Syllabarum; tot nempe modis variandi sunt tot syllabarum motus et tempora; et hi pedes sunt compositi.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Ionicus ἀπὸ μείζονος, duas longas habet et duas breves, i. e. Spondeum et Pyrrhichium - - | – – ◡ ◡ |
| 2 | Ionicus ἀπ' ἐλάσσονος, duas breves et totidem longas; videl. Pyrrhichium et Spondeum - - - | ◡ ◡ – – |
| 3 | Choriambus, ex Trochæo et Iambo constat - | – ◡ ◡ – |
| 4 | Proceleusmaticus, ex duobus Pyrrhichiis, hoc est ex quatuor brevibus - - - - | ◡ ◡ ◡ ◡ |
| 5 | Dispondeus, ex duobus Spondeis, hoc est quatuor longis | – – – – |
| 6 | Antispastus, ex Iambico et Trochæo - - | ◡ – – ◡ |
| 7 | Diiambus, ex duplici Iambo - - - | ◡ – ◡ – |
| 8 | Ditrochæus, ex duplici Trochæo - - | – ◡ – ◡ |
| 9 | Pæon primus, ex prima longa et tribus reliquis brevibus, i. e. Trochæo et Pyrrhichio - - - | – ◡ ◡ ◡ |
| 10 | Pæon secundus, ex secunda longa, reliquis brevibus, i. e. Iambo et Pyrrhichio - - - | ◡ – ◡ ◡ |
| 11 | Pæon tertius, ex tertia longa, reliquis brevibus, i. e. ex Pyrrichio et Trochæo - - - - | ◡ ◡ – ◡ |
| 12 | Pæon quartus, ex tribus prioribus brevibus et ultima longa, i. e. ex Pyrrhicio et Iambo - - | ◡ ◡ ◡ – |
| 13 | Epitritus primus, qui et Hippius, ex prima brevi, tribus reliquis longis, i. e. ex Iambo et Spondeo - - | ◡ – – – |
| 14 | Epitritus secundus, ex secunda brevi, tribus reliquis longis, i. e. Trochæo et Spondeo - - | – ◡ – – |
| 15 | Epitritus tertius, ex tertia brevi, reliquis tribus longis, i. e. ex Spondeo et Iambo - - - | – – ◡ – |
| 16 | Epitritus quartus, ex quarta brevi, tribus reliquis longis, i. e. ex Spondeo et Trochæo - - - | – – – ◡ |

Horum omnium vocabulorum rationes, causas et origines * Marius Plotius explicat, si quem etiam hæc curiositas tangat: sed et plures numerantur pedes; Diomedes enim grammaticus triginta duos præterea colligit quinque syllabarum; et sex syllabarum multo plures nominantur; quos tamen omnes in prædictos liceat resolvere. Quare illos missos facimus, quoniam et supra dicta nomina sufficiant illis, qui Scholiastarum quorumlibet metricas rationes assequi velint; quando præsertim terminos nonnul-

* Inter Veteres Grammaticos Latinos, ut supra.

los palam fecerimus. Græci sane a dipodia, i. e. gemino pede, nominant versus, in iambicis, trochaicis et anapæsticis, non item in dactylicis; Latini autem a singulorum pedum numero; ut *μονόμετρος*, Græcis, binarius Latinis, *δίμετρος*, quaternarius, *τρίμετρος*, senarius, *τετράμετρος*, octonarius, *πεντάμετρος*, denarius, et ultra non progrediuntur; quanquam voces *ἑξάμετρος* et *πεντάμετρος* in heroicis et elegiacis etiam de pedibus sumantur. Et carminum quidem simplicium, quæ nomen habent a pedibus, qui in iis præcipui sunt, novem sunt genera, videl. iambicum, trochaicum, dactylicum, anapæsticum, choriambicum, antispasticum, Ionicum a majore, Ionicum a minore, et Pæonicum. Carminum compositorum genera triginta quatuor vulgo numerantur, quæ tamen omnia ad prædicta genera quodammodo referuntur; qualia dicuntur Callimachia, Euripidea, Sapphica, Pindarica, Archilochia, Alcaica, Alcmania, Aristophania, Asclepiadea, etc. De quibus adeundi sunt supra dicti auctores. Præterea versus utrisque, Græcis et Latinis, dicuntur catalecti, acatalecti, hypocatalecti, brachycatalecti, hypercatalecti; qui termini explicandi sunt*. Catalecti itaque sunt versus, quibus una syllaba deest ad perfectionem *διποδίας*, aut pedis tetrasyllabi; tales sunt in omnibus carminum generibus, præterquam in dactylico, anapæstico, Cretico et Bacchiaco, quæ pedes habent trisyllabos, excepto etiam Ionico a majore. Sunt et catalecti in dissyllabum, quibus una deest syllaba ad perfectionem pedis trisyllabi. Tales sunt in dactylicis, anapæsticis, et in tetrametro Bacchiaco. Versus acatalecti sunt, qui præcise suis numeris constant; sive duabus, aut tribus, quatuor, aut quinque dipodiis constent, in iambicis, trochaicis et anapæsticis; sive in reliquis carminum generibus, qui duobus, aut tribus, quatuor, quinque, vel sex constent pedibus integris, nulla syllaba redundante, vel deficiente. Hypocatalecti, sive catalecti in syllabam, sunt, quibus syllabæ duæ deficiunt ad perfectionem pedis trisyllabi; quod fit in dactylicis et anapæsticis tantum. Brachycatalecti, quibus integer pes ad completionem dipodiæ, vel dimidium pedis quadrisyllabi, deficit; tales fiunt in omnibus generibus, exceptis dactylico, anapæstico, Cretico, Bacchiaco, et Ionico a minore, præter tetrametrum. Hypercatalecti denique, quibus ultra perfectionem una syllaba superest de pede dissyllabo, aut de dipodia, seu pede quadrisyllabo. Tales fiunt in iambicis, trochaicis, choriambicis, et anapæsticis; in Ionicis et pæonicis nulla sunt hypercatalecta. Hypercatalecti in syllabam sunt, quibus de pede trisyllabo ultra perfectionem una superest syllaba. Hypercatalecti in dissyllabum, quibus de pede trisyllabo ultra perfectionem supersunt duæ syllabæ. Et horum utrique fiunt in dactylicis et anapæsticis tantum. Sed de his

* *Παρὰ τὸ καταλήγω, in fine desino.*

rebus consulatur Demetrius Triclinius, Georgius Fabricius de re poëtica, Johannes Claius, aliique supra laudati auctores: nobis non est amplius immorandum. Et sane, quandoquidem Arsenius noster, reliquique Græcorum poëtarum Scholiastæ de diversis choricorum carminum generibus satis accurate tractent; nihil nobis hoc in loco, nisi de scenicis versibus, disserendum, idque tyronum tantum gratia, quibus ego semper aliquomodo consultum velim. Euripidis quidem omnes scenæ ex iambis trimetris, i. e. senariis, vel ex trochæis, constant. Carmen iambicum purum constat ex puris iambis, ut Eurip. Electr. v. 755. Φίλαι, τί χρῆμα; πῶς ἀγῶνος ἥκομεν; cui si præmittas amphimacrum, erit purus putus trochæus, hoc modo: Εἴπατ', ὦ φίλαι, τί χρῆμα. πῶς ἀγῶνος ἥκομεν. Quæ res, ut obiter hoc dicam, satis erit trochæo carmini explicando. Quoniam vero purus iambus, nimis arctis constrictus regulis, haud multa satis verba admitteret, poëtæ tragici angustos sibi limites laxarunt, et alios hinc inde pedes, in locis præsertim imparibus, admiscendos certis rationibus duxerunt. Quare in paribus locis, qui sunt secundus, quartus, sextus, fere semper iambus, aut pes ἰσοδύναμος, ut tribrachys, aliquando etiam in secundo et quarto, sed rarissime apud tragicos, anapæstus reperitur: in locis imparibus, ut primo, tertio et quinto, præter iambum, vel dactylus, vel spondeus, vel tribrachys, aut etiam proceleusmaticus, vel anapæstus, pro poëtæ arbitrio ponuntur; ex spondei enim mora optime temperatur iambi celeritas, et dactylus, atque anapæstus et proceleusmaticus, quum spondeo sint ἰσόχρονα, tribrachys autem iambo, oppido magis dictionum et metri varietatem, ac proinde auditorum voluptatem, adaugent. Trochæus vero in nulla iambi parte stare potest, ut neque iambus in trochæo, ne confusio fiat; quod Terentianus notavit. Et ad hanc Græcorum normam Seneca, Latinus tragicus, fabulas suas composuit, licet illi in paribus locis anapæstus nunquam usurpetur, teste Hieronymo Avantio; et videtur sane is usus valde irregularis, quia pes iste spondeum æquat, aut dactylum, tempore; qui tamen pedes hic ipsi stare non possunt. Et tamen, fatendum est, hoc alicubi apud ipsum Euripidem fieri, licet haud nimium frequenter; qui tamen sæpe puros iambos habet, sæpissime majori ex parte puros; etiam in quinto loco iambum sæpe ponit, quod Seneca rarissime facit, is enim spondeum plerumque eo in loco gaudet ponere. Eadem autem est ratio trium imparium locorum inter se; et una quoque inter se trium parium; excepto, quod sextus locus constantissime iambum postulet: semel aut bis, tribrachyn. Notandum autem, Ennium et veteres tragœdos Latinos plus sibi indulgere solitos: præcipue enim loci ultimi rationem habuerunt, in cæteris promiscue spondeo, dactylo, tribrachy, anapæsto utebantur, quomodo et

comici Latini, et Plautus ante omnes. Etiam Græci comœdi plus libertatis, quam tragici, sibi arrogarunt.

XIII. Hæc habui, quibus morem tyronibus gererem; nunc ad finem properandum. Non est jam spatium, ut totius hujus operis rationes hic recenseam; non est animus, laborem, fidem, industriam, diligentiam, aut hujusmodi quid jactandi. Erat certe, omnes, qua potui, vires intendere; etenim, quicquid agere lubet, id sedulo agere juvat. Quid in ipso auctore, plurimis antea mendis, lacunis, nævis scatente, præstiterim; quid in Scholiis, quæ misere prius erant depravata, conturbata, decurtata; quid in versione Latina, cui millies medicam manum adhibui, candidus lector, cujus fere solius gratia hunc optimum omnium tragicorum poëtam purum et expurgatum, magna parte auctum, suique compotem reddiderim, conferendo cum aliis editionibus facile deprehendet: etiam ex majori indice observabit. Quod si harum literarum egregius aliquis patronus otium nobis et securitatem tandem aliquando præbuerit, plura hujusmodi opera fas est de me exspectare. Nondum enim quadragenarius ætate, viribus animi corporisque integris (deo optimo maximo sit laus) vigeo; nec ullum laborem in his rebus detractare soleo; certe, nisi omnium penitus ingratiis, ut sæpe olim, laboraturum me putavero.

GULIELMI CANTERI

IN

# EURIPIDEM

## PROLEGOMENA.

QUONIAM duo quædam sunt a nobis in hoc poëta præstita, studiose lector, cujus utrumque sit generis, quantique momenti, breviter explicandum arbitror. Primum igitur mendis infinitis, tum levioribus, tum gravioribus, scatentem poëtam sic emaculavimus, ut paucos in tota re literaria scriptores repertum iri, quibus tantundem remedii sit adhibitum, putem. Id porro totum fere nostro debere ingeniolo, multæque et attentæ Euripidis lectioni, non difficulter fatebor: veruntamen aliquantum nos adjuverunt, et quæ Henricus Stephanus nuper ex antiquis codicibus in hujus poëtæ partem posteriorem contulit, quæque ante annos aliquot Joannes Brodæus in eandem annotat. Secundo igitur loco, quod hactenus pro difficillimo ac propemodum desperato fuit habitum, præstitimus, ut carminum rationem in hoc scriptore, densissimis tenebris involutam, clarissima luce donaremus; quæ res cum per se præclara potest haberi, tum ad poëtam recte intelligendum et menda tollenda mirum quantum conducit. Hoc porro totum quoque nobis fere deberi, non injuria quis dixerit: nam quæ in duas primas Euripidis tragœdias, et partem tertiæ, sunt a grammaticis de metris conscripta, nec plena semper sunt, nec vera; remque per se satis obscuram sæpe obscuriorem reddunt; quod idem etiam Sophocli usu venisse video, multoque magis Æschylo primo: ideoque in his etiam duobus veram carminum rationem olim, si videbitur, proponemus. Maximum vero contulit adjumentum Hephæstio grammaticus, qui tribus chartis, ut est in proverbio, poëmatum species carminumque genera recensuit. Eum quia nos fere secuti sumus, quid ab illo hac de re præscriptum fuerit, quomodoque nos ad poëtam nostrum hæc applicuerimus, referemus. Hanc igitur tradidit poëmatum divisionem Hephæstio. Poëmata, inquit, alia sunt *κατὰ στίχον*, alia systematica, alia mista, alia communia. *Κατὰ στίχον* dicuntur, quæ uno eodemque constant carminis genere, ut Ilias, ut Odyssea: nec tantum carminis, sed etiam coli, vel commatis. Ut enim

versus dicitur, qui tres, vel quatuor Syzygias habet, ita colum duas tantum habet, easque non plenas comma. Systematica dicuntur, quæ vario carminum genere in unum congesta constant. Est enim systema, duorum, vel plurium, carminis generum congeries, sive sint ea dissimilia, ut fere semper, sive etiam similia, ut sunt Ausonii disticha, quæ hactenus Catoni vulgus adscripsit. Mista dicuntur, quæ partim *κατὰ στίχον* sunt, partim systematica. Hujus generis tragœdiæ sunt, in quibus iambi poësin *κατὰ στίχον* efficiunt, reliqua systematicam. Communia denique dicuntur, quæ et *κατὰ στίχον*, et systematica sunt. Hujus generis, quæ modo nominavi, sunt Catonis disticha; nam et eodem carminis genere sunt omnia, et bina cernuntur singula. Systematica porro sex generum sunt; vel enim *κατὰ σχέσιν* sunt, vel *ἀπολελυμένα*, vel *μετρικὰ ἄτακτα*, vel e similibus, vel mista systematica, vel communia systematica. *Κατὰ σχέσιν* dicuntur, quæ inter se respondent; atque hæc rursum sex generum sunt. Vel enim monostrophica sunt, vel epodica, vel *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ*, vel antithetica, vel mista *κατὰ σχέσιν*, vel communia *κατα σχέσιν*. Monostrophica sunt, quæ una stropha constant; qualia sunt Anacreontis et Alcæi carmina. Epodica sunt, quæ similibus systematibus dissimile adjunctum habent: id si in fine ponatur, vocantur epodica, generis nomine, si in principio, proodica, si in medio, mesodica. Et epodica quidem sunt fere Pindarica omnia, ternario numero constantia; veruntamen nihil prohibet, etiam quinario et septenario uti: nam quinarii exemplum est in Hecuba chorus: *Σὺ μὲν, ὦ πατρὶς Ἰλιάς*, septenarii in Æschyli Agamemnone chorus: *Διὸς πλαγαν ἔχουσ᾽ εἰπεῖν.* Proodica vero nondum ulla reperi, nec vera mesodica. *Κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* sunt, quæ post variorum systematum congeriem, sive pericopen, aliam priori per totum respondentem subjunctam habent: sic, ut in alterutra quidem congerie sint inter se systemata dissimilia, verum utraque similibus constent partibus. Talia sunt in Oreste: *Μυκηνίδες ὦ φίλαι.* Ponitur enim prior congeries primæ strophæ, primi systematis, secundæ strophæ, secundi systematis, tertiæ strophæ, tertii systematis, quod in Euripide tamen desideratur. Sequitur posterior congeries antistrophæ primæ, antisystematis primi, antistrophæ secundæ, antisystematis secundi, antistrophæ tertiæ, antisystematis tertii: veruntamen hic ordo nonnunquam confunditur. Cæterum hujus generis in Euripide multa sunt, in Sophocle permulta, nulla in Æschylo. Antithetica sunt, quæ in vario carminis genere, primum ultimo, secundum penultimo, ac reliquum similiter inter se respondens habent. Cujus generis est ovum Simmiæ. Mista *κατὰ σχέσιν* sunt, quæ partim epodica sunt, verbi gratia, partim monostrophica. Communia *κατὰ σχέσιν* sunt, quæ hoc quidem modo disposita, verbi gratia, sunt epodica, illo vero monostrophica. Nunc ad alteram speciem ut veniamus, *ἀπολελυμένα*

dicuntur. quæ certum carminis genus nullum habent. Ea rursum vel ἄστροφα sunt, vel ἀνομοιόστροφα, vel ἄτμητα. Ἄστροφα sunt, quæ tam paucos versus habent, ut stropham complere non posse videantur. Ἀνομοιόστροφα sunt, quæ aliquibus interjectis interrumpuntur. Ea si duo sunt, vocantur ἑτερόστροφα, si plura, ἀλλοιόστροφα; hujus generis illa sunt in Hecuba: Ἄπιστ' ἄπιστα, καινὰ καινὰ, δέρκομαι. In his enim strophæ quinque inter se dissimiles, interjectis systematibus, cernuntur; quod quidem carminis genus solus de tragicis usurpat Euripides. Ἄτμητα sunt, quæ, ut secari posse videntur, ita nullum secandi dant ex se signum. Tertiam speciem constituunt μετρικὰ ἄτακτα, quæ nullam habent inter se similitudinem; qualis fertur Homeri Margites fuisse, poëma perlepidum. Tales in Euripide sunt chori duo, alter sub finem Iphigeniæ Tauricæ: Εὔπαις ὁ Λατοῦς γόνος: alter primus Herculis Furentis. Male enim his chorus in Œdipo Colon. Sophoclis, Ὅστις τοῦ πλέονος μέρους, et chorus in Phœnissis Euripidis, Τύριον οἶδμα λιποῦσ' ἔβαν, a grammaticis annumerantur; cum uterque sit nobis epodicus. Quarto loco sunt e similibus dicta, quæ pedum quidem sunt eorundem, certum autem numerum non habent, quales anapæsti sunt. Ea quoque vel ἀπερίόριστα sunt, vel κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους. Et illa quidem sunt, quæ ad finem usque sunt inter se similia: hæc autem, quibus aliquid nonnunquam brevius interjicitur. Horum exemplum illustre præbet Hecubæ initium, quo loco ad chorum illa verba facit. Sequuntur mista systematica, quæ partim κατὰ σχέσιν sunt, verbi gratia, partim e similibus. Ultima recensentur communia systematica, quæ hoc quidem modo disposita, verbi gratia, sunt e similibus, illo autem κατὰ σχέσιν. Atque hæc fere sunt, quæ de poëmatum et carminum generibus Hephæstio tradidit, obscure quidem ab illo præscripta, verum a nobis exemplis illustrata. Jam, ut hæc ad tragicos et Euripidem nostrum applicemus, multas partes in paucas contrahemus, et quæ superflua sunt, nec in usum cadunt, resecabimus. Omnia igitur tragicorum systemata constant versibus vel similibus, vel dissimilibus, vel similiter dissimilibus. Similes versus voco iambos, et anapæstos, quos e similibus appellat Hephæstio, sub quibus etiam trochaicos et hexametros licet comprehendere. Dissimiles versus constituunt vel μονοστροφικὰ, vel ἀνομοιόστροφα. Μονοστροφικὰ voco, quæ Hephæstio μετρικὰ ἄτακτα dixit. Ea si breviora sunt, συστήματα nude vocantur. Ἀνοιμοιόστροφα, eodem ab illo donantur nomine. Similiter dissimiles denique vel ἀντιστροφικὰ constituunt, vel ἐπῳδικὰ, vel περικόμματα. Ἀντιστροφικὰ voco, cum strophis antistrophæ respondent. Ἐπῳδικὰ sunt apud Hephæstionem eodem nomine. Περικόμματα voco, quæ ille κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ dixit. His igitur septem generibus omnia comprehendi posse, quæ ad carminum rationem in tragicis explicandam pertinent,

existimo. Neque nos aliis utemur in Euripide toto nominibus, verum singulis versuum speciebus suum præfigemus indicem, ac vel *ἰάμβους*, vel *ἀναπαίστους*, vel *μονοστροφικὰ*, vel *ἀνομοιόστροφα*, vel *ἀντιστροφικὰ*, vel *ἐπῳδικὰ*, vel *περικόμματα* vocabimus. Poteram huc etiam adjicere signa, quæ vocant grammatici, paragraphos, coronidas, ac similia. Verum hæc quoniam ad poëtas intelligendos perparum faciunt, et, quæ nunc sunt a nobis præstita, satis hoc tempore fore putamus, curiosius illa perscrutari non ducimus operæ pretium.

---

JOSUA BARNES

## *DE VARIIS GRAMMATICORUM SIGNORUM FORMIS.*

FIGURÆ, quas Canterus supra in prolegomenorum fine tam strictim leviterque attigit, his nominibus et notis signantur.

| | |
|---|---|
| *’Αστερίσκος*, asteriscus, | * |
| *Παράγραφος*, paragraphus, | —. |
| *Κορωνὶς*, coronis, | —3 |
| *Διπλῆ*, duplex, | < |
| *Διπλαῖ*, duplices, | <> |

Et harum prior < *ἔσω νενευκυῖα* dicitur, i. e., introrsum nutans, altera > *ἔξω βλέπουσα*, extrorsum respiciens; et utræque aliquando simul usurpantur, prior nempe in versus principio, altera in fine. Est et ubi prior invenitur in versus fine; nec raro post paragraphum, hoc modo —. < Quum tamen altera nunquam reperiatur in principio. Et signa quidem hæc ab antiquis grammaticis sunt formata distinguendi causa, et actoribus præcipue inserviebant, eorum exitus et introïtus notantes, et personarum mutuas responsiones, aut modulationum et carminum variationes. Coronis autem semper perfectionem actus et complementum significabat; unde proverbialis locutio, coronidem imponere, pro perfectum aliquid dare, aut facere; quanquam ab architectura hæc metaphora a nonnullis deducatur. De his autem notulis, quia nobis non est amplius hic sistendum, consulantur, Aristophanis Scholiastes foliis 14, 19, et 89. Sophoclis Scholiastes folio 436. Euripidis Scholiastes ad Hecub. v. 1, 216, 482. ad Phœniss. v. 200. etc. Denique Hephæstion grammaticus et Sam. Petit. Miscellan. l. 6. c. 15. fol. 134. ante omnes Cælius Rhodiginus Antiqu. Lection. l. 15. c. 20. qui Hephæstionis omnem de hac re medullam in suum opus transfudit. Vale, lector candide, et studiis nostris fave.

# PRÆFATIO

## CHRIST. DAN. BECKII.

QUO tardius ultimum operum Euripidis volumen duo priora sequitur, quoque subtilius per hos decem fere, qui elapsi sunt, annos a viris doctis principibusque in hoc litterarum genere de justa editionum veterum auctorum ratione et constitutione disputatum est: eo magis necessarium esse videtur, et illius tarditatis idoneam, nisi caussam, excusationem certe afferre, et de consilio atque natura hujus, amplæ satis et luculentæ, Euripidearum fabularum editionis nonnulla monere. Jam ut ab eo incipiam, quod ultimum dixi, ratio nostræ editionis omnis non potuit ab initio statim recte constitui ab iis, qui ejus curam in se susceperunt. Unde sponte intelligitur, quam inique judicaturi sint; qui nunc, omni opere absoluto, ex singulis ejus partibus, earum natura, ordine et nexu, colligere velint, Lipsienses editores, saltem eum, qui in prioris summi viri locum successit, parum scire, qua ratione vel utilitati, vel commoditati, vel parsimoniæ etiam aut inopiæ emtorum, qui ampliores editiones vel amant vel usurpant, consulendum sit. Etenim ante hos decem annos librarius honestissimus, et sumtibus in veterum auctorum libros multos erogandis non male de litteris meritus, consilium ceperat Barnesiæ editionis tragœdiarum Euripidis, quæ tum una omnium optima habebatur, et magni vendebatur, repetendæ, augendæque observationibus recentiorum criticorum haud paucis. Præesse ei negotio rogatus voluit SAMUEL FREDERICUS NATHANAEL MORUS, vir summe reverendus, et præfuit ita, ut primus tomus

dimidiam partem Barnesiani operis eleganter et accurate descriptam exhiberet, exciperetur que favore omnium, qui recte statuere de his rebus valerent. Nam mutare quidquam aut omittere in Barnesii animadversionibus profecto non licuit ei, qui, quæ mortuis et vivis debentur, optime omnium nosset. Ego certe quidem, quotiescunque in eos incido, qui in aliorum labores falce et stylo grassantur, toties non possum non indignari, quod, cum putaverint esse aliorum commentarios repetendos, tamen persuadere sibi noluerint, esse hoc quoque bona fide, ut virum probum decet, faciendum. Jam primo volumine prope ad finem perducto, mihi operis curam demandavit vir multis negotiis maxime occupatus, cujus judicium de mea ejus curæ sustinendæ facultate ut fuit valde honorificum, ita plurimum valuisse ad mea studia excitanda gratus memini. Contigit postea, neque tamen proxime, eidem viro summo succedere in aliis, et gravioribus muneribus, atque utinam contingat eundem sequi, nam æmulari conor, in officiis omnibus recte et utiliter exsequendis. Tradiderat vir S. R. aliquot observationes, e Piersoni aliorumque libris, a viro doctissimo variisque et scriptis et meritis nunc claro, GIERIGIO, collectas, quibus juvaretur meus labor. Prodierat interea Oxoniensis fabularum Euripidis editio, cujus auctor SAMUEL MUSGRAVIUS, nuper vita functus, et verba poëtæ emendaverat sæpius, et scholia auxerat, et plurima vel ad crisin vel ad interpretationem poëtæ e codicibus, interpretibus, amicorum monitis, ingenio suo et lectionis copia attulerat; quæ profecto negligi a nobis non potuerunt. Eodem fere tempore in Euripide exornando feliciter versari cœpit RICHARDUS FRANCISCUS PHILIPPUS BRUNCKIUS, quem Græcæ Musæ tragicæ et comicæ sospitatorem venerantur omnes. His quoque novis opibus, quos Brunckii et liberalitas et diligentia collegisset, erat utendum. Unde consiliorum nostrorum exstitit mutatio.

Nam cum hactenus constitutum fuisset, non nisi Barnesii editionem, auctam quibusdam aliorum criticorum observationibus, parabilem nostratibus reddere, ita fere, ut postea in Charitone factum est: nunc placuit omnia congerere congestaque suis locis exhibere, quæ hactenus, quantum mihi innotuisset, in Euripidem essent commentati viri docti. Neque vero hujus sententiæ meæ ante septem fere annos captæ nunc me pœnitet. Nam ut omnino variæ esse possunt veterum scriptorum editiones, aliæ quæ tironibus, aliæ quæ juvenibus, aliæ quæ viris inserviant, qua-

rum cuivis sua est ratio,* ad quam in modo et natura animadversionum addendarum diligenter respiciendum est: ita singulatim censeo curari debere editiones non omnium omnino, sed præstantiorum certe, auctorum ita instructas et exornatas, ut viri, qui vel interpretari scriptorem aliis, vel in eum commentari, vel accuratius eum cognoscere, de singulis locis, sententiis, argumentis, judicare, singula diligentius examinare velint, inveniant omnia suorum studiorum præsidia et adjumenta, quæ adsunt, junctim proposita, neque undique multo labore et frustra sæpe conquirenda. De quo quidem editionum genere quid statuam, libere, ut Atticæ Musæ amicum decet, proferam. Nam horum quidem voces contemno, qui talem laborem compilationis nomine rident, inepti homines et nescientes, compilare et conquirere quantum distent. At vero Brunckius, V. C. et hanc sibi ipse legem scripsit, et me quoque litteris, quibus anno LXXXI. me ornavit, docuit, abstinendum esse a repetendis aliorum, eorum inprimis, qui etiamnum vivant, interpretum animadversionibus, et nostra potius in quemque scriptorem conferenda, quam aliena. Jam vero ut taceam, quemvis recentiorem editorem, gravem et diligentem, uti, et multis quidem locis, debere iis, quæ ante ipsum, et nuper adeo, fuerint prolata, ut vel probet ea et repetat, vel rejiciat et refellat; in promtu est, primo, paucis, quibus hæ litteræ sunt curæ, licere coëmere varias et antiquiores et recentiores editiones, in tanta præsertim plerarumque caritate. Itaque vel hactenus prospectum multis esse puto, quod nostræ editionis pretium quadruplo minus est, quam Barnesianæ, Musgravianæ et Brunckianarum, et quædam tamen ea continet, quibus illæ carent. Deinde, quantum tempori et operæ parcatur, si, quæ in plurimis voluminibus dispersa latent, uno aut paucis collecta reperiantur, facile quisque sentit. Sed redit disputatio omnis huc, ut quæratur, utrum oporteat et conducat, omnia aut pleraque colligi, quæ ad scriptorem vel emendandum vel illustrandum sint notata.

Qua quidem in re et ad naturam atque dignitatem ipsius scriptoris et ad usum eorum virorum respiciendum est, quibus antea hoc editionum genus destinavi. Nam hos scire oportet, quæ fuerint in scriptorem disputata, ne multa, quæ ipsis videantur,

* V. quos laudavi in Monogramm. Instit. philol. p. 24. s.

nova esse credant; his prodest cognoscere, quæ alii et critici et interpretes commenti fuerint, ut iis suo modo et recte utantur. Sæpissime etiam evenit, præsertim in locis difficilioribus, ut plurium, aut unius saltem interpretis sententia vel conjectura cognita occasionem præbeat ulterius inquirendi, subtilius examinandi, studiosius indagandi et felicius inveniendi, ejus quod pulchrum, rectum et verum sit. Jam fieri non potest, de quo multi, imperiti etiam, queruntur,* quin opiniones vanæ et leves multæ una cum gravibus et certis exhibeantur sententiis. Sed primo, quæ sint vana judicia, leves conjecturæ, ineptæ explicationes, sæpe ab uno quodam, nisi puerilem temeritatem sequi velit, definiri non potest. Deinde quem fugit, ex errorum fluctibus sæpe extitisse, tanquam Venerem ex undis, veritatem? Neque parum utilitatis inde capere veterum auctorum interpres potest, si, quo modo et qua de caussa erretur, cognoverit. Nam ut is, qui delabi alium vidit, facilius præcipitia cavebit: ita, qui, quam temere statuerint critici et interpretes, senserit, certius recta incedet via.

Quod si sunt, qui verentur, ne ipsa opinionum et conjecturarum et animadversionum, quæ afferuntur, copia atque varietas opprimat potius, quam juvet eum, qui Euripidem cognoscere velit, ii cogitent, non ei, qui primum et celeriter legere poëtæ fabulas velit, paratas potissimum has opes esse, sed ei, qui accuratius in poëta vel tractando vel explicando versari et possit et debeat. Cui, quæ forte ex nostris laboribus sperari possit utilitas, si quæ sperari potest, paullo inferius declarabitur. Neque vero injurius iniquusve aut in editores, quorum laboribus utimur, aut in librarios Germanos, qui sumtus editionibus impenderunt, censeri potest is, qui recentiorum grammaticorum et criticorum observationes non describi in Germania jubet integras, sed ita adhibet, ut ea adhibere licet, quæ sunt communibus usibus proposita. Manet enim cuivis editioni Euripidis, cuivis libello critico, quo usi sumus, suum apud eos, qui vere rem æstimant, pretium; et qui librariæ rei rationes novit, is facile intelliget, Anglis librariis vix ullum afferri posse damnum eo, quod decem annis interjectis, Musgravii notæ omnes descriptæ iterum apud nos prodeunt.

Jam illud ipsum, quod hactenus defendi, omnia in Euripidem

* Vide Jo. DE ALXINGER in Notis ad vers. Germ. Hecubæ Eurip. in Mercurio Germanico Wielandii, m. April. 1787. passim.

observata colligendi studium partim laborem, non illum admodum gratum, protraxit longius, quam opinatus ipse fueram, partim effecit, ut nova addenda sub finem essent auctaria, cum nihil eorum, quod interea vel prodierit vel communicatum mecum fuerit, omitti vellem. Nam in b. Musgravii diligentia adquiescere non potui, cum non pauca, ab aliis observata, ipsum præteriisse, mature animadverterem. Me quoque nonnulla forte fugerunt; neque enim ita vanus sum, ut velim omnia complexus videri, sed plurima saltem adhibui et adnotavi, quæ in Euripidem animadversa scirem. Specimen laboris jam exhibuit alterius tomi ultima particula, qua Musgravii collectio fragmentorum Eurip., aucta subinde, et instructa iis, quæ plura (interdum male) habebat Barnesii editio, continetur. In hoc vero volumine præter ea, quæ vel ad nostræ vel ad Musgraviæ editionis introitum quasi quendam pertinere videbantur, primum locum occupat (p. 10—38.) Collatio textus Barnesiani et Musgraviani. Etsi enim ex recentioris Angli observationibus patere potuit, quam lectionem prætulerit aut ediderit: tamen videbatur postulari posse, ut omnis lectionis varietas simul oculis exhiberetur quærentium. Sequuntur (p. 39—134) Emendationes editorum scholiorum et nova scholia vel a Kingio vel a Valckenario vel a Musgravio, inprimis in tres priores fabulas e codicibus eruta. Sunt ea non omnia gravia satis et docta et antiqua; sed nec hoc in genere quidquam deesse potuit, unde in supplementis e codice Mosquensi quoque Scholia depromsi. Cum metrica res Græcorum multis laboret difficultatibus, cumque ejus, qui multorum locorum emendationes postea propositas examinare velit, intersit, nosse criticorum de metris tragicorum præcepta: non alienum putavi, hic (p. 134. ss.) inserere Heathii de ea re commentatiunculam ex ipsius notis in tragicos Græcos decerptam. Etenim quamvis eam interdum mancam esse viderem, nunc etiam emendari aliquot locis, vel e Brunckii observatis, posse videam; tamen judicavi sufficere eam plerorumque usibus posse. Tum sequuntur (inde a p. 139.) ipse Musgravii et aliorum notæ in singulas fabulas.

Jam in his Notis describendis hanc secutus sum rationem, ut eas, quæ Musgravium auctorem haberent, repeti integras juberem, neque mutarem quidquam præter aperta vitia, si quæ erant. Et quoniam versuum numerus in editione Oxoniensi recentissima a nostra discrepat: adjeci numeris, qui ad Lipsien-

sem editionem referuntur, eos, qui sunt in Musgraviana. Quod quidem propterea necessarium videbatur, ut, si qui laudatas alicubi viderint Musgravii observationes ex Anglica editione, facile in nostra invenire possent, neque sic omnis ratio indicis notarum Musgravii (vid. p. 1009.) esset mutanda. Animadversiones vero aliorum doctorum hominum, ut Kingii, Piersoni, Valckenarii, Heathii, Reiskii, Marklandi, Brunckii, quorum opera diligenter comparavi, et aliorum, ita excerpsi, ut summam eorum, quæ disputarant, afferrem. In his primo sectatus sum brevitatem, neque tamen illiberalem et sordidam, sed eam, quæ optime responderet isti rationi, quam Musgravio ipsi placuisse intellexeram. Deinde, quantum licuit, usus sum ipsis verbis virorum doctorum, neque nudas ipsorum sententias proposui, sed argumenta præcipua addidi et loca egregia selegi, quibus conjecturam aut interpretationem firmassent suam. Denique ne Musgraviana cum reliquis confunderentur, hæc uncinis inclusi. Quæ igitur nude ponuntur, ea profecta sunt a Musgravio, sed quæ signis parentheseos [ ] distinguuntur, ea Lipsiensis editor adjecit. De Rheso nimis breviter dixerat Musgravius, post tantam Valckenariæ subtilitatis ubertatem. Quia Batavi Critici dissertatio plura continebat, quam quæ repeti possent, et nonnulla etiam aliter tractari posse videbantur; constitui ipse, usus aliorum observatis, meo modo de ea fabula disputare. Quæ quidem diatribe, scripta separatimque etiam edita a. LXXX. etsi nunc mihi, meorum severo censori, non omnino improbatur: tamen de nonnullis argumentis nunc aliter sentio, idemque hoc saltem effectum esse puto, ut quivis, cui sensus poëticus et usus poëtæ nostri non deesset, mallet hanc fabulam non haberi Euripideam. Jam vero inter omnes constat, et sensi sæpius ipse, indicem justum verborum et formularum, in scriptore quodam et singulatim nostro poëta occurrentium, non sterilem illum et aliquot formulas indicantem, neque oneratum Latina verborum interpretatione, sed copiosum et accuratum, atque ipsa verba et formulas locorum exhibentem conducere plurimum lectori scriptoris, qui loci cujusdam parum recte meminerit, qui plura loca inter se velit comparare, qui omnem scriptoris Græcitatem perlustrare cupiat, et multis aliis modis prodesse. Talis indicis conficiendi negotium in me susceperam ipse, sed ornatus interea professoris in hac academia munere novisque officiis obstrictus vidi me imparem esse omnibus laboribus. Itaque

librarius demandavit has partes Heslero, cui similes labores sæpe non male cesserant, quique secutus in hoc meum est consilium mira industria et diligentia. Cum vero hic quoque non uno hoc occuparetur negotio, tardius et ipse eo defunctus est. Sed indicem notarum Musgravianum ipse auxi additis iis, quæ in nostra editione præcipua accesserant, et Fabricii indicem scriptorum, qui in Scholiis laudantur (p. 1006. ss.) pluribus locis emendavi et locupletavi. Quæ dum a me geruntur, rediit in patriam magnum ejus lumen CHRISTIANUS FRIDERICUS MATTHÆI. Is inter alios litterarum thesauros secum reportavit et collationem trium codd. Euripidis Mosqq. et codicem chartaceum, qui tres fabulas poëtæ continet; quæque est viri summi humanitas, has opes non tantum non invidit nobis, sed vel obtulit. Cum vero codex, quem ultimum nominavi, posset a me non nisi subsecivis horis conferri et examinari (semper enim persuasi mihi, professoris primum esse munus, voce et sermonibus, non scriptis tantum, quamdiu per ætatem et vires licet, juvenes docere): novum, neque tamen leve, objicitur editioni nostræ impedimentum. Accessiones igitur animadversionum in Euripidem continent præcipue varietatem e codd. illis et particula Vitebergensis codicis, una cum glossematis et scholiis enotatam, tum Brunckii observationes quasdam e libris ab ipso editis petitas, postquam prior voluminis pars jam descripta esset.

Longior mora laboris nostri effecit, ut non sine quodam lectorum commodo uti adhuc liceret nova theatri Græcorum a Brumœo olim Francogallice conscripti editione, cui inde a T. IV. inserta est, præter Brumœana, Gallica versio omnium poëtæ fabularum, quam PREVOSTUS, V. C. academiæ Berolinensis socius, jam quinque abhinc annis prodire jusserat, subinde mutata ipsiusque observationibus ornata. Ex his selegi, præter paucas alias ad lectionem textus vel interpretationem pertinentes, imprimis eas, quæ rem scenicam illustrant, a plerisque commentatoribus neglectam. Exhibui autem multas, ita ut ab auctore profectæ sunt, Francogallice scriptas, ne versio Latina quidquam in iis, quæ monebantur, vel levissime immutaret, alias vero Latinas reddidi. In ejusdem de vita et scriptis Euripidis commentario non inveni magnopere, quæ vel nova vel melius quam ab aliis et clarius dicta viderentur. Quam vero ipse addere constitueram commentationem de ratione, qua noster poëta fabulam tragicam tractaverit ornaveritque, diversa ab Æschylea et Sophoclea arte, eam nunc malui

omittere, quia omne editionis consilium magis ad aliorum animadversiones quam ad meas spectare putavi, et destinavi eam, sed suo modo immutatam, futuræ editioni magis parabili Sophoclis tragœdiarum, cujus longe alia erit et ex meo sensu instituta ratio.

Jam omnibus hactenus expositis copiis qui uti velit, et quærendi legendique patienter ferat laborem: eum spero concessurum esse, quam unam peto nostræ editioni laudem, prospectum et consultum esse, quantum fieri poterat, et pluribus modis, ipsius utilitati. Nam ut ea non repetam, quæ supra hac de re jam disserui, quis est qui non sentiat, se aliquanto felicius vel in emendatione vel in explicatione poëtæ versaturum esse, si quæ ad criseos exegeseosve auctoris historiam pertineant, in promtu habuerit? quem vero doctum et ingeniosum lectorem non juvabit ipsa variarum sententiarum in una quasi tabula propositarum cognitio? quis non ex tot tamque largis fontibus, sed jugiter profluentibus, hauriet facilius plura, quam ex singulis longe inter se distantibus? Sed nolo ea persequi, quæ suspicionem ostentationis quandam excitare possint. Cum vero Musgravio licuerit prædicare liberalitatem et diligentiam curatorum typographiæ Oxoniensis: et mihi licebit commendare nostris hominibus cum librarii, tum ejus officinæ, cujus formulis tres operis codices descripti sunt, curam. Quæ quidem commendatio pertinet et ad elegantiam puritatemque lectionis, et ad liberale studium parcendi nimiis sumtibus in emtorum gratiam. Scripsi Lipsiæ. d. XI. Dec. CIƆIƆCCLXXXVII.

# RECENSIO CODICUM,

VEL

COLLATORUM VEL NONDUM COLLATORUM,

ET

# EDITIONUM ATQUE VERSIONUM EURIPIDIS,

LIBELLORUM ITEM,

QUIBUS ILLUSTRATUS EST.

## I. CODICES MANUSCRIPTI.

*A. Bibliotheca Reg. Parisiensis.*

N. 2077. Cod. chart. olim Colbertinus, sæc. XV. præter alia Eur. Hecubam et Orestem continens, inter lineas glossæ, ad marginem scholia adjecta, quæ nihil continent præter edita. Catal. B. Reg. codd. T. II. p. 440.

2598. Cod. chart. a. 1467. scriptus. Hecuba et Orestes cum gl. interlin. et sch. marg. quæ ab editis non discrepant. Præmittitur poëtæ vita, et fabularum argumenta. ib. p. 526.

2648. Chart. sæc. XV. scriptus, Hecubam continens; passim inter lineas glossæ, ad marginem scholia breviora. ib. p. 533.

2712. Cod. membr. olim Memmianus, sæc. XIII. scriptus. Initio et sub finem cod. est folium exhibens partem vitæ S. Sabæ. Complectitur præter alia tragœdias E. sex: Hecubam, Orestem, Phœn. Androm. Med., Hippolytum, ad marginem et inter lineas brevia scholia. ib. 542. Cum eo Musgr. se tres tragœdias (Med. Hipp. et Andr.) contulisse testatur. Est apud eum Cod. A. quo Brunckius in præf. ad Eur. tragœdias quatuor p. 4. dicit, nec meliorem, nec antiquiorem alium in eruditorum notitiam venisse. Idem ib. (p. 4. s.) de Musgraviana collatione, parum recte et diligenter instituta, hæc monuit: " Quæ de negligenter instituta illa collatione, in notis ad duo priora dramata observavi, facile mihi persuaserant, culpam commeruisse hominem, cujus mercenaria opera Musgravium usum fuisse arbitrabar. (Cf. etiam Br. ad Mede. 21.) Sed opinionem eam ipse mihi detraxit vir humanissimus, qui me per litteras certiorem fecit, se ipsum olim Parisiis regios codices inspexisse, et varias lectiones ex iis enotasse. Jam sane non miror, temporis angustiis circumsepti optimi viri, cui paucorum mensium spatio difficilis hic conferendorum decem codd. labor exantlandus fuit, diligentiam permulta fugisse. Mihi otio abundanti, et unico codici, quanta maxima potui sedulitate, eandem operam impendenti, quædam etiam prætermissa sunt, quæ iterato examine, serius quam par

fuerat, deprehensa, prorsus non animadvertissem, nisi diuturniori codicis usura frui mihi licuisset.'' Apud eundem fere indicatur nomine Reg. Membr. Ex eodem varias lectiones ad Hippolytum enotarat Tib. Hemsterhusius, et concessit Valckenario. V. ipsius præf. ad Hipp. p. 10.

2713. Cod. membr. sæc. XIII. exhibens Hec. Or. Ph. Hipp. Med. Alc. Andr. Inter lineas glossæ, ad marginem scholia. Præmittuntur excerpta ex Hephæstionis Enchir. Vita Eurip. et tragœdiarum argumenta, Tzetzæ et Chortasmeni de ejus Hecuba versus politici. Ad finem Medeæ notatur, eam descriptam esse ex bonis exemplaribus, a Dionysio et Didymo emendatis. Cat. p. 543. Contulit et hunc cod. Musgr., apud quem est Cod. B.

2714. Cod. chart. Basilii Barelis manu a. Chr. 1541. Venetiis exaratus: Hercules, Electra et Ores-es, Gregorii Naz. tragœdia de Christi passione; et iterum Electra manu recentiore, nempe Francisci Asulani scripta. Cat. ib.

2755. Chart. continens præter alia, Euripidis Epistolas, ejusdem tragg. 2., Hecubam et Electram. Maxima cod. pars ab Michaële Apostolio scripta est. ib 549.

2794. Calci hujus cod. aliquot folia, et quidem XIII. ex Euripidis Oreste, cujus major pars ibi interierit temporis injuria, adjecta esse memorat Brunckius, in indice Codd. animadversionibus in Orestem præmisso. Conjicio esse potius Codicem 2714, quoniam in eo Musgr. duas tantum fabulas legi dicit.

2795. Chart. sæc. XV. in 4. Hecuba, Orestes et Phœnissæ, cum gl. interlin. et marg. schol. Catal. p. 554.

2797. Chart. sæc. XVI. in 4. Phœnissæ, ib.

2800. Bombyc. olim Colbertinus, sæc. XIII. Hecuba, Orestes, Phœnissæ, inter lin. glossæ, ad marg. scholia ab editis non discrepantia. ib.

2801. Chart. in 4. olim Colbert. sæc. XIV. Hecuba, Or. Phœn. cum gl. et schol. ib.

2802. Bombyc. sæc. XIV. Eædem tragœdiæ, cum gl. int. et sch. marg. Catal. ib.

2803. Chart. olim Trivultii Cardinalis, sub finem sæc. XV. scriptus, Hecuba, Or. Phœn. cum gl. interl. Cat. p. 555. T. II.

2804. Membr. olim Colbert. sæc. XV. Hecuba, Or. Phœn. cum gl. et sch. Initium Hecubæ mutilum est. ib.

2805. Chart. sub finem. sæc. XV. Hec. Or. Phœn. cum gl. sch. Euripidis vita, et argumentis fabularum. Cat. p. 555.

2806. Chart. olim Colbert. Hecuba, Electra, Orestes cum gl. et sch. sæc. XV. ib.

2807. Chart. olim Colbert. sæc. XV. Hecuba, Orestes, inter lin. glossæ miniatæ, ib.

2808. Chart. a Demetrio Chalcondyla scriptus. Hecuba, Orestes, c. gl. interl. Ex alia bibl. in Regiam transiit.

2809. Chart. sæc. XV. Fonteblandensis, Hecuba, Orestes, gl. interl. ad marg. scholia editis breviora; præmittitur quatuor tragœdiarum editio prima. Cat. p. 555.

2810. Chart. olim Marci Musuri, sæc. XVI. Hecuba et Orestes, ib.

2811. Chart. sæc. XV. olim Philiberti de la Mare, Hecuba et Orestes. Præmittitur Moschopuli vita Eurip. Cat. p. 256.

2812. Chart. sæc. XV. a Nicodemo Monacho scriptus, (Præter Sophoclis et Theocriti quædam) Hecuba, inter lin. gl. et ad marg. scholia editis breviora, et ab iis interdum diversa; præmittitur po-

ëtæ vita et Hecubæ argumentum. Ejusdem Orestes et Phœnissæ cum gl. et sch. Utrique præfixa sunt argumenta inedita ib. et in Append. p. 624.

2813. Membr. olim Colbert. sæc. XVI. Hecuba cum Eurip. vita. ib.

2814. Chart. sæc. XVI. Hecuba cum Eurip. vita. ib.

2815. Chart. olim Colbert. sæc. XV. Phœnissæ. Initium deest, gl. et sch.

2816. Chart. olim Bigotianus, sæc. XVI. Medea, cum Lat. versione, et notulis atque emendd. V. D. e. codicibus. ib.

2817. Chart. s. XVI. Supplices, Cyclops, Heraclidæ, Hercules, Rhesus, Ion, Iphig. in Taur. Iphig. in Aul. et Pentheus (Bacchæ) cujus finis deest. ib. Apud Musgr. est MS. G. idemque vir doctus, cum Brunckio præf. ad quatuor tragg. p. 8. miratur, codicem eodem in versu Baccharum desinere, in quo desinit Cod. n. 2887. Brunckius et tertium codicem addit, qui eodem in loco desinat, scilicet Bibliothecæ Laurentianæ apud Bandin. Cat. T. II. p. 124. et conjicit, eodem modo comparatum esse alium Mediceum ap. Band. p. 74.

2818. Chart. manu Saliardi scriptus. Scholia in Hipp. Phœniss. Orest. et Hecub. eadem cum editis. [b] Hippolytus, Medea, Andromache, Alcestis, inter lin. gl. ad marg. sch. brevia. Cat. p. 256. Apud. Musgr. est Codex D.

2819. Chart. olim Colbert. sæc. XVI. Scholia in 3. priores fabulas Eur. Jani Lascaris studio collecta. ib.

2820. Chart. sæc XIV. ubi inter quædam Aristoph. Soph. et Pindari, Hecuba cum sch. interl. et marg. quæ ab editis discrepant; Orestes cum similibus Schol. Cat. p. 557.

2823. Chart. manu Zach. Calliergi Patavii scriptus. Præter alia, Hecuba.

2828. Chart. olim Boistallerianus, s. XVI. præter Arist. Plut. etiam Hecuba cum poëtæ vita. ib.

2887. Chart. in 8. sæc. XVI. Cyclops, Heraclidæ, Hercules furens, Helena, Rhesus, Ion, Iphig. in Taur. Iphig. in Aul. Supplices, et Pentheus s. Bacchæ, in fine imperfectæ. Cat. p. 566.

2888. Chart. olim Mediceus, sæc. XVI. ineunte Hippolytus, Medea, Alcestis, Andromache, Electra, Hecuba, Orestes et Phœnissæ, quarum finis deest. ib.

Utrumque Cod. adhibuit Musgr. et designavit littera E, ex altero tantum quinque tragœdias contulit, et in Not. ad Electram nominavit MS. α. Priorem codicem (2887) contulit accuratius cum Bacchis Brunckius, qui ostendit nitidissime esse exaratum. Antiqui possessoris titulum in fronte præfert hoc disticho Græco:

Σοὶ τόδε, θεῖε Ῥίδολφ', οὐκ εὐτελὲς, εἴ γε ποθεινὸν,
ἀντ' εὐεργεσίης Λάσκαρις ἀντίδοσιν.

Janum Lascarim doni auctorem fuisse, sed qui fuerit Rudolphus iste, se ignorare monet Brunck.

2889. Chart. olim Colbert. Illustriores sententiæ e variis Eurip. fabulis excerptæ ab Henr. Stephano, et illius manu scriptæ.

2902. Chart. olim Mediceus, s. XVI. præter Æsopi fabulas et Aristophanis quædam, Hecuba cum gl. et sch. miniatis. Cat. 567.

N. 3023. Chart. olim Memmianus, sæc. XVI. præter alia, partem Hecubæ cum gl. interl. et marg. Cat. T. II. p. 598.

N. 1087. Bombyc. Fonteblandensis olim Antonii Eparchi, sæc. XIV. Præter nonnulla alia fragmentum Orestis cum schol. ad marg. ib. p. 213.

N. 1038. Chart. sæc XIV.

Præter aliorum epistolas, etiam Euripideas continens. ib. p. 206.

N. 2760. Chart. olim Colbert. sæc. XV. inter alias etiam Eurip. Epistolæ. ib. p. 397.

N. 3021. Chart. olim Colbert. sæc. XV. Eurip. Epistolæ ib. 597.

3047. Chart. olim Medic. Eur. et aliorum Epistolæ, manu Georgii Chrysococcæ, Diaconi a. 1420. scriptæ. ib. p. 602.

3050. Membr. olim Mediceus, s. XV. init. Eurip. Epistolæ ib.

In eadem Bibl. n. 7884. Cod. membr. quo continentur Medea, Hippolytus, Alcestis e Græco in Latinum conversæ a Franc. Tissardo Ambacæo, Jur. utr. doctore. Catal. T. IV. p. 410. Ibid. Franc. Porti, Cretensis, prælectiones in Eurip. Iphig. in Aul. MSS.

Servat eadem bibliotheca editionem Eurip. Aldinam a Puteano collatam cum Codice. v. Catal. Libr. impress. Belles Lettres T. I. p. 264.

*Bibliotheca Medicea Florentina.*

Plut. 31. cod. 1. Euripidis Tragg. X. Rhesus, Iphig. in Taur. Iphig. in Aul. Pentheus (Bacchæ), Supplices, Cyclops, Heraclidæ, Hercules Fur. Ion, Electra. Cod. Chart. in fol. sæc. XV.in. scriptus. Bandini Catal. Bib. Med. T. II. p. 74.

Pl. 31. cod. 5. Euripidis Phœnissæ cum hypothesi, schol. marg. et gloss. interl. Cod. chart. in 4. sæc. XIV. Continet præterea Hesiodum, Theocr. et alia quædam. ib. T. II. p. 80.

Ib. Cod. 6. chart. in 4. sæc. XV. Eur. Hecuba, Orestes, Phœnissæ, cum schol. marg. et gl. interl. ib. p. 82.

Cod. 9. chart. in 4. sæc. XV. Hecuba, Or. Phœn. cum poëtæ vita, sch. marg. et gl. int. Continet præterea Sophoclis aliquot Tragg. ib. p. 84.

Cod. 10. papyraceus in 4. sæc. XIV. Tragœdiæ octo: Hec. Or. Med. Phœn. Alc. Andr. Hippol. Rhesus, quæ mutila in fine. Desinit enim in v. 714. Rara scholia marg. in Hecuba versio Latina inter lineas adjecta usque ad v. 466. Codex præterea Sophoclis Tragg. aliquot habet. ib. p. 86.

Cod. 15. papyraceus sæc. XIV. in fol. Tragœdiæ IV. cum sch. marg. Hippolytus, Med. Alc. And. Adjectæ Aristoph. Comœdiæ VI. ib. p. 89.

Plut. 31. Cod. 17. Bombyc. in 4. sæc. XV. Hecuba et Orestes, cum sch. nonnullis marg. et gl. interl. Bandini Cat. T. II. p. 90.

Cod. 18. membr. in 4. sæc XV. extr. Hecuba, Or. Phœn. Sed Orestis finis et Phœnissarum initium deest. Adduntur Theocriti Idyllia 4. ib. p. 91.

Cod. 21. Chart. in 4. sæc. XV. Hec. Or. et Phœn. cum vita Eurip. schol. marg. quæ editis sunt breviora, et gl. interl. ib. p. 92.

Cod. 25. Chart. in 4. sæc. XVI. Hecuba et Orestes, adjecta sunt Theocriti Idyllia IX. ib. p. 97. s.

Cod. 34. Membr. in 8. sæc. XV. Hecuba, Orest. et Phœn. cum sch. brevibus et gl. interl. quarum quædam oratione Latina scriptæ sunt ib. p. 112. s.

Plut. 32. Cod. 33. bombyc. sæc. XIV. in 4. Hecuba, Or. Phœn. Præcedunt epigrammata quædam in Euripidem, hujus vita, hypotheses tragœdiarum, et glossæ adjectæ cum schol. Cod. continet ab initio Pindari hymnos. Bandin. II. 179.

Plut. 32. Cod. 2. papyr. fol. sæc. XIV. Tragœdiæ 18. Supplices (ubi 8. paginæ male insertæ) Pentheus (Bacchæ, in fine

mutilæ, desinunt v. 754. Cyclops, Heracl. Herc. Helena, Rhesus, Ion, Iph. in Taur. Iph. in Aul. Phædra (Hippol.), Medea, Alcestis, Androm. Electra, Hecuba, Or. (quæ in Cod. Electra), Phœnissæ. Adjectæ Sophocli et Hesiodo. Argumenta in X. harum Tragœdiarum. ib. p. 124.

Cod. 21. chart. in 4. sæc. XVI. Hecuba, ib. p. 173.

Plut. 57. Cod. 12. chart. 4. sæc. XV. Euripidis Epistolæ 5. ib. p. 351. Eædem Pl. 57. cod. 45. qui est chart. in 4. sæc. XV. ib. p. 424. Eædem Plut. 59. Cod. 27. bombyc. in 4. sæc. XIV.

Euripidis Sententia de Nili adscensu, plut. 60. cod. 2. papyr. sæc. XV. ib. p. 583. et Cod. 10. membr. sæc. XIV. ib. p. 610.

Ejusdem Apophthegmata, plut. 86. cod. 8. chart. sæc. XV. id. T. III. p. 325.

Plut. 91. cod. 6. Scholia in Hipp. Alc. Med. et Andromachen, Chart. in 4. sæc. XV. Argumento Hippolyti adjecta sunt hæc: *ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Θήβαις· ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἀμείνονος ἄρχοντος — τῶν πρώτων.* In argum. Alcest. post verba: *ἔδειξεν ἣν ἐπένθει*, sequuntur hæc: *Ἄλκηστις ἡ Πελίου θυγάτηρ ὑπομείνασα ὑπὲρ τοῦ ἰδίου ἀνδρὸς τελευτῆσαι, Ἡρακλέους δὲ ἐπιδημήσαντος ἐν τῇ Θετταλίᾳ διασώζεται βιασαμένου τοὺς χθονίους θεοὺς καὶ ἀφελομένου τὴν γυναῖκα. Ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Φεραῖς, μιᾷ πόλει τῆς Θετταλίας. Ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἔκ τινων πρεσβυτῶν ἐντοπίων, οἳ καὶ παραγίνονται συμπαθήσοντες ταῖς Ἀλκήστιδος συμφοραῖς· προλογίζει δὲ ὁ Ἀπόλλων.* id T. III. p. 422.

*Bibliotheca D. Marci Veneta.*

Cod. 470. membr. in fol. sæc. XV. Euripidis Tragœdiæ 6. Hecuba, Or. Phœn. Androm. Hippol. Med. cum schol. marg. et interl. v. Græca D. Marci Bibliotheca Codd. MSS. per titulos digesta, præside et moderatore Laur. Theupolo. Ven. 1740. p. 248. s.

Cod. 468. sæc. XIII. chart. in fol. Hec. Or. Phœn. et Medeæ fragm. ib.

Cod. 471. membr. sæc. XII. in 4. Tragœdiæ 5. Hec. Or. Phœn. Andr. Hipp. in margine scholia quædam, ib. p. 249.

Cod. 609. Chart. in 8. sæc. XVI. Euripidis Epistolæ inter alias. Catal. Bibl. S. Marci p. 314.

Cod. 614. Chart. sæc. XVI. Hec. Or. cum quibusdam scholia interl.

Cod. 620. chart. in 4. sæc. XV. Hippolytus, ab initio mutilus. Subsequuntur argumenta Andromaches et Medeæ, ib. 316.

*Bibliotheca Taurinensis.*

Cod. 112. chart. sæc. XVI. Andromache, cum paucis schol. Codices MSS. Bibl. regii Taurinensis Athenæi, recensuerunt et animadverss. illustrarunt Jos. Pasinus, Ant. Rivautella et Fr. Berta, p. 216. (In Montefalc. Bibl. MSS. T. II. p. 1397. male dicitur Andromeda hoc Cod. contineri.

Cod. 228. sæc. XV. bombyc. Orestes et Phœn. cum schol. uberrimis et adnotatt. interlin.

*Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensis.*

Eurip. Hec. Or. Phœn. cum schol. cod. bomb. Montfaucon Bibl. MSS. p. 497. B.

Eurip. Phœnix (sic) Cod. bomb. ib. 513. E.

Codex tragg. Eurip. sæc. XIV. —530. A.

Tragœdiæ Eur. aliquot, Cod. bomb. sæc. XIII. ib. 530. B.

Tragœdiæ III. priores, Cod. bomb. sæc. XIV. ib.

### *Aliæ Bibliothecæ Italiæ.*

In Bibl. Vaticana Codices varios trium aut duarum fabularum priorum exstare monet Montfaucon Bibl. mss. p. 5. ss.

In Bibl. Ottobon. Romæ, Codices Euripidis non antiqui Montf. p. 187. a. 188. a.

In alia Romana bibliotheca Orestes MS. idem p. 201.

In bibliotheca Augustinianorum Neapoli Codex Epistolarum Eurip. idem p 231. B.

In eadem bibl. codex Eurip. recentior, p. 232. B.

In Bononiensi Bibl. Hecuba, Troas poëma, Cod. recens bomb. idem p. 432. A.

In bibl. ducis Mutinensis Cod. Euripidis tragg. idem p. 531. C. cf. idem Diar. Ital. p. 33. ubi non plura de his codd. dicit.

In bibl. Patavina Euripidis tragœdiæ 4., Montf. p. 485. C.

In Museo Nicolai Trivisani Patavii Eurip. cum scholiis Græce. idem p. 488. D.

In bibl. Grimana Venetiis Codex Eurip. idem p. 478. D.

In Bibl. Benedict. Florent. Cod. sæc. XV. Euripidis tragg. aliquot continens, et alius cod. sæc. XIV. item bomb. idem p. 416.

Euripidis Epp. in bibl. Vaticana Montf. T. I. p. 8. D.

In Bibl. Alexandri Patavii in Vatic. Fragmentum Euripidis, idem T. I. p. 91. A.

Codices nonnullos Eurip. aliarum bibliothecarum Italiæ commemorat Bern. de Montfaucon in Diario Italiæ Paris. 1702. 4. sed ita, ut nec ætatem nec pretium eorum acuratius definiat.

### *Bibliothecæ Britannicæ.*

Vid. Catalogos librorum MSS. Angliæ et Hiberniæ in unum collectos, Oxon. 1697.

Inter Vossianos codd. in Anglia n. 2148. (T. II. p. 58.) Euripidis aliquot tragœdiæ.

N. 2234. p. 60. aliquot Tragœdiæ cum schol. et paraphr. antiqua.

N. 2259. p. 61. Trag. aliquot cum expositione interlineari et Schol. Gr.

2698. p. 70. Tragœdiæ 4. cum var. lect. ac notis manu Merici Casauboni scriptis.

2740. Euripides Canteri cum MSS. collatus.

In bibl. Norfolciana n. 3429. Hecuba, Orestes, Phœn. ib. p. 84.

N. 3446. Hecub. cum schol. ib.

In bibl. Franc. Bernardi n. 3620. Hippolytus, ib. p, 90.

In Ed. Bernardi bibl. Euripides quater aut pluries collatus, ib. p. 226.

Cod. Colleg. S. Benedicti Cantabrig. n. 1528. Euripides, liber quondam Theodori.

Bibl. Barocc. n. 34. Phœnissæ, ἀποσπασμάτιον solum, et manu recenti scriptum Catal. p. 4.

N. 37. Eur. Hecuba c. schol. interlin. ib.

N. 36. Phœnissæ Cat. p. 7.

N. 74. Hecuba, Or. Phœn. cum schol. quæ eadem sunt ac vulgata.

N. 120. Hecuba cum brev. schol. El. Phœn. ib. p. 14.

In Bibl. Guil. Laudi n. 731. Hecuba c. schol. p. 56. (Eandem hoc numero e Bibl. Bodlei. laudat Montfaucon Bib. MSS. I. p. 651: C.)

In Bodleiana bib. Eur. tragœdiæ aliquot, cum vita Euripidis et schol. n. 2175. ib. p. 114.

Codicem Collegii Corp. Christi Cantabrig. tres tragœdias continentem, sed admodum recentem, adhibuit Barnesius, eundemque supra modum et pæne pueriliter admiratus est, ut utar verbis

Valckenarii præf. ad Eur. Phœn. p. 8. Ejusdem codicis lectiones ad Phœnissas diligentius enotavit Guil. Piersius.

Johannes Kingius ad Hecubam, Orestem et Phœn. adhibuit decem Codices Britannicos, (Bodleianos et MS. Reg. Soc.) sed enotavit tantum lectiones eas, quæ ipsi magis placerent. Phœnissas cum illis codd. denuo accuratius contulit Joh. Burtonus. His copiis usus quoque Musgravius est, sed novam cod. collationem non instituit.

Duo Codices Antonii Askew, et Harl. MS. Musei Britannici Musgravius ipse indicavit accuratius.

*Bibliothecæ Hispanicæ.*

Bibliotheca Antonii Augustini (nunc in ecclesia cathedrali Toletana) cujus index MS. est in biblioth. regia Göttingensi. v. Plüer Reisen durch Spanien p. 85. ss. Friedr. Eckard Uebersicht der Oerter, wo die bekanntesten Gr. Schriftst. gelebt haben, und Grundlage zur Gesch. der Bibliotheken. (1776. p. 92. ss.)

N. 237. Eurip. Epistolæ V.

N. 245. Eur. tragœdiæ II. cum Sophoclis et Æschyli aliquot.

N. 246, Eur. Hecuba. c. gl. et sch.

N. 247. Eur. tragg. III.

N. 248. Eur. tragg. III. c. schol. selectis antiquis in 4.

Bibliotheca Regia Madritensis. vid. Joh. Iriarte Regiæ Bibl. Madrit. codices gr. MSS. Vol. I. 1769. Madrit. fol.

P. 70. b. Cod. XVIII. chartaceus in folio, constans foliis 270 litteris partim minutis, partim majusculis duplici, ut videtur, manu exaratus sæc. XV. fere dimidiato, olim ex Bibliotheca Jo. Fernandez de Velasco. Continet Homeri Iliadem cum incerti auctoris metaphrasi, item Euripidis Hecubam tum duas Libanii orationes funebres in Julianum imperatorem, et alius orationis fragmentum.

P. 71. b. Cod. XIX. chart. fol. dentata charta nitidisque litteris sæc. XV. exeunte complectitur variorum veterum sapientum Epistolas. In his Εὐριπίδου τοῦ τραγικοῦ ποιητοῦ ε.

P. 160. sqq. codd. XLVII. chart. forma quarti oblonga, partim Constantini Lascaris manu, partim alia longe vetustiore, sæculi nimirum XIV. jam inclinati aliquot Euripidis (n. Hecubam, Orestem s. Electram, Phœnissas, cum glossis interscriptis et notis aliquot marginalibus) Sophoclis, et Æschyli tragœdias et Plutum Aristophanis.

P. 466. ubi collectio epistolarum recensetur e codice chartaceo a Lascari scripto, et n. 47. epistola amatoria Εὐριπίδῃ δοξικράτει (sic)

P. 503. Exhibetur Vincentii Marinerii Valentini Operum index, in quorum vol. X. ab init. inesse (pag. 511. sq. Catalogi) dicuntur scholia in septem Euripidis Tragœdias ex antiquis exemplaribus ab Arsenio archiepiscopo Monembasiæ collecta. Vincentio Marinerio Valentino interprete, et p. 11. scholia in septem Tragœd. Euripidis ex diversis libris decerpta, interprete eodem, script. 1624. fol. II. auctorum nomina, quibus utitur in suis commentariis scholiastes Euripidis.

Plüerus (in den Reisen p. 168.) laudat Codd. Bibl. Escorialensis hos:

Euripidis Comici (sic) Ecuba, Orestes, Phœnissæ, Andromache, Medea et Hippolytus.

Ecuba cum glossis.

Montfaucon Bibl. MSS. p. 619. A. præterea nominat Cod. Bibl. Escor. in quo Euripidis et Sophoclis Opera sint.

*Bibliothecæ Belgicæ.*

In Biblioth. Leidensi duo sunt Euripidis Codices, alter pervetustus inter Vossianos (in Catal. p. 393. n. 28.) alter vetus quoque, nec multo deterior (ib. p. 397. n. 33.) Horum Codd. diversas lectiones ad Phœnissas in Valckenarii gratiam excerpserat Jo. Dan. a. Lennep. Postea ipse Valckenarius eos contulit cum Edit. Kingii.

Inter Vossianos libros ibidem est collatio codicis Florentini ab Is. Vossio instituta. Pertinet ea ad Phœnissas, Medeam, Hippolytum, Alcestin, Andromachen, Rhesum et Troadas. Ex Vossii libro varias lectiones descripserat Petrus Burmannus Secundus; has adhibuit in Phœn. et Hippol. Valckenarius. Reliquas cum Musgravio communicavit Davides Ruhnkenius.

*Bibliothecæ Germanicæ.*

Bibliotheca Vindobonensis. v. Nesselii Catalogus bibl. Vindobon. T. IV. p. 72. ss. et Reimmanni Bibliotheca acroamatica (1712. 8.) p. 718. ss.

Cod. 119. chart. in 4. (58. Reimm. olim Jo. Sambuci) Hec. Or. Phœn. cum Schol. interlin. et marg.

143. Ness. (73. Reimm.) chart. in 4. Hecuba et Orestes.

161. N. (83. R. olim Sambuci) Euripidis et Sophoclis tragœdiæ aliquot cum Sch. interl. et marg.

180. Cod. Chart. olim Auger. Busbequii (94. R.) Hecuba, Or. Phœn. cum not. interl. et marg.

197. N. (106. R.) chart. in 4. olim Joh. Alexandri Brassicani, tum Joh. Sambuci, Hec. Or. et Phœn.

218 N. (118. R.) chart. in 4. Hecuba cum Polydori præfatione.

242. (134. R.) chart. olim Jo. Sambuci, præter alia, Hec. et Or.

289. Euripidis fragmenta quædam.

302. (176. R. cod. lacerus, olim Jo. Sambuci) Hecuba, Orestes.

In eadem Bibl. fragmentum Eurip. Hecubæ, ab Lambecio Germanice conversæ. v. Kollar. Catal. Bibl. Vind. T. I. p. 621.

Cod. olim Neapolitanus, tum in Bibl. Vindob. Euripide, volume in foglio, con alcune notazion Greche al margine, scritto da tre secoli, e ben trattato. Koll. ib. p. 777.

Bibliotheca Augustana. Vid. Ant. Reiser Index MSS. Gr. bibl. Aug. 1675. et Fried. Eckardus I. supra laud. p. 135.

Subs. VIII. n. 2. Euripidis Orest. et Phœn. cum schol.

Plut. V. n. 45. Euripidis Hecuba adjecta Xenophontis Symposio.

In inferioris Bibl. Armario I. n. 48. Euripidis tragg. III. adjectæ quatuor Soph. tragœdiis.

Ibid. n. 68. Scholia in Eurip. Hecubam; Orestes cum Schol.

Scholia multum auctiora e cod. Aug. Tryllitschius adscripserat exemplo Scholiorum Hervagiano. Illud cum Valckenario communicavit Reiskius, unde illa multa nova Scholia ad Phœn. protulit. V. ipsius præf. ad Phœn. p. 14. ss.

Bibliotheca Heidelbergensis olim habuit hos poëtæ nostri Codices (v. Fr. Sylburgii Monumenta pietatis et litteraria, Frf. 1702. II. 4. p. 1. ss. :)

N. 18. Euripidis Hecubam cum schol. adjectam Lycophroni.

N. 41. Eurip. Tragœdias tres, c. metaphr. et schol. in 4.

N. 98. Eurip. Tragœdias IX. cum schol. in 4.

N. 114. Tragœdias tres ejusdem, c. schol. in 4.

N. 144. Tragœdiæ tres cum metaphr. et schol. in 4.

N. 151. Tragœdiæ E. duæ, cum schol.

N. 223. Tragœdiæ Eur. tres. cum schol. adjectæ tribus Aristoph. comœdiis.

N. 236. Eurip. duæ tragœdiæ c. schol.

N. 287. Eurip. XIV. tragœdiæ, cum Soph. et Æsch. aliquot fabulis.

N. 319. Eur. duæ tragœdiæ, adjectæ sententiis Aristoph. et Æsch.

N. 336. Eur. tragg. III. cum metaphr. et sch. etiam in alias 5. tragœdias, Cod. in 4.

N. 343. Eur. duæ tragœdiæ, cum schol. Cod. in fol.

N. 354. Eurip. duæ tragœdiæ cum schol. Cod. in 4.

N. 369. Gnomæ Euripidis, una cum sententiis Soph. et Arist. adjectæ Harmenopuli Hexabiblo.

Argentorati Cl. Brunckius fragmentum Cod. possidet, quod partem Hecubæ, partem Orestis et unicum folium ex Œd. Colon. habet. V. ipsius ind. præmissum animadverss. in Orestem.

In bibliotheca Guelferbytana est Codex Gudianus (n. 11.) continens Euripidis Tragœdias IV. cum scholiis. Ejus cognoscendi caussa per litteris adii (a. 1799.) b. Jac. Frid. Heusingerum, virum non litterarum modo scientia, sed humanitatis quoque laude incomparabilem. Ejus vero litteræ, quibus precibus meis ita respondit, ut Codicis naturam accuratius exponeret, sed eum Lipsiam transmitti non recte posse, neque multum utilitatis ex ejus collatione exspectari, ostenderet, nescio quo infelici fato, ex reliquis meis ad Euripidem pertinentibus schedis exciderunt, et ita perierunt, ut nihil inde de isto Codice possem afferre.

In eadem bibl. Euripidis editio est cum observatt. Salmasii manu adscriptis (n. 18.)

De Codice Vitebergensi præter ea, quæ Reiskius sub initium Anim. in Eurip. et Aristoph. monuit, vide quæ p. 1019. dicta sunt.

Ibidem de tribus codd. Mosquensibus, et de codice chartaceo quem Cel. Matthæi possidet, satis disputatum est.

## B. EDITIONES.

### a. EDITIONES ANTIQUIORES TRAGŒDIARUM ET SCHOLIORUM SEPARATIM FACTÆ.

Editio omnium antiquissima non nisi quatuor tragœdias continet, estque una illarum, quæ litteris capitalibus sunt descriptæ: Euripidis Medea, Hippolytus, Alcestis, Andromache, Græce; (Florentiæ sub finem. sæc. XV. a Jano Lascari curata, in 4. 98. foliis s. 186. paginis, litteris majusculis, neque tamen sine accentibus, descripta.) Est ea etiam in Bibl. Senatus Ampliss. Lips. unde ejus usum mihi Ill. Müllerus benevole concessit. De eadem vid. Maittaire in Ann. typogr. T. I. P. I. p. 101. ss. (qui monet Johannem Lascarim a. 1494. usum litterarum capitalium Florentiæ induxisse, Laurentio Francisci de Alopa, Veneto, impressore, eundemque Lascarim huic editioni præfuisse conjicit) et Clement Biblioth. curieuse T. VIII. p. 164. et plerique recentiores edd.

2. Editio Aldina 18. Tragœdiarum: Euripidis Tragœdiæ XVII.

Græce apud Aldum 1503, voll. 2. mense Febr. 8. (Venet.) In titulo tantum 17 Tragœdiæ nominantur, nulla facta mentione Herculis Furentis, quæ tamen fabula in fine vol. II. additur. V. Metarius l. l. T. II. P. I. p. 164. et Clement l. l. Idem p. 165. commemorat ed. Ald. quæ prodiisse dicatur a. 1513. sed ipse vitium typogr. esse censet. Brunck. ad Phœn. 1263. docet, eam ex parum emendatis codd. esse expressam.

3. Hæc Aldina editio ter Basileæ per Joh. Hergavium est repetita (v. Clement T. VIII. p. 165. s.)

*α*. a. 1537. 8. de qua vid. etiam Maitt. T. III. P. I. p. 272.

*β*. a. 1544. cui editioni præfuit Oporinus, qui multa in textis mutavit, suis usus aliusve nonneminis conjecturis. Adjecit idem volumen secundum, quo Scholia in Eur. exhibentur.

*γ*. a. 1551. quæ, non nisi anni indice, diversa est a præcedente, sed exhibet in fine Electram quoque, quamquam in titulo tantum XVIII. tragœdiæ nominantur.

4. Electram primus edidit Græce Petrus Victorius a. 1545. et quidem Florentiæ, ut Fabric. refert, vel potius Romæ, auctoribus Maitt. T. III. P. I. p. 382. et Clement l. l. p. 167. In Harwoodii et Pinelli libro: Prospetto di varie edizioni degli Autori Classici Greci e Latini, tradotto dall' originale Inglese del D. Ed. Arvood coretto ed accresciuto de Maffeo Pinelli, Venez. 1780. p. 17. commemorantur duæ Electræ editiones Victorianæ sic:

Electra, a Petro Victorio. Gr. 8. Romæ 1545. Prima e rara edizione.

—ab eodem, Gr. et Lat. 12. 1546.

Etiam III. Com. Rewiczkius (in Bibliotheca Græca et Latina—quas usui meo paravit Periergus Deltophilus, Berol. 1784. 8.) commemorat p. 21. Electræ editionem principem, quæ Romæ a. 1545. 8. prodierit. Sed in Catalogo librorum impressorum Musei Britannici T. I. est: Electra Eur. Tragœdia Gr. Lat. P. Victorii, Flor. 1546. 8.

5. Tragœdiæ XIX. a Guil. Cantero emendatiores sunt editæ, qui primus metro consuluit, et versus in choricis restituit, plerumque suo obsecutus ingenio, Antwerp. ex offic. Plantin. 1571. 12. Prolegomena quoque Canteri in Euripidem sunt adjecta, et in fine appendix sententiarum Eurip. a Stobæo laudatarum, quas Canterus Latine reddidit.

6. Prima editio Græco-Latina XIX. Tragœdiarum est Basileensis apud Oporin. 1562. fol. cum versione Gasp. Stiblini, qui fabulas in actus distinxit, præfationes et notas addidit. Accedunt Jac. Micylli Collectanea de tragœdiis Eurip., et Joh. Brodæi Notæ in Tragœdias undecim, Rhesum, Troad. Bacch. Cycl. Heracl. Herc. Fur. Suppl. et utramque Iphigeniam.

7. Danaës fragmentum prima exhibet editio Commeliniana, quæ sic inscribitur; Euripidis Tragœdiæ XIX. Accedit nunc recens vigesimæ, cui Danaë nomen, initium, e vetustis Bibliothecæ Palatinæ membranis, Græce junctim et Latine. Latinam interpretationem M. Æmilius Portus, F. P. C. F. passim ita correxit et expolivit, ut nova facie nitidoque cultu nunc primum in lucem prodeat. Carminum ratio ex Gul. Cantero diligenter observata, additis ejusdem in totum Euripidem Notis. Heidelbergæ, typis Hier. Commelini. 1597. 8. II. voll. Nec in meo exemplo sunt Æmilii Porti notæ, quas Fabricius commemoravit, sed desideravit etiam Harlesius, V. C.

in Introd. in Hist. linguæ Gr. p. 120. s.

8. Euripidis editio Brubachiana sine anni nota prodiit, inscripta sic: *Εὐριπίδου Τραγῳδίαι ὀκτωκαίδεκα, ὧν τὰ ὀνόματα ἐν τῇ ἑξῆς εὑρήσεις σελίδι.* Euripidis Tragœdiæ octodecim, quarum nomina in sequenti invenies pagina. His accessit Electra, valde quidem hactenus desiderata Tragœdia ac nuper demum in lucem edita, Francofurti.

Exemplar, quod vidi, e bibl. Ernestiana transiit in senatoriam, et b. Jo. Aug. Ernesti adscripserat hæc: "Hæc editio est ex officina Brubachii, ut ex insigni patet, quod est in calce. In ea sunt notabiles lectiones, idemque versiculi, quo non sunt in aliis edd. Unde ducta sit, non potui indagare. v. tamen Musgravii Exerc. ad Eurip. p. 69. ubi fons versiculorum in Suppl. 263. s. indicatur."

Editio ista non duobus voll. in 12. constat, ut scripsit Markland. ad Suppl. p. m. 130. sed. unum est vol. in 8. In fine Herc. Fur. ante Electram est insigne Jani Bifrontis. Versus suppleti omnino ita leguntur ut Marklandus eos exhibuit. Cf. Reisk. præf. anim. in Eurip.

9. Editio Tragœdiarum Euripidis, quæ prodiit Genevæ 1567. II. voll. in 16. commemoratur in Catal. libr. impress. Mus. Brit.

10. Scholiorum in VII. Tragœdd. prima editio est Juntina a. 1534. Ven. 8. quæ sic inscribitur: *Σχόλια τῶν πάνυ δοκίμων εἰς ἑπτὰ τραγῳδίας τοῦ Εὐριπίδου, συλλεγέντα ἐκ διαφόρων παλαιῶν βίβλων, καὶ συναρμολογηθέντα παρὰ Ἀρσενίου ἀρχιεπισκόπου Μονεμβασίας.* Scholia in septem Euripidis Tragœdias ex antiquis exemplaribus ab Arsenio archiepiscopo Monembasiæ collecta et nunc primum in lucem edita. In fine legitur: Venetiis in officina Lucæ Ant. Juntæ M. D. XXXIV. die XXIV. Decembris. Cf. Maittaire T. II. P. II. 810.

Fabricius B. Gr. I. p. 665. s. observat ea tum ex antiquioribus Grammaticis (sic in Schol. ad Med. 273. antiquum scriptorem loqui); plures enim in Euripidem esse commentatos, ut Soteridem, Didymum, Aristophanem, Callistratum, etc.; tum ex recentioribus (quorum vestigia vel in usu Græco-barbarorum vocabb. conspiciantur) Eman. Moschopulo, Lascari, et Thoma Magistro esse collecta. Ipse Arsenius in Epistola ad Paullum III. Pontificem Romanum, cui inscripsit Scholia, post multas gratulationes et querelas de ecclesiæ Græcæ conditione, dicit se mittere pontifici *τὰ εἰς ἑπτὰ Τραγῳδίας τοῦ Εὐριπίδου σποράδην εὑρισκόμενα σχόλια, ἃ δή γε οἷά τις μέλισσα ἐνιζάνων αἷς ἐνέτυχον βίβλοις τῶν παλαιῶν, ἔν τε τῇ Μίνωος πόλει καὶ Ῥαδαμάνθυος, Ἐνετίῃσί τε κἀν Φλωρεντίᾳ ἐρανισάμην ἐπιμελῶς.*

Decem annis post ap. Hervagium emendatior editio Scholiorum prodiit, Basil. 1544. 8. II. voll. Cæterum Lascaris Scholia in III. Tragg. priores MSS. in Bibl. Thuana, et Scholia e Dionysio Didymo aliisque collecta, quæ olim in Bibl. Palatina exstiterunt, memorat idem Fabric. p. 656.

b. *Editiones omnium Tragœdiarum.*

1. Stephaniana. Græce, cum scholiis in VII. Tragg. versione Guil. Canteri, ejusdemque et Brodæi, Stiblini atque Æm. Porti, notis. Genevæ typis Paulli Stephani, 1602. 4. (3 voll.) De ea vid. Clement l. I. p. 168.

In Jac. Lectii Corpore poëtarum Græcorum tragicorum etc. (Gen. 1614. s.) habentur etiam Euripidis tragœdiæ cum versione Canteri.

2. Cantabrigiensis, Josuæ Barnesii, 1694. f. qui etiam Fragmenta

(non satis diligenter collecta) et 5. Epistolas adjecit. De ea v. Acta Erudd. a. 1695. p. 355. ss. et Le Clerc. Bibl. choisie T. VI. p. 241. ss. Sed aliter nunc de ejus pretio statuitur, ac olim. Neque tamen negandum est, multa Barnesium, pro ratione suorum adjumentorum et virium, præstitisse.

3. Patavina. Εὐριπίδου Τραγῳδιαι τελειαι ΔΠΙΙΙΙ, *ἀποσπασματια και ἐπιστολαι*, cioè Tragedie di Euripide intere XIX. Frammenti ed Epistole, Greco e Italiane in versi, illustrati di Annotazioni al Testo Greco ed alla Traduzione. Opera del P. Carmeli, Accademico di Padova. In Padova 1743—1753. XX. voll. 8. maj. Hujus editionis notitiam pleniorem debeo Cel Heynio, qui monuit notas partim Latine, partim Italice esse scriptas, nec multum continere novi, nec prodere insignem scientiam linguæ, artis criticæ, reive metricæ.

Editio Patavina acrem invenit censorem, Jo. Jac. Reiskium, cum in Act. Erud a. 1748. p. 534. ss. tum in præf. Anim. ad Eur. et Arist. In Act. l. l. Tomus I. indicatur, qui quatuor continet priores fabulas. Judicium Reisk. hoc est: "Editor criticus non est, et falluntur, qui novas aut a Codd. aut ab ingenio comparatas opes ab eo requirunt. Sequitur editionem Barnesii maxime, subinde etiam Kingii.—Græco textui, qui charta typisque nitidis et cum cura expressus est, subjectæ sunt notæ Latinæ, in quibus auctor præcipue studuit Arsenii passim ad locos difficiliores observata expromere, antiquos ritus, significationes vocum sæpe satis vulgarium, metrorum genera, figuras prosodicas, aliasque grammaticas minutias in usum, ut videtur, tironum annotare. Ex opposito legitur ejus interpretatio metrica, liberior, Italismo magis quam textui accommodata. Ea præstat versioni Latinæ Porti.—Italicæ interpretationi subjectæ sunt eadem dialecto scriptæ notæ, quæ actuum argumenta, ritus, historias, geographica, quantum ad intelligentiam Poëtæ facit, exponunt. Singula voll. singulas fabulas continent." Præterea monet R. in Italica versione fabulas sæpe perperam esse in actus et scenas divisas; interpretem sæpe ne intellexisse quidem auctorem suum; peccasse plurimis locis contra Grammatices leges.

In eadem censura Reiskius primo persequitur decem poëtæ ipsius vitia in Hecuba commissa (p. 545. ss.) quæ hæc sunt: 1. non observata loci unitas; nam scena simul in Europa et in Asia. 2. Polydorus ante tres dies mortuus prologum recitat; sed Stygem semel transgressis redire non licuit. 3. Longius illud colloquium a choro institutum v. 100. ss. et defectus omnis πάθους. 4. Chorus Hecubam non consolatur. 5. Parum verisimiliter fingitur, Polyxenæ cædem adeo brevi peragi potuisse tempore. 6. Frigidum Hecubæ responsum. v. 786. 7. Regis Thraciæ adventus improbabilis est. 8. Liberi Thracis consilio, quod Hecuba v. 1006. indicat, inepti fuerunt, quippe infantes. 9. Polymestor cæcus agnoscit Agamemnonem, quem hactenus nunquam viderat. 10. Fabulæ initium triste est, finis lætior. Itaque ad quod genus fabularum hæc referenda sit, non satis patet.

Deinde Reiskius in eadem Patavini Euripidis censura proposuit varias conjecturas ad Hecubam pertinentes. Nam v 51. legi jubet ὅσουπερ, v. 162. ποῖ δ' ἥσω πόδα (p. 537) —v. 370. οὐδέ τοι (p. 542.) v. 832. ὁμοῦται, vel etiam ἑνοῦται, v. 1080. pro ναῦς scribi ναὸς et pro φύλαξ jubet φίλων, vel potius φώκας, ut constructio sit: συθεὶς ἐς τάνδε φώκας κοίταν, ὀλέθριον τέκνων ἐμῶν: et sensus: ut

qui funibus marinis regit velum majus, e lino contextum, sic ego, illapsis in hoc phocæ antrum, filiis meis exitiale, vel in hanc phocæ foveam, filiorum meorum perditricem.

Contra Lipsiensem censorem prodiit:

Pro Euripide et novo ejus Italico interprete Dissertatio P. Carmeli, S. Th. D. et in Gymn. Patav. Publ. Prof. Patavii 1750. 8.

Et hic libellus in Act. Erud. a. 1751. p. 614. ss. acriter perstringitur. Nam auctor censuræ ostendit, sententiam olim pronunciatam multo esse mitiorem, quam natura operis postulabat. Afferuntur etiam plurima Carmelii vitia grammatica et prosodica.

4. Editio Oxoniensis: Euripidis, quæ exstant omnia Tragœdias superstites ad fidem vett. Edd. Codd. qua MSS. cum aliorum tum præcipue Bibl. Reg. Paris. recensuit, fragmenta tragœdiarum deperditarum collegit, varias lectiones insigniores notasque perpetuas subjecit, interpretationem Lat. secundum probatissimas lectiones reformavit Samuel Musgrave, M.D. Accedunt Scholia Gr. in VII. priores tragg. ex optimis et locupletissimis Edd. recusa. Oxonii. 1778. IV. voll. 4. maj.

De ea vide Censuram nostram in Bibliotheca Philologica, vol. I. (Lips. 1779.) p. 66. ss.

*c. Editiones Singularum Fabularum.*

1. Hecuba.

Eur. Hecuba, Gr. in 4. Paris. ap. Morel. 1612.

— Hecuba et Iphigenia in Aulide, Gr. apud Theodoricum Alistensem Lovan. 1520. m. Augusto, in 4. Maitt. T. II. P. II. 599.

— Hecuba, Gr. Par. 1552. ap. Vascosan. 8.



Eadem, Gr. et Lat. ap. Guil. Morell. Paris. 1540. 4.

Eadem, Gr. cum schol. Gr. ap. Johannem Lodoicum Tiletanum, Par. 1545. 4. Maitt. III. I. p. 382.

Hecuba et Iphigenia in Aulide, cum versione Desid. Erasmi, Gr. et Lat. Basil. ap. Froben. 1524. 8.

Hecuba et Iphigenia in Aulide, Gr. et Lat. ex versione Erasmi, Basil. m. April. 1530. up. Froben. in 4.

Hecuba, Gr. et Latine a Desider. Erasmo versa, Paris. ap. Morel. 1560. in 4.

Hecubæ et Iphigeniæ versionum Erasmicarum editiones Maittairius commemorat has:

E. Hecuba et Iph. in Aul. Latinæ factæ Erasmo Roterodamo interprete, et Prosopœia Angliæ sibi de regis Henrici virtute et regiæ sobolis indole gratulantis, eodem Erasmo auctore. Par. ex offic. Ascensii, 1506. fol.

E. Hecuba et Iphigenia in Aulide, Erasmo interprete, cum ejusdem Odis de laudibus Britanniæ et senectutis incommodis. Venet. 1607. 8. in ædibus Aldi.

Eur. Hecuba et Iphig. in Aulide Latinæ factæ, Erasmo interprete. Bas. ap. Joh. Frobenium 1518. 4.

(Prodierunt etiam Eur. Hecuba et Iphigenia in Aulide in Lat. translatæ ab Erasmo Roterod. Viennæ 1511. 4. Tum exstat hæc versio in Erasmi Opp. L. B. 1705. fol. T. I. De editione Vindobonensi (1511.) v. omnino Mich. Denis in Wiens Buchdruckergeschichte p. 60. s. Editio versionis Latinæ Hec. et Iph. A. Florentina ap. Juntam 1518. 8. commemoratur in Bibl. Maphæi Pinellii T. II.

Eur. Hecuba, Græce, cum versione Matthiæ Heusleri, ejusque commentario grammatico, Lips. 1554. 8.

In Henr. Stephani tragœdiis se-

lectis idem drama legitur cum Dorothei Camilli, qui Euripidis omnes fabulas Latine reddidit, versione prosaica, sed a Stephano maxime ex Phil. Melanchthonis prælectionibus recognita, et cum metaphrasi poëtica Desid. Erasmi, 1567. 12. Loca quædam Ennianæ Hecubæ et Medeæ cum Græcis Euripidis collata exhibet Henr. Stephanus in Trag. selectis p. 944. ss.

Eur. Hecuba, Orestes, et Phœnissæ. Collatis decem MSS. textum et scholia emendavit, Scholiis ineditis, versione elegantiore, notis perpetuis et dissertatiunculis de metro tragico auxit et illustravit Jo. King. Cantabr. 1726. 8.

Hecuba, Orestes et Phœnissæ, cum schol. antiquis ac versione notisque Joh. King fere integris, curante Thoma Morell, qui Alcestin adjecit, cum Scholiis quæ exstant, nova versione, et notis perpetuis in usum Scholæ Etonensis, Lond. 1748. II. 8.

Euripidis Tragœdiæ quatuor, Hecuba, Phœnissæ, Hippolytus, et Bacchæ ex optimis exemplaribus emendatæ. Argentorati, ex off. Jo. Henr. Heitz. 1708. 8. Illud exemplar, quod liberalitati Cel. editoris debeo, est forma quat. Curavit eam, et animadversiones adjecit R. Fr. Ph. Brunck, V. C. usus codd. Regiis, de quibus supra. Cf. Brunckii defensionem hujus ed. in Journal d. Sçavans, Avril 1781. n. 4. et Dupuy responsionem, ib. m. Maj. n. 6.

Εὐριπίδου Ἑκάβη, e recensione et cum notis Rich. Fr. Phil. Brunck. Prælectionum caussa curavit Geo. Henr. Martini, (Schol. Nic. Rector.) Lipsiæ ap. G. G. Sommer. 1781, 8.

2. Orestes. Græce, Paris. ap. Libert. 1623. in 4.

Eur. Orestes, Gr. ap. Feder. Morell. Lutet. 1584. 4. v. Maittair. III. 2. p. 790.

Orestes, Gr. et Lat. 12. Glasg. 1753. In Harwoodi libro a Pinellio verso et aucto monetur p. 17. s. esse elegantissimam et emendatissimam editionem, doletque Pinellius Glasguæ non omnes Eur. fabulas ita esse expressas.

Εὐριπίδου Ὀρέστης. Ex recensione J. Barnesii, varietate lectionis et animadversionibus illustravit J. F. Facius. Præfatus est Chr. Gottl. Heyne. Coburgi impensis R. A. W. Ahlii 1778. 8.

Adjectus huic editioni est quoque verborum Index. Censuram hujus editionis v. in Allgemeine deutsche Bibliotheck XXXIX. vol. Part I. ubi et nonnullæ proponuntur censoris (qui Gedickius, V. C. esse dicitur) conjecturæ, quæ inseruntur in ordine, vide Orestem v. 1001.

Sophoclis Œdipus Tyrannus et Euripidis Orestes ex optimis exemplaribus emendati. Argentorati, ex off. J. H. Heitz. 1779. 8. Cum præfatione Joh. Schweighæuseri V. C. sed cura Brunckii, V. S. prodiit ea editio.

3. Phœnissæ.

Eur. tragœdia Phœnissæ, Gr. emendata ex MSS. et Latina facta ab Hugone Grotio, Par. ap. Jac. Ruart. 1630. 8. iterum Amst. 1631.

Eur. Medea ex Phœnissæ, Gr. et Lat. cum schol. Græcis integris, nonnullisque ad Phœnissas e MS. nunc primum editis studio Wilhelmi Piers, qui vitam Euripidis recens a se scriptam, et notas variasque lectiones adjunxit.

Phœnissæ et Medea, a Jos. Barnesio, Gr. et Lat. Lond. 1715. 8.

Phœnissæ ex rec. Barnesii, cura Car. Henr. Langii, Lubec. 1733. 8.

Euripidis Tragœdiæ Phœnissæ. Interpretationem addidit H. Grotii, Græca castigavit e MSS. atque adnotationibus instruxit; Scholia, partim nunc primum evulgata, subjecit Ludovicus Casp. Valckenær. Franequeræ, typ. et sumt. Jac. Brouwer. 1755. 4.

Secutus est præcipue Kingii editionem, omnium emendatissimam, sed viginti fere versus tanquam adulterinos et Euripide indignos primus ejecit. Scholia quoque adnotationibus illustravit.

Phœnissæ cum Schol. Gr. e recensione Valckenarii edidit, varietatemque lectionis indicemque verborum copiosissimum adjecit Christ. Gottfr. Schütz. (nunc Prof. Jen.) Halæ. 1772. 8.

Πεντάλογια, s. Tragœdiarum Græcarum delectus cum adnotatione Jo. Burton. Ed. altera, cui, observationes indicemque Græcum longe auctiorem et emendatiorem adjecit Tho. Burgess. Oxonii 1779. II. 8.

Continet Sophoclis Œdipum Tyr. Œd. Col. Antigonam, Euripidis Phœnissas, Æschyli Sept. Contra Thebas.

Tetralogia dramatum Græcorum, Æsch. Agam. Soph. Œd. Rex. Eurip. Phœnissæ, Arist. Concion. Hal. 1787. 8. (cur. F. A. Wolf.)

4. Medea.

Medea, Græce, cum schol. Gr. Paris. 1545. ap. Joh. Lodoicum, Tiletanum, in 4. Maitt. III. I, 382.

In Euripidis Tragœdiis selectis ab Henr. Stephano 1567. 12. editis sunt Iphigenia in Aulide et Hecuba cum Erasmi versione, Medea et Alcestis cum Buchanani metrica.

Cum Buchanani metaphrasi Medeam recudi fecit Henr. Rumpius, Hamb. 1620. 8. auctore Fabricio.

Medea Græce in 4. ap. Morel. Paris. 1622.

Medea et Alcestis, Gr. et Lat. cum metaphrasi Buchanani. Edinb. 1722. 12.

Medea, cum scholiis, Gr. et Lat. Lond. 1734. 4.

Medea, Græce et Lat. Glasguæ 1775, 8.

Æschyli Tragœdiæ Prometheus, Persæ, et Septem ad Thebas, Sophoclis Antigone, Euripidis Medea. Ex optimis exemplaribus emendatæ. Argentorati ex off. J. H. Heitz, 1779. 8.

5. Hippolytus.

Separatim excusa est hæc fabula, Vitebergæ 1582. 8. auctore Fabricio.

Hippolytus ex MSS. bibl. regiæ Parisiensis emendatus, cum variis lectionibus et notis editoris. Accessere Jer. Marklandii emendationes. Oxon. 1756. 4. (Curavit Sam. Musgrave.)

Euripidis Tragœdia Hippolytus, quam, Latino carmine conversam a Georgio Ratallero, adnotationibus instruxit Ludov. Casp. Valckenær. Lugd. Bat. 1768. 4. maj,

Recuditur nunc, dum hæc scribuntur, Lipsiæ in offic. Sommeri, Hippolytus ex recens. Brunckii, cum ejus animadversionibus, cura Cl. Martini, qui eodem modo Hecubam repeti jusserat.

6. Alcestis.

Alcestis, Græce in 4. Paris. ap. Libert, 1619. De hac editione Harwoodus ap. Pinellium l. I. p. 16. hæc adnotavit: "L'erudito Sig. Vodhull, vomo di grande ingegno, ed amico mio, più d'una volta mi fece osservare una singolare scoperta, da esso fatta nella persona d'Alceste di questa edizione: circostanza che dimostra l'indispensabile necessita, che v'è, di procurarsi tutte le antiche edi-

zioni, fatte in vari luoghi da più dotti nomini."

Eur. Alceste cum schol. Græcis et versione Latina Buchanani e recensione et cum notis Jos. Barnesii: curavit et indicem omnium vocum adjecit Jo. Fr. Sal. Kaltwasserus, Gymn. Goth. Collab. Præfatus est Jo. Gottf. Geislerus. Gothæ, ap. Etting, 1776 (1775.) 8.

Barnesii notis additæ sunt aliæ ex Valckenarii aliorumque scriptis excerptæ.

7. Andromache.

Eur. Andromache, Græce, cum Didaci Pyrrhi Lusitani de remediis adversus fortunæ impetus e tragœdia petendis ad Hieronymum Franciscum carmine elegiaco. Lovanii ex off. Rutgerii Rescii 1537. 4. Maitt. T. III. P. I. p. 273.

Eadem, Græce, cum versione metrica Q. Septimii Florentis Christiani, curante Henr. Rumpio. Hamb. 1619. 8.

Sophoclis Electra et Euripidis Andromache ex optimis exemplaribus emendatæ. Argentorati ex off. I. H. Heitz. 1779. 8. cum præfatione Jo. Schweighæuseri et observationibus criticis maxime R. Ph. Fr. Brunckii.

8. Supplices.

Euripidis Drama Supplices Mulieres ad Codd. MSS. recensitum, et, versione correcta, notis uberioribus illustratum. Accedit de Græcorum quinta declinatione imparisyllabica et inde formata Latinorum tertia, quæstio grammatica. Cum explicatione locorum aliquot ex auctoribus Græcis et Latinis. Londini, excudebat Gul. Bowyer, 1763. 4. maj.

Secunda editio prodiit Lond. 1775. 8 ubi tamen, quantum scio, omissa sunt illa additamenta, priori adjecta. Hæc vero, qua usus sum, nitidis formulis exhibet fabulam, et post eam copiosas eximiasque Marklandi notas.

9. Utraque Iphigenia.

Iphigenia in Aulide, cum metaphrasi sive versione metrica Erasmi; curante Henr. Rumpio. Hamb. 1618. 8.

Euripidis Dramata, Iphigenia in Aulide et Iphigenia in Taur. Ad Codd. MSS. recensuit et notulas adjecit Jer. Markland. Londini, excudebant Bowyer et Nichols, 1771. 8.

Adhibuit editor codd. Paris. tres, Oxoniensemque, textum raro mutavit, sed in distinctionibus et in versione Latina liberius est versatus.

10. Euripidis Rhesus separatim prodiisse Fabricio (p. 645.) dicitur Basileæ, 8.

11. Troades. Prodierunt separatim, Gr. ap. Libert, 1622. 4.

12. De Baccharum editione Br. supra monitum est.

13. Cyclops, Græce, cum Q. Septimii Florentis Christiani metaphrasi, prodiit, curante in usum gymn. Hamburg. Henr. Rumpio. Hamb. 1618. 8.

14. Heraclidæ, Græce ap. Jo. Libert, Par. 1627. 4.

Omisi eas editiones singularum fabularum Euripidis, quæ insertæ sunt Joh. Vorstii vett. poëtarum Græcorum poëmatis, Ber. 1674. 8. Jo. Matth. Gesneri Chrestomathiæ tragicæ, Gött. 1762. Jo. Car. Vollborthi, Novæ Chrestomathiæ Tragicæ Græco-Latinæ. Gött. 1776. 8. similibusque libris, aut singulorum chororum et particularum, v. c. in Hug. Grotii Excerptis ex Tragœdiis et Comœdiis Græcis—Par. 1626. 4 Joh. Heinr. Just. Köppen Griechischer Blumenlese, mit erklärenden Ammerkungen—Brunovici (1785—1787. III. 8.) Tomo II. et III. Nam textus fere descriptus est ex editionibus notis.

Aristologia Euripidea Græco-Latina, h. e. Euripidis sententiæ memorabiles, per Mich. Neandrum collectæ prodieruut Bas. 1559. 4. ap. Jo. Oporin.

Fragmenta Euripidis.

Lud. Casp. Valckenarii Diatribe in Euripidis perditorum dramatum reliquias. Lugduni Bat. ap. Jo. Luzac et J. le Mair. 1767. 4. maj.

Fragmenta quædam ex libris MSS. primus protulit Valck. plurima emendavit, philosophiam Eurip. copiose illustravit, et ex catalogo tragœdiarum Eurip. deperditarum, quem Fabricius post alios concinnavit p. 646. ss. aliquot expunxit.

Epistolæ, quæ Euripidi tribuuntur, primum exhibitæ sunt in collectione Aldi Manutii, a Marco Musuro recensita, quæ Romæ a. 1499. 4. prodiit inscripta: Epistolæ diversorum philosophorum, oratorum, rhetorum etc. repetita vero est Coloniæ Allobrogum 1606. fol. cum versione Jac. Cujacii, ut volunt. In utraque collectione. Eurip. Epistolæ habentur n. 20. v. Fabric. p. 410. 424. Vol. I. Bibl. Gr.

In Catal. librorum impressorum Bibl. Paris. Class. Bon. Art. T. II. commemoratur editio Epistolarum Eurip. Gr. et Lat. absque nota loci et anni in 4.

Epistolæ Apollonii Tyanei, Anacharsidis, Euripidis, Theanus aliorumque ad eos, nunc primum editæ Gr. et Lat. per Eilh. Lubinum. Ex offic. Commel. 1601. 8.

Eas impugnavit, contra novissimum defensorem Barnesium usus certissimis argumentis, Rich. Bentleius. Reflections upon Ancient and Modern Learning by Will. Wotton; with a Dissertation upon the Epistles of Phalaris, Themistocles, Socrates, Euripides, and Æsop's Fables, by Rich. Bentley. Lond. 1697. 8.

R. Bentleii dissertatio de Epistolis Euripidis etc. ex Angl. Lat. versa a Jo. Dan. a Lennep una cum reliquis dissertt. quæ Phalaridis Epp. adjectæ prodierunt Groningæ 1777. 4. p. 80. ss. Repetitæ eæ quoque Lipsiæ sunt, et aliis libellis auctæ: Rich. Bentleii Opuscula Philologica; dissertationem in Phalaridis Epistolas et Epistolam ad Jo. Millium complectentia. Lips. 1781. 8. Ubi diss. de Eurip. Epp. legitur p. 61. ss.

---

## D. VERSIONES.

### TRAGŒDIARUM EURIPIDIS, QUÆ SEPARATIM PRODIERUNT, PRÆCIPUÆ.

a. Latinæ.

Euripidis Tragœdiæ XVIII. singulari nunc primum diligentia ac fide per Dorotheum Camillum Latio donatæ et in lucem editæ, ex off. Rob. Winter. Basil. 1541. mense Aug. 8. v. Maittair. in Ind. Ann.

Eadem versio prodiit quoque Frf.

1562. 8. Dorothei Camilli nomen fictum esse, observarunt plures. v. Fabr. p. 656.

Eur. Tragœdiæ, quæ hodie exstant Latine soluta oratione ad verbum redditæ e prælectionibus Phil. Melanchthonis, cum præfatione Guil. Xylandri, Bas. 1558. 8. Hæc editio in Catalogo librorum impressorum, qui in Museo Britannico adservantur (Lond. 1787. II. f.) T. I. memoratur; alia, quæ prodiit Frf. 1562. 8. in Catal. libr. Bibl. Reg. Paris.

Eur. Tragœdiæ III. Phœnissæ, Hippolytus coronatus atque Andromache, Latino carmine conversæ a Geo. Ratallero; accesserunt fragmenta ex vett. Gr. Poëtis ap. Stobæum ab eodem auctore eodem versuum genere redditæ. Antwerp. ap. Cph. Plantin. 1581. 16.

De hac Ratalleri versione v. Valcken. in præf. ad Eur. Hipp.

Hecuba et Iphigenia in Aulide, Latine per Erasmum, Colon. 1519. 4.

De aliis edd. versionis Erasmianæ v. supra.

Q. Septimii Florentis Christiani Andromache Euripidea tragœdia, cum notis ad ipsam Gr. fabulam L. B. 1594. 8. ap. Franc. Raphelengium.

Euripidis Hecuba et Iphigenia in Aulide ac Medea, in Lat. translatæ, hæc a Geo. Buchanano, illæ ab Erasmo Rot. Paris. 1544. ex off. Mich. Vascosani, 8. Maitt. III. I. p. 371.

Eur. Alcestis Latino carmine reddita. Geo. Buchanano, interprete (impress. Lutet. m. Dec. 1556.) Ex off. Mich. Vascosani, 1557. 4. Hanc. Maitt. III. II. p. 700. suspicatur non primam fuisse editionem, quod privilegium Vascosano jam VII. Id. Febr. 1553 datum fuerit.

Geo. Buchanani, Scoti, Franciscanus et Fratres, elegiarum liber I. Silvarum liber I. Odarum liber I. Euripidis Medea et Alcestis eodem interprete, etc. Bas. 1568. 8. Buchanani poëmata omnia, L. B. 1621.

Is. Casauboni de satyrica Græcorum poësi et Romanorum satyra libri II. accessit Cyclops Euripidæ Latinitate donatus a Q. Septimio Florente Christiano. Par. 1605. 8.

Eadem versio, cum notis Q. Septimii Flor. Christ. et Josephi Scaligeri exstat in Tho. Crenii Museo philologico et historico (L. B. 1699. s. II. 8.) no. 3.

In Casauboni libro de satyrica poësi a Rambachio edito Hal. 1774. 8. p. LVII. ss. et 285. ss. leguntur eædem Scaligeri et Florentis notæ.

Orestem Latino carmine redditum esse a Sigism. Gelenio hancque versionem Basil. ap. Jo. Oporin. prodiisse ostendit Fabric. p. 642.

Phœnissarum prosaica Latina versio M. Georgii Catamini, Argent. 1577. 8. et Jani Guilelmii, Rostoch. 1579. 8. ab eodem Fabr. commemoratur.

b. Germanicæ.

Iphigeniam in Aulide esse Germanico dramate liberius et rationibus recentioris theatri accommodate expressam a Christ. Henr. Postello, Hamb. in 4. ostendit Fabric. p. 644.

Simili consilio, sed alio successu, nuper Jo. Volgangus de Göthe, Vir Perill. Iphigeniam in Tauris libere expressit in dramate iambicis versibus conscripto: Iphigenie auf Tauris, ein Schauspiel in fünf Aufzügen, quod legitur in Göthe's Schriften, neue Ausg. Leipz. 1787. 8. T. III. p. 1—136.

In Jo. Jac. Steinbrychelli Tragico Theatro Græcorum (das tragische Theater der Griechen, Euripides I. Band, Zürich 1763. 8.)

Hecuba, Iphigenia in Aulide, Phœnissæ, et Hippolytus Germanice, et quidem prosaice, conversæ leguntur.

Hecubam vernacule reddidisse etiam dicitur Spangenbergius, Argent. 1605. 8. Iphigeniam in Aulide Baptista de Rochlitz, 1584. Phœnissarum tres primos actus Ostertag, Wetzlar. 1778. 8.

Iphigenia in Aulis, ein Trauerspiel des Euripides aus dem Griech. übersetzt von. D. Joh. Bernh. Koehler. Berl. 1778. 8. Adjectæ etiam sunt animadversiones quædam.

Alceste, ein Trauerspeil des Euripides, aus dem Griech. nebst einer Abhandlung von David Cph. Seybold. Leipz. 1774. 8.

Helena in Ægypten, ein Trauerspiel des Euripides. Aus dem Griechischen. Zür. 1780. 8.

Hecabe, ein Trauerspiel des Euripides, aus dem Griech. übersetzt von J. von Alxinger, in dem Teutschen Mercur, 1787. April. p. 3. ss. Versio Alxingeri, non ignobilis poëtæ Germani, est metrica, adjectæ sunt notæ. Cæterum Wielandus ibidem novam poëtæ nostri promisit versionem.

c. Italicæ.

De Carmelii editione et versione supra dictum est. Eandem copiose descripsit Jacobus Maria Paitoni in Bibliotheca degli autori antichi Greci e Latini volgarizzati, (Ven. 1766. Voll. V. 4.) Tomo II. p. 49. ss.

Ex eodem Paitonio plerasque earum, quæ sequuntur, versionum enotavi.

L'Ecube Tragedia di M. Lodovico Dolce tratta da Euripide. Venetia appresso Gab. Giolino de Ferarri. 1543. 8.

L'Ecuba, Tragedia d'Euripide, tradotta da Ludov. Dolce di nuovo ristampata. In Vinezia 1549. 12.

Tragedie di M. Lodovico Dolce, cioè, Giocasta, Medea, Didone, Ifigenia, Thiesta, Hecuba. Di nuovo ricorrette e ristampate. In Vinezia. 1560. 12.

Aliæ editiones ejusdem versionis Hecubæ prodierunt Venet. 1566. 8. 1569. 12 et 1748. 8.

L'Hecuba d'Euripide novamente tradotta da Giovanni Balcianelli Vicentino. In Verona 1592. 8.

Hecuba tradotta in volgare per Giambatista Gelli. In 8. sine nota loci annique. Est rarissima editio. Gellius ostendit, se in vertenda hac fabula Erasmum esse secutum.

Ecuba Tragedia d'Euripide, in 8. Hujus versionis, quæ Venet. 1714. prodiisse dicitur, auctor nominatur Zaccaria Valaresso.

Ecuba Tragedia d'Euripide tradotta dall' Ab. Maria Guarnacci —con alcune annotazioni. Firenze, 1725. 4.

Ecuba Tragedia di Euripide tradotta del Greco nell' Italiana favella da D. Antonio Straticò, Cretense etc. In Padove, 1733. 4.

Ecuba Tragedia d'Euripide tradotta in versi toscani dal Sig. Stefano Pallavicini, nel Tomo III. p. 49. delle Opere del Sig. Stefano Benedetto Pallavicini. Ven. 1774. 8.

Ad imitationem Euripideæ Hecubæ Italicam composuit Joh. Geo. Trissinus (Trissino) editque Ven. 1560. 8.

Le Feniciane Tragedia d'Euripide, in 8. Et hujus versionis auctor est Zach. Valaressus.

L'Ippolito Tragedia del Greco Euripide transportata in versi sciolti nel nostro idioma da Benedetto Pasqualigo. Ven. 1730. 8.

Alceste Tragedia d'Euripide, tradotta del Mag. Hieronimo Giu-

stiniano nella morte della Moglie. In Genova. 1599. 8.

L'Alceste Tragedia di Euripide tradotta di Greco in verso Toscano. Auctor versionis est Joh. Bapt. Parisotti, eaque legitur Tomo XII. Collectionis Opusculorum philologicorum (Raccolta d'Opusculi scientifici e filologici) Ven. 1735. 12.

Pars ejusdem Alcestis Italice, sed prosaice, conversa legitur in: Discorso poëtico sopra lo scioglimento della Tragicomedia per Musica intitolata l'Alessandro in Susa, nel quale si dimostra l'imitazione presa dalla Tragedia famosa di Euripide nominata l'Alceste. Ven. 1708. 8.

Tragedie transportate dalla Greca nella Italiana Favella dal Mgr. Cristof. Guidiccioni, Lucchese Vescovo d'Ajace in Corsica. In Lucca 1747. 4.

Insunt Electra Sophoclis, et Euripidis Tragœdiæ quatuor: Bacchæ, Supplices, Andromache, Troades.

Le due Ifigenie d'Euripide in Aulide e in Tauri tradotte in Verso Toscano sciolto dal Padre Dom Giambatt. Caracciolo, col testo Greco, e coll' annotazioni del medesimo. In Firenze. 1729. 8.

Il Ciclope d'Euripide, tradotto dal Greco da Ant. Maria Salvini. Adjecta hæc est versio libris duobus Casauboni de Satyrica poësi, quos idem Salvinius Italice reddidit Flor. 1728. 4.

Il Ciclope Componimento satirico di Euripide. In Padova 1749. 8. Auctor est Zanettius.

Elettra, Edipo, Antigona, Tragedie di Sofocle, e il Ciclope d'Euripide, il tutto dall' Original testo Greco nuovamente tradotto e illustrate con note dall' Ab. Franc. Angiolini. Roma 1782. 8.

d. Hispanica Medeæ versio innotuit mihi, cujus auctor est Pet. Sim. Abril. Barc. 1599.

e. Francogallicæ. Hecuba d'Euripide traduicte du Grec en Rhythme Françoise, dediée au Roy, de l'Inprim. de Rob. Estienne. Par. 1544. 8. v. Maittair. T. III. P. I. p. 372. ss. (In Catal. Bibl. Ducis de la Valiere T. II. p. 69. tribuitur Lazaro de Baif.

Hecube d'Euripide traduite par Guil. Bouchetel. Inpr. par Rob. Estienne, Par. 1550. 8. idem III., II., 593.

La tragédie d'Euripide nommée Hecuba, traduite du Grec en rhythme Françoise, par Lazare de Baif. Par. 1550. 12. Forte una eademque est cum superiori. Nam Maitt. observat, ab aliis auctorem dici Bouchetelium, ab aliis Baifium.

L'Iphigénie d'Euripide tournée de Grec en vers François par l'auteur de l'art poëtique, (Tho. Sibillet.) Par. 1549. 12.

Iphigénie en Aulide, translatée par T. S. auteur de l'art poëtique, a Paris 1550. 8. Maitt. in Ind.

In Brumœi Theatro Græcorum (Paris. 1730. III. 4. s. Amst. 1732. VI. 8.) conversæ extant Tragœdiæ hæ: Hippolytus, utraque Iphigenia, Alcestis et Cyclops.

Electra prosaice versa esse dicitur a Larchero et edita Par. 1750. v. C. H. Schmids Anweisung der vornehmsten Bücher in allen Theilen der Dichtkunst. L. 1781. p. 500.

Tragédies d'Euripide traduites par M. P. . . . . Par. 1778. Est non nisi Orestes, speciminis causa exhibitus. Auctor est Prevost, Soc. Acad. Reg. Berol.

Integra Prevosti versio omnium fabularum Euripidis prodiit Lutet. Par. 1783. s. III. 8.

Eadem versio inserta est novæ editioni Theatri Græcorum, cujus prima pars ita inscribitur:

Théatre des Grecs par le P. Brumoy. Nouvelle édition, enrichie de très belles Gravures et augmentée de la Traduction entière des Pièces Grecques dont il n'existe que des Extraits dans toutes les Editions précédentes; et de Comparaisons, d'Observations et de Remarques nouvelles, par MM. de Rochefort et du Theil, de l'Ac. Roy. d. I. et B. L.; et par M*** Par. 1785. 8. maj.

Promissa sunt XII. volumina, quorum novem usurpare licuit. Inde a T. IV—IX. Prevosti legitur versio omnium fabularum; præter Cyclopem. Itaque etiam inscriptio T. IV. (1786.) et sqq. est ita mutata: Théatre des Grecs — — —Remarques nouvelles, par M*** et par M. Prevost.

Hécube, première Tragédie d'Euripide, traduite en François avec des remarques, par M. Belin de Ballu. a Par. 1783. 8.

f. Anglicæ.

Iphigeniam in Tauris vertit Westius, suæque Pindari editioni adjecit.

Select Tragedies of Euripides. Translated from the original Greek. Lond. 1780. 8. Continet hic liber versionem Phœnissarum, Iphigeniæ in Aulide, Troadum et Orestis.

The Tragedies of Euripides, translated by R. Potter. In two Volumes. Lond. 1781. s. 4.

Aliam versionem Anglicam omnium Tragœdiarum Euripidis a Mich. Wodhull confectam, et Lond. 1782. IV. 8. editam laudari vidi.

---

## E. SCRIPTA POETAM ILLUSTRANTIA.

Jo. Meursii Æschylus, Sophocles, Euripides, s. de Tragœdiis eorum, Libri III. L. B. 1619. 4. et in Gronov. Thes. T. X. p. 393. ss.

J. Gottfr. Hauptmann Comm. de Euripide, Geræ 1743.

Essai sur la vie et sur les ouvrages d'Euripide, par M. Prevost, Theatre d. Grecs IV. 313—364.

Lettere del Sig. Ab. Giovanni Cristofano Amaduzzi sopra un antico marmore contenente il Catalogo delle Tragedie d'Euripide e sopra altre chose antiche, scritta al Sig. Ab. D. Epifanio Brunelli di Rimino. Lucca, 1767. Idem monumentum repetitum est in Theatr. Gr. T. IV. 313.

Henr. Stephani Annotationes in Sophoclem et Euripidem. Accessit ejusdem Tract. de Orthographia quorundam verborum Sophocli cum cæteris Tragg. communium, et ei. diss. de Sophoclea imitatione Homeri Par. 1568. 8.

Franc. Porti in omnes Sophoclis tragœdias prolegomena, Sophoclis et Euripidis collatio. Morgiis 1584. 4.

Bened. Averanii in Euripidem Dissertationes XXVI. in Averanii Opp. Flor. 1717. T. I. fol.

Benj. Heath. Notæ s. Lectiones ad Tragicorum Græcorum veterum Æschyli, Sophoclis, Euripidis quæ supersunt, dramata deperditarumque reliquias. Oxon. 1762. 4.

Jo. Jac. Reiskii ad Euripidem et Aristophanem animadversiones. Lips. 1754. 8.

Sam. Musgrave Exercitationum in Euripidem libri II. L. B. 1762. 8.

In Historia et Commentariis Acad. Paris Inscr. et bon. art. hæ leguntur Commentationes (ed. Paris. in 4.)

Corrections de quelques passages de Platon, d'Euripide, et de Suidas, Hist. de l'Acad. d. I. T. V. p. 105. ss.

Examen de deux passages de l'Iphigénie Taurique d'Euripide, ib. p. 116. ss.

Observations sur quelques endroits Phéniciennes des d'Euripide, ib. p. 119. ss.

Corrections d'un passage d'Euripide, et d'un autre de Longin, ib. p. 125. ss.

Correction d'un passage d'Euripide, Hist. de l'Ac. T. VII. p. 187.

Discours sur la Medée d'Euripide par M. Hardion, Mém. de l'Ac. T. VIII. p. 243. ss.

Dissertation sur l'Andromaque d'Euripide par le même, ib. p. 264. ss.

Observations historiques et critiques sur le chœur de l'Andromaque d'Euripide par le même ib. p. 276. ss.

Comparaison de l'Iphigénie d'Euripide avec l'Iphigénie de Racine, par Racine le fils. Mém. T. VIII. p. 288. ss.

Ejusdem Comparaison de l'Hippolyte d'Euripide avec la Tragédie de Racine sur le même sujet ib. p. 300. ss.

Observations sur le Texte de l'Andromaque, Hist. de l'Ac. IX. p. 36. ss.

Corrections de quelques Passages de la Tragédie de Rhésus, ib. 44. ss.

Reflexions sur l'Andromaque d'Euripide et sur l'Andromaque de Racine, par Racine, Mém. de l'Ac. d. I. Tom. X. p. 311. ss.

Dissertation sur la Tragédie de Rhésus par Hardion, ib. p. 323. ss.

Remarques critiques sur le texte et sur les traductions de l'Iphigénie en Tauride, tragédie d'Euripide Hist. de l'Ac. XXXI, p. 173. ss.

Remarques critiques sur le Texte et sur quelques traductions de l'Hippolyte, Tragedie d'Euripide, par M. Dupuy, Mém. de l'Ac. T. XLI. p. 433. ss.

T. XLII. Commentariorum nuper in lucem editæ sunt Batteusii (Batteux) egregiæ observationes in Hippolytum Eurip. et Phædram Racinii. v. Götting. gelehrte Anzeigen 1787. n. 166. p. 1659. ss.

In Miscellaneis Observatt. Batavis Vol. I. T, II. p. 150—153. Vol. II. T, I. p. 92—98. T. III. p. 321. et (Geo. d'Arnaud) Observatt. Vol. VI. T. III. p. 583—597.

In Museo Helvetico (P. XVII. XVIII. XIX.) T. VI. p. 22. et 201. ss. Sam Battierii leguntur Obss. in varias Euripidis tragœdias.

G. H. Langii Observationes in Phœnissas, in der Hamburg. vermischten Bibl. V. I. 173. ss. 1019. ss.

Hippolytum Euripidis et Senecæ singulari dissertatione inter se contulit Jo. Henr. Boeclerus, Argent. 1651. 4.

Jos. Scaligeri Castigationes in Cyclopem leguntur in ejus Opusc. postumis, cum Is. Casauboni præf. editis Par. 1610. 4. p. 522. ss. et Crenius in Museo phil. et hist. repeti eas jussit.

Commentarius Erasmi Vindingii in Hecubam Hafniæ 1616. 4. prodiit. Dicitur idem et in alias

Tragœdias Commentarios composuisse. v. Fabric. p. 657.

Illustrations of Euripides on the Ion and the Bacchæ. By Rich. Paull Jodrell, Esq. In two volumes. Lond. 1781. 8. (Pertinet eæ animadversiones cum ad orationem, tum ad antiquitates, sed non magni sunt pretii. v. Götting. gel. Anzeigen Zugabe n. 44. p. 695. ss. a. 1782.)

Dissertazioni due dell' Ab. Gio. Girolamo Carli—la prima sull' impresa degli Argonauti e i posteriori fatti di Giasone e di Medea; la seconda sopra un antico bassorilievo rappresentante la Medea di Euripide, conversato nel Museo dell' academia di Mantova. Mant. 1785. 8. (Artifex tam anxie secutus est poëtam, ut et monumentum in quinque veluti scenas (gruppi) divideret. Similia monumenta Hippolytum et Iphig. in Taur. exprimentia superesse monuit Carlius. V. Efem. lett. di Roma a. 1786. p. 20. ss.)

Dissertatio super ἀναγλύφῳ veteris Sarcophagi marmorei, quem hodie in æde Agrigentinorum cathedrali fontis baptismalis loco usurpare solent. auctore Vincentio Gallio, Agrigentino, caussarum patrono, in Antiquorum Monimentorum Sylloge, quam collegit, partim interpretatus est atque edidit Ge. Henr. Martini. Lips. 1783. 8. p. 1. ss.

Legitur ea commentatio Italice scripta in Raccolta di Opuscoli di Autori Siciliani, Vol. XIV. (1773.) Artificem Hippolyti tragœdiam Euripideam cælo expressisse conjecerunt Riedeselius, Gallius, atque Martinius, V. C. Ad illustrandum Hippolytum multa afferuntur.

Jo. Jac. Steinbrychelii Observationes ad Euripidis Hecubam, in Museo Turicensi, quod aperuit Jo. Jac. Hottingerus, Turici, 1782. Vol. I. T. I. p. 156. ss. et T. II. p. 279. ss. Illustrat copiose cum orationem poëtæ tum sententias etiam, recensetque varias interpretum opiniones.

Pauca, quæ nova utiliter affert, huc retuli. V. 16. pro ὀρίσματα scribi mavult cum Scal. ἐρείσματα, vel ὀρίσματα de propugnaculis accipi jubet, ut Iph. Aul. 952. ubi vulgatum contra Markl. tuetur V. 30. ὑπὲρ μητρὸς explicat ad matrem. s. matris pulvinum, illustratque hunc præp. ὑπὲρ usum. Ad v. 33. negat, scenam a poëta duobus in locis constitui, nam v. 136. et 1202. ἐκ Τροίας esse, a bello ad Trojam gesto redire. ναῦς ἔχοντες cum navibus, contra Musgr. explicat. 53. ὑπὸ σκηνὴν legit, quod idem sit ac εἰς σκ. 77. χθόνιοι monet explicari posse simpl. magni. De μαζὸς et μαστὸς copiose contra Grammaticos ad v. 141. disputat. 160. s. corrigit: ποίαν—Στείχω; ποῖ δ' ἵζω; ποῦ κ. τ. λ. 187. ss. Steinbr. construit ita: Κοινὰ γνώμα Ἀργείων συντείνει σφάξαι σε Πηλείδᾳ γέννᾳ πρὸς τύμβον. Scholii autem posteriorem partem ita constituit: Γνώμα, κοινὴ γνώμη τῶν Ἀργείων συντείνει ἢ σπεύδει πρὸς τὸν τύμβον τοῦ Πηλείδου κ. τ. λ. τὸ γέννα, ἢ κλητικὴν—ἢ δοτικὴν πρὸς τὸ Πηλείδᾳ. 203. συνδουλεύειν explicat τῇ δουλευούσῃ συμβοηθεῖν.

207. ss. ἄπο jungit cum χειρὸς, videbis de manu raptam tua—236. s. Sensum esse monet: Si captis licet percontari dominos, quæ molesta non sint, jure videor et ego poscere, ut non solum tu tui interrogandi potestatem nobis facias, sed etiam nos rogantes ista, quæ non sint animi δηκτήρια, libero et æquo animo audias. 246. ἐνθανεῖν defendit, ostenditque esse, vitæ sensum amittere, torpore corripi. 263. τείνειν φόνον esse necem intendere docet. 293. λέγῃ ex usu Homer. defendit, et 299. docet ποιεῖσθαι esse, existimare. 329. s.

scribit: ὥς, ἂν ἡ μὲν Ἑλλὰς εὐτυχῇ, Ὑμεῖς γ' ἔχοιθ' ὅμοια τοῖς βουλεύμασιν. Sic, dum floreat Græcia, vos habeatis, quæ sint vestris institutis consentanea. 332. ὡς ante τολμᾷ repetendum et νικώμενον referendum esse ad τὸ πεφυκέναι, ostendit. 367. φέγγος ὀμμάτων explicat lucem, quam oculi vident. 392. πόμα potionem esse monet, sanguinis haustum. 420. θανοῦμαι futurum hic, ut alibi, significare docet: debeo mori. 421. δὴ ante τέκνων defendit, pro ἤδη capiendum. 454. νάσων omnem constructionem turbare, atque adeo νᾶσον retinendum esse, monet. 457. ἀνέσχε reddit sustulit in altum, protrusit, sed nec ἀνέσσε h. e. ἀνεῖσε spernendum esse observat. Sæpe enim sic terram dici ἀνιέναι τὰ φυτά. 460. ἄγαλμα reddit munus s. decus lætificum, illustratque exemplis. 469. ἀνθοκρόκους πήνας, cum Grævio explicat licia diversorum colorum, a κρόκη non κρόκος. 481. In Scholio monet ἀντὶ ante verba τῶν οἴκων excidisse, et in superiori scholio ed. Juntinam recte exhibere ἀλλάξασ' ἀΐδου θαλάμους, non ἀΐδᾳ.

581. Verbi ἐπιζεῖν activam et transitivam notionem illustrat, et monet, posteriorem quoque hic locum habere. 590. Οὔκουν cum vehementia quadam ἀποφατικὸν esse docet, et v. 593. repetendum οὔκουν εἰ.— 610. νύμφην simpl. esse virginem ostendit; nam fabulam de Polyxena Achilli desponsa esse Euripide recentiorem. 617. σχῆμα de fastu et splendore dictum illustrat. 639. ἀπ' ἄλλων intelligit θεῶν, quod verecunde insinuetur. 645. τις indefinitum hic multitudinem indicare, vel pro πᾶσά τις poni monet. 674. εἴ σοι—explicat: an non res atrox tibi se offerat. 679. νόμον Βάκχειον defendit (p. 278. s.) sive ita, ut sit ritu Baccharum, sive de luctu capias insaniente, et illustrat constructionem v. κατάρχομαι cum Acc. 730. Duplicatum ἂν exemplis pluribus firmat. 748. οὐ καταστάζω explicat: in quod destillo, et τὸ μέλλον 749. interpretatur; conjunctum cum hoc. 763. Interrogationis notam post λαβεῖν abesse vult. 782. τυγχάνειν cum Accus. constructum illustrat, sed Brunckii emendationem τὰ πρῶτα ob senarium in quarta sede repudiat, et ex Eurip. ap. Plut. Alcib. p. 15. Astydamante ap. Suid. V. Σαυτὴν ἐπαινεῖς et Æsch. Pers. 860. ostendere conatur, πρῶτα æque ac τὰ πρῶτα dici primas. 783. καὶ λαβὼν explicat: et quamquam suscepta in se filii cura etc. 786. ἴσως reddit utique, prorsus, omnino. 788. νόμῳ ἡγούμεθα etc. reddit: Nam, quod omnium certa lex est et constans ordinis perpetuitas, intelligimus et esse deos, et istius imitatione legis recti pravique discrimen in vita sequimur. 792. φέρειν reddit auferre; hospitii jura (sancta deorum instituta) audent tollere, evertere. 795. ἀποσταθεὶς reddit: justo intervallo disjunctus—ut pictores solent sibi σύμμετρον διάστημα quærere. Posse et ἐπισταδὸν, i. e. diligenter, scribi, sed non opus esse hac emendatione.

810. Lectionem αἰσχροῖς defendit, et docet, αἰσχρὰ sæpe esse, generi et conditioni parum decora et contumeliosa. 812. Conjicit poëtam scripsisse forte: οὐ λόγου κεδνὸν τόδε parum verecundum fuerit illud commemorare. 816. Pro δῆτ' mavult. δή σ' h. e. δή σοι οὖσας. 817. χάριν ἔχειν docet esse, vicissim ferre, obtinere, beneficium aut gratiam, ex Tho. M. Æsch. Agam. 1867. Eur. Or. 238.—819. s. Conjicit: Ἐκ τοῦ πόθου γὰρ νυκτ. ἀσπασμάτων φίλτρων ὁμοῦται τοῖς βρ. πολλὴ χάρις, ne nimis longe ab Ald. lectione discedatur. 823. ἑνός μοι μ. ab uno ore profecta oratio

parum adhuc valet—842. Pro δόξαιμι mavult δόξαί με. 849. πρὸς ταῦτα proinde, propterea, illustrat. 851. διαβάλλεσθαί τινι esse, offensam alicujus suscipere, subire, docet. 862. μὴ δοκῶν dissimulans id mea gratia fieri; illustrat et δοκεῖν et ἐμὴν χάριν Steinbr. p. 301.—873. μέμφομαι reddit, ab hac parte aliquid requiro in femineo sexu. 876. ὡς γενέσθαι τόνδε μὲν etc. capit pro: ἀλλὰ πῶς χρὴ γενέσθαι, τόνδε μ. λ. ἄφες. Posse et ὡς accipi pro ἵνα quo fiat—vel legi ὣς et tamen Infinitivum γενέσθαι retineri, cum non raro Infinitivus ponatur pro Imperativo, imprimis ubi ipsum mandatum emolliendum est. 888. οὐρίας. Hoc quoque femininum Atticis usurpatum esse ostendit. 890. κοινὸν subintelligit χρέος, vel συμφέρον. 896. φος de multitudine illustrat. 899. αἰθάλῳ defendit. Scholiasten jam emendasse monet Battierium. 909. ὁρῶν reddit exspectans, et ἀνάδετος ostendit non esse Substantivum. Musgravium deceptum vitiosa interpunctione Schol. Arist. Plut. 589.—913. ἀτέρμων rotundum indicare ostendit, neque tamen in poëtis ista ad geometricam rationem subtiliter esse exigenda. 915. ἐπιδέμνιος, subitura jam cubile, defendit St. 919. Ad Ἰλιάδος subintelligit χώρας vel γῆς vel πόλεως. 923. προσίζειν explicat: supplicandi caussa sessum ire.—928. πόδα non hic de fune nautico aut velo accipit, sed tribui navi pedem eleganti translatione, ob cursum. 936. ἀπεῖπον ἄλγει reddit: succumbebam dolori, illustratque hunc verbi usum.

947. Ad προκόπτοντα supp. ἐμὲ vel τινα, h. e. cum lugendo et plangendo ad propulsanda mala, quæ antea evenerunt, nihil proficiatur. 962. χρεία σ' ἐμοῦ subintelligit ἵκει, ἱκάνει, vel ἔχει. 975. Mavult εὐτυχοῖς, ex ea saltem parte felix sis, scil. in posterum. 999. ss. Reiskii divisionem versuum sequitur, sed emendationes hujus loci omnes respuit St. 1010. Explicat: Quemadmodum turbidum mare vitaturus nauta, dum quærit portum, in vorticem incidit importuosum. ἄντλον vero illustrat copiosius. 1011. λέχριος monet esse i. q. λικριφὴς, qui nimis se incurvat et contrahit. ut ad terram propius accedat, appetendi quid et vitandi caussa. 1016. καινὰ reddit inaudita, horrenda, ostenditque ita etiam νέος poni. 1038. ἀποστησ. κ. τ. λ. reddit: consistam procul a Thrace, qui ruit insuperabili concitatus ira. 1040. κατ' ἴχνος scil. Τρῳάδων illustrat aliis exemplis. 1050. νέφος, quod Reisk. conjecit, repudiat. Posse corrigi monet: Τυφλὸν, Ἅλι', ἐς φέγγος ἀπαλλάξας, præpositionem εἰς legisse etiam Scholiasten. Sed vulgatam sic defendit: τυφλὸν φέγγος, pro τυφλωθὲν, dici ut ἀφεγγὲς βλέφαρον Phœn. 544. aut τυφλαὶ ὀφθαλμῶν βολαὶ Lucian. Am. T. II. p. 440. vel ita intelligi τυφλὸν ὄντα ΚΑΤᾺ φέγγος ὀμμ. Quod solem invocat, ut cæcitati medeatur, id partim fieri, quod omnino sol lumen præbet, partim respici ad Orionis historiam ap. Apollod. Bibl. 1, 4, 3. 1056. λώβην de dilaniatione istarum mulierum explicat, et ita dici aliis exemplis docet. ἄρνυσθαι esse ostendit, vicissim aliquid pro eo, quod dedisti, accipere. 1059. Βάκχαις ᾅδου furiosis orci ministris; mitius enim, nec ad necem sæviunt Bacchi plenæ. 1064. στέλλω legi mavult, et ὀλέθριον κοίταν reddit, ferale lustrum parricidarum, Mördergrube. 1084. ὑψιπετὴς ex Pind. et Hom. illustrat. 1088. Ante φέρειν esse ὥστε supplendum docet. 1101. ἔχειν et ἀνέχειν χόλον aliis exemplis illustrat. 1132. Putat respici ad morem sedendi in culcitra decus-

satis genubus, etiamnum in Oriente usitatum. Alias κάμπτειν γόνυ s. κῶλα esse simpl. vel considere vel requiescere. 1135. Refutat utramque Musgr. emendationem, et monet posse κερκίδα ipsam telam dici, malle se tamen intelligi peculiare quoddam ὕφασμα, quod caput et capillos tegeret, superne desinens in cuneum, infra adjunctum habens peplum et per humeros fluens, quodque detrahi capiti Thracis debuerit, ut crinibus eum corripere possent; κερκίδα dici a forma conica et cuneata, ein Turban von Edonischem Stoff. Pro τούς τε πέπλους v. 1136. mavult τοὺς δε π. 1164. ὁ δ' ἀεὶ—reddit: quod semper, cui cum illis incidit negotium, experitur. 1167. ἐπίφθονος vocabulum μέσον esse docet, h. l. bono sensu dici. 1172. σαθρὰ proprie dici fictilia, quæ inter coquendum rimam egerunt, post Musgr. docet. 1179. Lectionem ὅς φῇς frigere, et πῶς φῇς retinendum esse monet. 1196. εἶναι ἐν φάει alibi esse, vita frui, h. l. in fortunæ luce versari, docet. 1209. αὔθ' ἕκαστ' per se ipsæ, sine alio quæsito adjumento. 1227. χρηστὰ πράγματα contra Valck. defendit, intelligens caussæ bonitatem et veritatem. Sic χρηστὸν interdum esse verum docet. 1232. δυναίμην supplet φεύγειν ψόγον. 1237. Οὐκοῦν δικ. — Sine interrogatione gravius hæc dici, neque Hecubæ tribuenda esse, censet. 1239. δαὶ contra Brunck. defendit. 1249. Comparat Herodot. 7. 111. Paus. Phoc. 33. — 1252. Si quid hic mutandum sit, χόλον pro βίον legi mavult; at nihil novandum, sed sensum esse: Ista vita sub figura canis utrum post mortem demum, an hic vivæ, exigenda mihi? aoristum θανοῦσα valere, postquam mortua fuero. 1253. Musgr. emendationem probat, sed punctum post κεκλήσεται deleri vult. 1254. Reiskii ingeniosam conjecturam ex Pomp. Mela 2, 2. firmat. 1262. Agamemnoni, non Hecubæ cum Musgr., versum tribuendum esse docet.

Sam. Frid. Nath. Mori progr. in Euripidis Phœnissas, Lips. 1771. 4. et in Ipsius Diss. theol. et philolog. junctim editis L. 1787. 8.

Jo. Car. Zeunii Progr. quo varietatem lectionis in Eur. Hecubam ex cod. Acad. Viteb. proponit, Viteb. 181. 4.

C. D. Beckii Specimen Observationum criticarum in Euripidis fabulam, quæ inscribitur Hippolytus, Lips. 1775. 4.

Specimen observationum in Euripidis fabulam, quæ inscribitur Alcestis, auctore Christiano Theophilo Kuinoelio. Lips. 1785. 4.

Commentarii in Cyclopem Euripidis Specimen, quod — publico eruditorum examini submittet M. Johannes Georgius Christianus Hoepfner—Lips. 1787. 4.

Cæterum de Euripide ejusque Tragœdiarum natura cf. Merian von dem Einflusse der Wissenschaften auf die Dichtkunst (qui liber continet commentationes varias ex Comm. Acad. Reg. Berolinensis Germanice conversas a Jac. Bernoullio) T. I. p. 157. ss. G. E. Lessing Hamburgische Dramaturgie, ed. Hamb. T. I. p. 308. ss. I. G. Sulzer Allgem. Theorie der schönen Künste (ex ed. tertia Blankenburgii V. C. L. 1786. s.) T. II. p. 116. ss.

# PRÆFATIO

## SAMUELIS MUSGRAVII.

ADMODUM pauca sunt, Benevole Lector, quæ te, priusquam ad suavissimi poëtæ lectionem dimittaris, hic admonitum velim. Neque enim ad Euripidis ipsius censuram agendam, quod longioris paullo operæ esset, satis mihi otii suppetit: priorum vero editionum notitia, quod hujusmodi præfationum præcipuum argumentum esse solet, ex syllabo notis præfixo peti potest; ubi, quam singulæ fidem mereantur, quantumque boni attulerint, breviter, sed, ut spero, perspicue, declaratum reperies. Taceri tamen non potest, quam me anxium quamque diu habuerit nimis benigna de hoc opere eruditorum opinio, non aliam forte ob causam concepta, nisi quod rei typographicæ in inclyta academia Oxoniensi curatores hæc qualiacunque in Euripidem collectanea sumtibus academiæ ea, qua vides, magnificentia imprimenda statuerunt. Quæ eorum liberalitas tantam, nec miror, studiosorum exspectationem peperit, cui vix suffecerit vir otio abundans, omnibusque literarum subsidiis instructus: nedum ego, cui hæc Euripidis emaculandi cura πάρεργον tantum fuit, quo inter medicinæ studia et praxin animum subinde oblectabam, idque maximam partem in angulo terrarum a Bibliothecis remoto. Quamobrem æqui rerum æstimatores non modo, quid novi ad Euripidem illustrandum attulerim, spectare debent, sed etiam quibus et otii et librorum opportunitatibus destitutus, id, qualecunque est, præstiterim. Hactenus de exspectationis onere, quo me præ cæteris premi sentio. Nunc et communem quandam hominum iniquitatem adversus veterum auctorum interpretes paucis deprecari fas est. Quippe magna pars lectorum, ii scilicet, qui se poëseos, non grammaticæ, studiosos profitentur, omnia sibi plana et perspicua reddi postulant, neque facile interpreti ignoscunt, si quid forte impeditum, aut tenebris involutum

reliquerit. Qui mitius forte censuram exercerent, si cogitarent non integros nobis veterum libros, sed laceros, attritos, deformatos, velut ex naufragio tabulas, interpretandos obtigisse: quibus si pristinum hic illic nitorem diligenti lectione reddere poterimus, in compendii loco ponendum est. Danda igitur novo cuique interpreti venia, si in quibusdam lectorem destituerit, modo in aliis vel mendosa corrigendo, vel obscura ex locis similibus illustrando, legendi molestiam minuerit. Quod a me non raro præstitum esse, vix dubito. Ac nescio sane, quam vere Gul. Canterus, vir doctissimus, olim gloriatus sit, nullum ex priscis auctoribus esse, cui tantum subsidii, quantum a se Euripidi, allatum sit. Illud equidem non cunctanter affirmaverim, nullum esse, in quo tantum mendorum, etiam post Canteri et Barnesii lucubrationes, relictum sit. Dicto fidem faciunt multæ egregiæ lectiones nunc primum ex MSS. et Editione Florentina prolatæ: multa præclare a Piersono, Valckenærio, Tyrwhitto excogitata: quibus addere licet menda fere innumera a meipso, non dico sublata, sed emendandi certe conatu indicata.

Restant adhuc pauca de interpretatione Latina deque fragmentorum sylloge monenda. Interpretatio sicubi a notis diversa abierit, memineris, oro, de plusculis me locis, quando versio eorum jam typis descripta erat, sententiam mutasse; adeoque ultimam crisin, si quis eam desideret, in notis semper quærendam esse. In fragmentorum sylloge multos versus nunc primum additos reperies; multos contra e Barnesio congestos omisi, quos sine Euripidis nomine citatos inveneram, incertus tamen, an Barnesius, quippe qui auctores perraro nominat, alio auctore ad Euripidem retulerit. Facile igitur credo, aliqua me, quæ retineri oportuit, omisisse. Sed neque illud spondere ausim, nullos versiculos, in tragœdiis superstitibus suo loco exstantes, in fragmentorum syllogen irrepsisse: quale παρόραμα, ut de Heathio nihil dicam, neque Bentleius in Callimacheis effugit, neque diligentia æque, ac ingenio, insignis Valckenærius, qui Troadum v. 459. Ionis 393, 4, 5. Herc. Fur. 1294, 5, 6. inter fragmenta recenset. Tu igitur, Lector, si quid hujusmodi a me admissum fuerit, communi peccato ignosce. Cæteris fruere et vale.

Dabam Londini die 18. Novembris. Anno 1777.

# CHRONOLOGIA SCENICA

AB

# EURIPIDIS NATI TEMPORE AD EJUSDEM MORTEM.

## OLYMPIAD. LXXV.

1. *Callias Archon.*

PUGNA Salaminia. Natus Euripides, secundum Plutarch. Symposiac. VIII. c. 1. Diog. Laërt. in Socrate, c. 45. Suidam, Hesychium illustrem, Moschopulum, et Tho. Magistrum. Contra si Marmori Arundeliano fides, quinto ante pugnam Salaminiam anno lucem vidit, archonte Philocrate. Egisse Æschylum annum XL. pugnæ hujus tempore duas ob causas verisimile fit.

Primo, secundum vitæ ejus auctorem Pindaro συνεχρόνισε: Pindarum vero Olympiadis LXV. anno primo natum statuunt Eruditi.

Secundo, si verum est, quod idem auctor tradit, eum sexaginta duos annos natum in Siciliam migrasse, et sic efficitur, eum tempore pugnæ Salaminiæ circiter XL. annos habuisse. Quippe archonte Philocle, i. e. Olympiad. LXXX. anno 2, Eumenidas docuit, unde constat, eum non antea certe Athenis profectum esse. Sed neque diu post Eumenidas actas Athenis habitavit; quod satis indicat vetus fama apud *Vit. Auct.* eum ideo peregre abiisse, quod Furiis in scenam producendis infantibus deliquium, gravidis abortum conciverit. Satis sic Epocha constituitur. Causam offensæ diversam fuisse suspicor, de quo disputandi locus erit ad Olymp. LXXX. 2.

De Sophocle minor dubitatio est. Agebat is, vel absolverat forte, annum quintum decimum, natus sc. secundum vitæ ejus auctorem, archonte Philippo Olymp. LXXI. anno 2. Nec longe abit Marmor Arundel., secundum quod Sophocles archonte Apsephione vicit, annos natus XXVIII. Potuit igitur carmen ἐπινίκιον vel nudus non indecore præcinere, quod eum post pugnam Salaminiam fecisse idem auctor testatur.

Quod de Sophocle scribit auctor vitæ, eum Æschylo septendecim annis juniorem, Euripide viginti quatuor seniorem fuisse, cum natalibus Sophoclis et Euripidis, bene per archontas et pugnæ Salaminiæ epocham constitutis, nullo modo conciliari potest. At si numerorum locum mutaveris, ut sit, *ἦν δὲ Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιτέσσαρα, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκαεπτὰ*, non multum sane a veritate hæc supputatio abibit. Quod si cum Fabricio et Marmore Arundel. Æschylum Olympiad. LXIII. anno ultimo natum statuas, error multo gravior erit, nec ulla facile emendatione sanabilis.

Achæus Tragicus sec. Suidam una Olympiade Euripide senior erat.

Nunc ad Olympiadum seriem revertimur. Ergo,

## OLYMPIAD. LXXV.

ANNO. 2. *Archon. erat Xanthippus, Periclis pater.*—3. *Timosthenes et mox Themistocles.*—4. *Adimantus.*

3. Gelon, Syracusarum rex, moritur. In ejus locum succedit Hiero.

## OLYMPIAD. LXXVI.

1. *Phædon.*—2. *Dromiclides.*—3. *Acestorides.*—4. *Menon.*

4. Docentur Æschyli Phineus. Persæ, Glaucus Potniensis. vid. Argumentum Persarum.

## OLYMPIAD. LXXVII.

1. *Chares.*—2. *Praxiergus.*—3. *Demotion.*—4. *Aphepsion vel sec. Bentl. ad Phalarin, p. 282. 3. Apsephion.*

2. Themistocles in exsilium actus. 3. Pugna ad Eurymedontem. 4. Sophocles hoc primum anno Tragœdiam docuit, Æschylumque vicit; Plutarch. in Cimone p. 884. Ed. Steph. Quod ibidem tradit Plutarchus, Æschylum brevi post in Siciliam profectum esse, cum Eumenidum epocha vix conciliari potest.

## OLYMPIAD. LXXVIII.

1. *Theagenides.*—2. *Lysistratus.*—3. *Lysanias.*—4. *Lysitheus*

2. Moritur Hiero, Syracusarum rex. De Æschylo apud eum degente tacet Ælianus Var. Hist. IV. 15. et IX. 1.

## OLYMPIAD. LXXIX.

1. *Archidemides.*—2. *Tlepolemus.*—3. *Conon.*—4. *Euippus.*

2. Euripides Tragœdias scribere cœpit. A. Gellius. XV. 20.

## OLYMPIAD. LXXX.

1. *Phrasiclides*—2. *Philocles.*

1. Epialtes Demagogus Areopagi dignitatem minuit. 2. Docentur hoc anno Agamemnon, Choëphoræ, Eumenides, sec. auctorem Argum. in Agamemn. Ante hunc igitur annum Athenas non reliquit Æschylus, quod et res ipsa ostendit, et vitæ auctor satis confirmat, quippe iter ejus in Siciliam odio imputans, quod Eumenidum actione utcunque sibi consciverat. Non enim verum esse concesserim, quod idem tradit, Æschylum ideo invidia conflagrasse, quod horrificis Eumenidum personis cives suos perterrefecerit. Nam qui reputat, Areopagi Senatum plebi tum odiosum fuisse, mecum potius suspicabitur, causam hujus invidiæ fuisse, quod Areopagi, nuper tum a statu dejecti, ea in fabula fautorem se professus sit, ejusque laudes dedita opera celebraverit v. 686. ad v. 711. Quod de Æschylo reo impietatis acto memoriæ prodidit Ælianus Var. Hist. V. 19. (quocum conferendus Apsines cap. περὶ ἀντιπιπτόντων) ad idem tempus eandemque odii causam retulerim. Præbet certe Eumenidum fabula, quæ ad crimen ἀσεβείας ei impingendum facile traheret adversariæ factionis malignitas. Vid. v. 70. ad 73. et 185. ad 197. Ægre ex hoc judicio evasisse Æschylum, nec tam absolutum, quam fratris meritis condonatum fuisse, idem Ælianus testatur: unde liquet, gravem ei causam fuisse soli circa hoc tempus mutandi. Nec sane levem fuisse oportet, quæ hominem sexagenario majorem e patria decedere et in Siciliam migrare impulerit.

## OLYMPIAD. LXXX.

3. *Bion.*—4. *Mnesithides.*

4. Pugna ad Tanagram, duce Myronide.

## OLYMPIAD. LXXXI.

1. *Callias.*—2. *Sosistratus.*—3. *Ariston.*—4. *Lysicrates.*

1. Hoc anno Æschylum fatis cessisse ex vita ejus colligo. Idemque diserte affirmat Marmor Arundel. cui tamen si fides, ad annum LXIX. vitam protraxit.

2. Pericles Peloponnesum vastat.

3. Pericles Sicyona vastat.

## OLYMPIAD. LXXXII.

*Chærephanes*—2. *Antidotus.*—3. *Euthydemus.*—4. *Pedieus.*

1. Hac Olympiade Ion Chius Tragœdias docere cœpit, sec. Suidam.

4. Persæ a mari pacis legibus semoti.

### OLYMPIAD. LXXXIII.

1. *Philiscus.*—2. *Timarchides.*—3. *Callimachus.*—4. *Lysimachus.*

1. Achæus hac Olympiade Tragœdias docere cœpit sec. Suidam.

2. Athenienses ad Coroneam a Bœotis cæsi.

3. Eubœa ab Atheniensibus deficiens a Pericle recipitur.

### OLYMPIAD. LXXXIV.

1. *Praxiteles*—2. *Lysanias.*—3. *Diphilus.*—4. *Timocles.*

3. Primum vicit Euripides. Marm. Oxon. Docetur circa hoc tempus Sophoclis Antigone. vid. Argumentum. 4. Sophocles cum Pericle præturam gessit, annum agens LV. Confer vitam Sophoclis cum Diod. Sic. XII. 27. Pausan. Achaic. p. 209. l. 11. Ed. Sylb. Meminit et Cic. de Offic. I. 40.

### OLYMPIAD. LXXXV.

1. *Myrichides.*—2. *Glaucides.*—3. *Theodorus.*—4. *Euthymenes.*

2. Semina Belli Peloponnesiaci jacta sec. Diodorum.

4. Docentur Aristoph. Acharnenses sec. Argumentum, in qua fabula citantur Œneus. Phœnix, Philoctetes, Bellerophon, Telephus, Thyestes, Ino. Docentur Cratini Χειμαζόμενοι. Eupolidis Νουμηνίαι Argum. Acharn.

### OLYMPIAD. LXXXVI.

1. *Nausimachus, al. Lysimachus.*—2. *Antilochides.*—3. *Chares.*—4. *Apseudes.*

1. Cratinus circa hoc tempus vincit. Prolegom. in Aristoph.

4. Meton Astronomus Cyclum suum publici juris facit.

### OLYMPIAD. LXXXVII.

1. *Pythodorus.*—2. *Euthydemus.*—3. *Apollodorus.*—4. *Ameinon.*

1. Docentur Medea, Philoctetes, Dictys, Theristæ, Drama Satyricum, sec. Auctorem Argum. in Medeam. At de Philocteta vide annotata ad Olymp. LXXXV. anno 4.

2. Initium Belli Peloponnes. et prima Atticæ invasio sec. Diodorum. Sub primam Atticæ invasionem obiisse Cratinum affirmant Prolegomena in Plutum, sed falso. Quippe Olymp. LXXXIX. Pytinam docens, primas retulit.

3. Comœdias docuere hoc anno Eupolis et Phrynichus. Argum. in Plutum.

4. Docetur Hippolytus Coronifer. Primus Euripides. Secundus Iophon. Tertius Ion. Pericles moritur.

## OLYMPIAD. LXXXVIII.

1. *Diotimus.*—2. *Euclees.*—3. *Euthydemus.*—4. *Stratocles.*

4. Sphacteria a Cleone expugnata. Docentur Aristophanis Equites. In ea fabula v. 1299. citatur Alcmæon. Docentur Cratini Satyri, Aristomenis Olophyri. Argum. Equit.

## OLYMPIAD. LXXXIX.

1. *Isarchus.*—2. *Aminias.*—3.—*Alcæus.*—4. *Aristion.*

1. Pugna ad Delium. Docentur Nubes prim. Editionis. vid. Argum. Cratinus, Pytinam docens, victoriam retulit. Argum. Nub. Docetur Amipsiæ Κοννός: Athenæus Lib. 5. Argum. Nub. Fato cessit Cratinus, sub adventum puto Lacedæmoniorum cum Brasida, de quo Diod. Sic. XII. 67. Vid. Aristoph. Pac. v. 699.

2. Docentur Vespæ. vid. Argum. In ea fabula citantur Sthenobœa v. 111. Theseus v. 312. Cressæ v. 760. Docentur Glauconis Πρέσβεις. Argum. Vesp. Cleon occisus, teste Scholiasta in Nub. v. 554. Inter mortem Cleonis et Nubes sec. Editionis docetur Eupolidis Maricas. Schol. Aristoph. ibid. Docentur Nubes sec. Ed. In ea fabula v. 1374. citatur Æolus.

3. Cleon hoc anno occisus sec. Diod. Sic. et Androtionem apud Schol. in Nub. v. 554. Docetur, puto, Pax. Certe non diu post mortem Cleonis. vid. v. 268. Docentur Eupolidis Κόλακες. Protagoras Athenis versatur. Athenæus Lib. 5. Docetur circa hoc tempus Erechtheus. Plut. in Nicia p. 966. Ed. Steph. Ion Chius moritur. Aristoph. Pac. 835.

4. Eupolis Autolycum docet. Athenæus Lib. V. 17. Docentur Pherecratis Ἄγριοι. Athenæus V. 18.

## OLYMPIAD. XC.

1. *Aristophylus, vel Astiphylus.*—2. *Archias.*—3. *Antiphon.*—4. *Euphemus.*

1. Argivi cum Atheniensibus societatem ineunt.

2. Barnesius hoc anno Supplices actas putat.

4. Docentur Troades sec. Schol. in Vesp. v. 1317, collat. cum ejusdem fab. argumento.

## OLYMPIAD. XCI.

1. *Aristomnestus, vel Arimnestus.*—2. *Chabrias.*—3. *Pisandrus.*—4. *Cleocritus, vel Cleandrus.*

Hac Olympiade docentur Alexander, Palamedes, Troes, sec. Ælianum Var. Hist. II. 8. Quos Troas vocat, puto esse Troadas, quæ sec. Scholiasten Aristophanis anno ultimo præcedentis Olympiadis editæ sunt. Quoad Palamedem Æliano adstipulatur Scholiastes ad Aves 842.

2. Profectio Atheniensium in Siciliam. Alcibiades in exsilium actus: cujus fugam civibus suis gratulari Sophoclem suspicor Œd. Tyr. 883. et seq. Docetur Andromeda. Confer Schol. in Ranas 53. cum ejusdem Argum. Docentur Aves. vid. Argum. Citatur in ea Pirithous v. 179. Licymnius v. 1248. Docentur Amipsiæ Κωμασταί. Phrynichi Μονότροπος. Argum. in Aves. Nondum tum editæ erant Phœnissæ. vid. Schol. in Aves v. 424.

3. Docentur Thesmophoriazusæ, proximo sc. post Euripidis Andromedam anno, vid. Thesmoph. v. 1069. In ea citantur Alcestis, et Melanippa; Helena vero sub nomine νέας Ἑλένης. Perdicca mortuo, Archelaus Macedoniæ regnum capessit. Wesseling. ad Diod. Sic. XIV. 37.

4. Clades Atheniensium in Sicilia.

## OLYMPIAD. XCII.

1. *Callias.*—2. *Theopompus.*—3. *Glaucippus.*—4. *Diocles.*

Docentur circa hæc tempora Hypsipyle, Phœnissæ, Antiope. Confer Schol. in Ranas 53. cum ejusd, Argumento. Et de Phœnissis Schol. in Aves 424.

Quadringentis Viris summa potestas Athenis delegata.

1. Nondum Athenas reliquerat Euripides. Plut. in Nicia p. 990. Ed. Steph.

2. Thucydides historiam suam claudit.

3. Mindarus cæsus. Docetur Sophoclis Philoctetes. vid. Argum.

4. Docetur Orestes. Vid. Schol. in Orestem v. 371. et 770. Vox ἐδίδαξε ad v. 371. indicare videtur, Euripidem Athenis præsentem fuisse, nondumque adeo in Macedoniam migrasse. Docetur circa hoc tempus Lysistrata. vid. v. 1165. collat. cum Diod. Sic. XIII. 64. et 65.

## OLYMPIAD. XCIII.

1. *Euctemon.*—2. *Antigenidas.*—3. *Callias.*—4. *Alexias.*

1. Alcibiades iterum imperio privatur.

2. Euripides moritur sec. Marmor Oxon.

3. Dionysius Syracusarum potitur. Pugna ad Arginusas. Sophocles moritur sec. Diod. Sic. XIII. 102. Euripides post Sophoclem moritur. vid. Aristoph. Ran. 802. et seq. Hoc certe anno Euripidem diem supremum obiisse tradit Apollodorus apud Diod. Sic. loc. citat. favetque Plutarchus Sympos. Lib. VIII. Docentur Ranæ Aristophanis, Phrynichi Musæ, Platonis Cleophon. Argum. Ranarum.

4. Docentur Iph. in Aulide, Alcmæon, Bacchæ, vid. Schol. in Ran. v. 67. nisi forte Alcmæonem pro Alcmena hic posuit, cum Alcmæon in Equitibus Aristophanis citetur, actis Olympiad. LXXXVIII. 4.

# PRÆFATIO PORSONI.

QUID in hac Euripideæ Hecubæ editione præstare conatus sim, paucis exponam. Nihil hic exquisiti aut reconditi expectandum; tironum usibus hæc opella potissimum destinata est.

Primum hoc operam dedi, ut textus, si non omnino emendatus, plerisque saltem ceteris editionibus purior exhiberetur. Deinde editoris officium esse judicavi, nihil, nisi monito lectore, novare; præsertim, si qua ex conjectura lectio admittenda videretur. Quocirca editionis Aldinæ lectionem semper memoravi, nisi forte paucis in locis, quæ ad communem errorum fontem pertinerent, cujusmodi est Dorismus iste *μάτηρ* pro *μήτηρ*, et terminationis *ι* sive *ιν* additio vel detractio.

Quod ad varias lectiones attinet, plerasque præterquam aperte vitiosas, enotavi; sed auctoritates, quibus singulæ nituntur, non semper curiose enumeravi; propterea quod modo non erat tanti, modo tam negligenter in hoc munere versati erant ceteri editores, ut testimonia MStorum neque accurate numerari neque ponderari possent. Quotiescunque Euripidis loca ab antiquo quopiam scriptore cum varietate lectionis laudari memineram, sedulo monui. Hujus rei insigne exemplum reperies versu 574.

In vocibus per crasin conjunctis, ut *κἄτι, κἀν, κἂν* (i. e. *καὶ ἐν, καὶ ἂν*) et similibus scribendis, rationem a vetustioribus MSS. servatam diligenter secutus sum. Iota scilicet nusquam addi oportet, nisi ubi *καὶ* cum diphthongo crasin efficit, ut in *κᾆτα* pro *καὶ εἶτα*. Hoc post alios monuit Dawesius. (A.)

'Αεὶ, Piersono jubente, Brunckio non nolente, semper sine diphthongo scripsi, idem facturus in ἀετὸς, κλάω, et κάω. (B.)

Brunckius secundas futuri passivi indicativi personas in ει semper, non in ῃ, terminavit; secundas etiam præsentis ego ad eandem formam reduxi. Analogia nempe postulat, ut vocalis corripiatur in indicativo, producatur in subjunctivo, τύπτομαι, τύπτει, τύπτεται, τύπτωμαι, τύπτῃ, τύπτηται. Neque causæ quicquam est, quare codicum auctoritas objiciatur. In his enim rebus nulla est codicum auctoritas. Satis constanter ει pro ῃ præbent Aristophanis editiones. Pauca tamen loca sunt, ubi altera terminatio in aliquo MS. non exstet. Contra apud Tragicos non raro diphthongum ει pro ῃ offerunt MSS. Quod si in hac re et similibus aliquoties aut meo aut typothetarum errore peccatum est, ignoscet æquus lector, secum reputans, quam facile et mentis et oculorum acies hujusmodi minutiis examinandis hebetetur. Hujus regulæ meipsum oblitum esse video v. 255, ubi κακύνει adeo reponendum in addendis monui, et nunc reposui. (C.)

In Hecuba, ut a me edita est, neque omissi verborum augmenti, neque admissi in paribus senariorum locis anapæsti exemplum occurrit. Locus unicus, qui priori licentiæ in hoc dramate favet, ab ipso Brunckio, acerrimo alias hujus licentiæ vindice, emendatus est. Et cum rarissima omnino sint talia exempla, quorum tria in Bacchis, corruptissima pene omnium fabula, reperiantur, plane persuasum habeo, non licuisse in Attico sermone augmentum abjicere. (D.)

Altera quæstio, quod ad Hecubam attinet, non minus faciles explicatus habet. In neutro enim duorum exemplorum, ubi anapæstum admisit aut retinuit Brunckius, omnes consentiunt MSS. In altero, v. 788. lectio ejus uno tantum codice nititur. In altero, 385. (τοὔνομα pro ὄνομα) satis auctoritatis pro ὄνομα stat, si auctoritas in re tantilla desideraretur. (E.)

Brunckius, qui anapæstos in secundo et quarto senarii loco subinde defendit, fatetur tamen Tragicos hanc licentiam, quantum poterant, vitasse. Quidni igitur semper vitarint? An volebant, et tamen nequibant? An casu et incuria eos has maculas fudisse arbitrabimur? Adde quod MSS. auctoritate, scriptorum citationibus, et criticis argumentis exemplorum, quæ in hanc partem laudari solebant, numerus jam valde imminutus est.

Aliam ipse rationem adjicio, quæ si vera est, omnes, opinor,

anapæstum paribus senarii locis semper excludendum esse ultro agnoscent. Hanc rationem, non plane quidem novam,* plerisque tamen ignotam, quam brevissime explicabo. Tantum scilicet abest, mea sententia, ut anapæstus pro secundo aut quarto pede ponatur, ut ne pro tertio quidem aut quinto substitui possit. Hoc de tertio pede si quis verum esse concedet, concedet a fortiori, ut Logici dicunt, de quinto etiam verum esse. Dactylus enim, qui in tertia sede creberrime usurpatur, in quinta nunquam apparet. Anapæstus igitur, si illa excluditur, hanc intrare non potest. Jam loca, quæ huic doctrinæ adversantur, tam pauca sunt, tam facile emendatu pleraque, ut si unus et alter forte supersint, quibus nos mederi nequeamus, non idcirco sana judicanda sint. Equidem omnia, quæ regulæ nostræ contraria observavi, aut sanare, aut adversariis eripere posse videor. Ea quæ Euripideæ fabulæ suppeditant, singula, ubi occasio postulabit, examinabo. Quotquot in Æschylo et Sophocle occurrunt, hic subjiciam.

Æschylus Prometh. 246. Καὶ μὴν φίλοις ἐλεεινὸς εἰσορᾷν ἐγώ.
Agam. 664. Ἤρεικον· αἱ δὲ κερωτυπούμεναι βίᾳ.
Choëph. 421. Ἔκοψε κομμὸν Ἄρειον, εἴτε Κισσίας·
654. Εἴπερ φιλόξενός ἐστιν Αἰγίσθου βία.
Eumen. 896. Πάσης ἀπήμον' ὀϊζύος· δέχου δὲ σύ.
Suppl. 800. Πρὸς ὃν νέφη δι' ὑδρηλὰ γίγνεται χιών.
apud Plutarch. de Consolat. p. 106. C. Ὥσπερ μέγιστον ἴαμα τῶν πολλῶν κακῶν.
Sophocles Ajac. 524. Οὐκ ἂν γένοιτό ποθ' οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ.
Œd. T. 248. Κακὸν κακῶς νιν ἄμοιρον ἐκτρίψαι βίον.
Philoct. 1288. Πῶς εἶπας; οὐκ ἄρα δεύτερον δολούμεθα;
apud Hesych. v. ἀντίπλαστον. Τὸν ἀντίπλαστον ἔχει νόμον κεκμηκότων.

Horum exemplorum aliqua, quæ videntur esse, non sunt veræ exceptiones. In Prometh. 246. ἐλεεινὸς verbum est Atticis ignotum, qui semper ἐλεινὸς usurpant, alterum ne extra quidem iam-

* Timide proposita est ab amico Morelli in Tractatu ejus de Græcorum Metris ante Thesaurum Græcæ Poëseos. (Dactylum in quinta Tragici senarii nunquam occurrere, ibidem observavit Morellus.)

bos et trochæos. Et tamen quam multo commodius anapæstico vel dactylico metro aptatur vox quadrisyllaba, quam trisyllaba? Trisyllaba est in dactylico metro Sophocl. Philoct. 1130. Ἦ που ἐλεινὸν ὁρᾷς, φρένας εἴ τινας, in anapæstico Aristoph. Ran. 1095. ῥάκι' ἀμπίσχων, ἵν' ἐλεινοί, in heroico, Homeridæ Hymn. in Cerer. 283. (264.) Τοῦ δὲ κασίγνηται φωνὴν ἐσάκουσαν ἐλεινήν.* Imperiti scribæ, quibus nulla fere metri species, præter Homericam, cognita erat, tantum non omnes Atticas formas in Ionicas mutarunt, ceterorum metrorum securi. Ne longe abeam. Frequens est versus iambici clausula, ὦ μέλε. Verum in hac clausula, ubi librariorum licentiam metrum compescere debebat, MSS. non raro dant, ὦ μέλεε, aut corruptius etiam, ὦ μέλαιε. Porro Atticæ linguæ analogia hanc scripturam flagitat. Ut enim a δέος formatur δεινὸς, ut a κλέος κλεινὸς, sic ab ἔλεος formatur ἐλεινὸς. Ut nunquam δεεινὸς, κλεεινὸς usurpant Attici, sic nunquam ἐλεεινὸς usurpant. † In Agamemnone simili errore peccatur. Orthographicæ rationes metro labanti succurrunt. In compositis a κέρας nunquam ω admittitur, sed aut κέρας servatur integrum, quod fit ante labiales β et φ; aut nunc ultima syllaba abjicitur a veteri genitivo κέρεος (κερεαλκὴς) nunc ultima litera a veteri nominativo κέρος. Dicunt igitur Attici κεροβάτης, κερόδετος, κερουλκὸς, κεροφόρος, et propterea κεροτυπεῖν. Rariora sunt, probæ tamen notæ, κεράσβολος (ex Platone satis notum) et κερασφόρος, quod exstat Euripid. Phœniss. 255. et in fragmento Sophoclis apud Ælian. N. A. VII. 39. Ἄρασα μυκτῆράς τε καὶ κερασφόρους Στόρθυγγας εἶρφ' ἕκηλος. Versum ex Euripidis Oreste 268. Δὸς τόξα μοι κερουλκὰ, citat Suidas v. κεροβάτης, ubi male priscam lectionem παρ' Εὐριπίδῃ Kusterus, licet ex MSS., in παροιμία mutavit. Similiter in compositis a κρέας se res habet. Nunquam enim κρεωδαισία, κρεωκοπεῖν, κρεωπώλης, κρεωστάθμη dicunt Attici, sed brevem semper vocalem adhibent. Et ne quis objiciat, editos libros hanc legem sæpe migrare, sciat lector nusquam hæc aut similia verba apud Pollucem occurere, quin in uno saltem MS. ο pro ω substituatur. Diversa forma est κρεανομία, pro qua apud Pollucem I. 34. et

* Ubi vide Ruhnkenium.

† Eadem est ratio adjectivorum πετεινὸς et πετεεινός. Hoc poëticum est, illud Atticum. In Demosthenis contra Stephanum prima prope finem ἐλεινότερον habet editio Feliciani.

Clementem Alex. Protr. p. 11, 17. male scriptum est *κρεωνομία*. Sed, ut redeat, unde digressa est oratio, Wassius ad Thucyd. II. 84. hunc Æschyli locum laudans, *κεροτυπούμεναι* scribit, judicio an errore, nescio.

Choëph. 421. Vel transpone, *῎Εκοψ᾽ ῎Αρειον κομμὸν*, vel lege, quod sententiam melius connectit, *Κομμὸν δ᾽ ἔκοψ᾽ ῎Αρειον*.

——— 654. Cum Aldus et Robortellus ediderint *φιλόξεν᾽ ἐστιν*, levi mutatione legendum, *φιλοξένη ᾽στιν*. Hujus erroris similem non raro admisere librarii, nescii scilicet longam vocalem elidi non posse. Dederunt igitur *γράμμ᾽ ἐστι*, *χρεί᾽ ἐστιν*, *῾Ερμ᾽ ἐμπολαῖε*, cum *γραμμή ᾽στι*, *χρεία ᾽στιν*, *῾Ερμᾶ ᾽μπολαῖε* debuerant. Fatendum est quidem Atticos hujusmodi nomina plerumque generum duorum communia facere. Non semper tamen hanc regulam servant veteres. Theognis in ipso initio; *῎Αρτεμι θηροφόνη*, quod imperite Brunckius mutavit; *πολυξέναν Αἴγιναν* dixit Pindarus Nem. III. 3. *πολύξειναι νεάνιδες* apud Athenæum XIII. p. 574. A.

Eumenid. 896. *Πάσης ἀπήμον᾽ οἰζύος· δέχου δὲ σύ*. Attici semper *οἰζὺς* dixerunt, non *ὀϊζὺς*, *οἰζυρὸς*, non *ὀϊζυρός*; quod monuit Piersonus ad Mœrin. Eodem modo dixerunt *οἶς*, *οἰστὸς*, *Οἰκλῆς*, *Οἰλεὺς*, quanquam in vulgatis libris has voces sine punctis diæreseos haud temere offendes. Aldina vero Æschyli editio *οἰζύος* recte habet. In Euripide usque ad hunc diem semper editum est *ὀϊστὸς*, contra versus metrum, contra grammaticorum auctoritatem. (Vide ad Med. 634.)

Suppl. 800. Recte Aldus et Robortellus, *νέφη δ᾽ ὑδρηλά*.

In fragmento legendum *μέγ᾽ ἐστ᾽ ἴαμα*, quomodo, quod mirere, correxit Grotius,* Excerpt. p. 55.†

* Correxit Grotius e Scaligeri emendatione.

† Non tamen dissimulabo suspicionem meam, vocabulum *ἴαμα* serioris ævi esse et veteribus Tragicis ignotum. Æschyli versus est apud Scholiasten Sophoclis ad Electr. 286. *Οἵ τε* (Brunck. *οἵ τοι*) *στεναγμοὶ τῶν πόνων ἐρείσματα*. Sed Homeri Scholiastes a Villoisono editus ad Il. Ψ. 12. *ἰάματα* pro *ἐρείσματα* substituit. Menandri locus apud Stobæum et Clericum p. 276. ita fertur *λύπης ἰατρὸς ἔστιν ἀνθρώποις λόγος· ψυχῆς γὰρ οὗτος μόνος ἔχει ἰάματα*. Ubi hiatus vitium prodit, neque admitti potest crasis, quam fingit Bentleius, *ταἰάματα*. Et hiatus quidem tolli potest ope Scholiastæ Villoisoniani ad Il. O. 393. qui legit *κουφίσματα*, quod etiam habet Codex Townleianus. Sed legendum est partim ex his Scholiastis partim ex altero, ad Æschyl. Prom. 378. *᾽Ιατρός ἐστιν ὁ λόγος ἀνθρώποις νόσων· ψυχῆς γὰρ αὗτος μόνος ἔχει θελκτήρια*. Si igitur *ἴαμα* vitiosum esse statues, legendum erit: *῞Οσπερ μεγίστου φάρμακον πολλῶν κακῶν*.

Nunc ad Sophoclem veniamus. In primo loco, nemo non videt quam inconcinne istud ποτε ponatur, quam in pronunciando prorsus obscuretur. Cum vero nihil mendi in singulis verbis hæreat, cogitandum est an commoda transpositione metro succurri queat. Et hoc quidem tot modis fieri potest, ut propter copiam difficilis sit electio. Legi nempe potest

vel Οὐκ ἄν ποθ' οὗτος εὐγενὴς γένοιτ' ἀνήρ.
vel Οὐκ ἂν γένοιτ' ἀνὴρ ποθ' οὗτος εὐγενής.
vel Οὐκ ἂν γένοιθ' οὗτός ποτ' εὐγενὴς ἀνήρ.

Et huic ordini quodammodo favet Suidæ v. μνῆστις editio Mediolanensis, quæ ποτε omittit. Sed omnes numeros implet Suidæ MS. in Collegii Corporis Christi Bibliotheca apud Oxonienses servatus, modo levis et solennis error corrigatur, legendo Οὔποτε pro οὔπω.

Οὔποτε γένοιτ' ἂν οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ (F)

Œd. Tyr. 248. Dignus qui exscribatur, integer locus;

Κατεύχομαι δὲ τὸν δεδρακότ', εἴτε τις
Εἷς ὢν λέληθεν, εἴτε πλειόνων μέτα,
Κακὸν κακῶς νιν ἄμοιρον ἐκτρίψαι βίον.

Cum pronomen sit non omnino necessarium, expungendum facile quis conjiciat, et conjecit Joannes Burtonus. Verum ne illos videar imitari, qui scrupulum injectum quocunque modo eximere cupiunt, fateor νιν hic tam eleganter addi, ut quamvis aliam medicinam adhibere malim, quam illud expungatur. Et defenditur simillimo loco Trachin. 287. ΑΥ'ΤΟ'Ν δ' ἐκεῖνον, εὖτ' ἂν ἁγνὰ θύματα Ῥέξῃ πατρῴῳ Ζηνὶ τῆς ἁλώσεως, Φρόνει ΝΙΝ ὡς ἥξοντα. Sed levi opera res peragenda, et unius literulæ jactura reponendum ἄμορον, quæ vox occurrit Euripid. Med. 1395. ἄμμορος habet Sophocles Philoct. 182. et tandem Euripides Hec. 421. In Philoctete aut mutato duarum vocularum ordine lege, ἆρ' οὐ, aut dele particulam negantem. Sed illud, opinor, verius. Quanquam in hisce interrogandi formulis negantem particulam pro arbitrio vel addunt vel omittunt Tragici. Œd. T. 822. ἆρ' ἔφυν κακός; Ἆρ' οὐχὶ πᾶς ἄναγνος;

In fragmento νόμον ἔχει quivis legendum viderit.

In choris et melicis systematibus, quæ librarii et editores pro

arbitrio distribuunt, duas sum potissimum regulas secutus. Primo curavi, ut quodque carmen ad nota et lyricis poëtis usitata, si facile fieri posset, versuum genera redigeretur; deinde, ut eadem aut similis versuum species quam sæpissime recurreret. Hujus divisionis exemplum vide in hac fabula 931, 932, 935. Ejus generis versus plures in primo Ajacis Sophoclei choro reperiuntur. Optandum quidem erat, ut Strophæ Antistrophe ubique accurate responderet. Sed cum librarii in facillimis metrorum generibus toties et tam turpiter peccarint, quid in paullo reconditioribus fecisse putabimus, præsertim ubi ad metri difficultatem styli obscuritas accedat? Cautius igitur in hac parte me gessi, et quædam intacta reliqui, in quibus tamen errorem latere posse suspicatus sim. Hoc semel observandum est, nihil tam frequenter in librarios cadere, quam verborum ordinem immutare. Hunc errorem illi quidem, ubi animadverterunt, aliquando literis numeralibus indicant. Sed has notas ii, qui postea codicem exscribunt, dum ad finem operis properant, sæpe negligunt. Tutissima proinde corrigendi ratio est, vocularum, si opus est, transpositio.

Licentiæ, quam in dialectis sibi permisere Tragici, fines accurate constituere perdifficile est; Ionismos tamen quosdam adhibuisse, sed parce et raro, extra controversiam est. Dixerunt utique ξένος et ξεῖνος, μόνος et μοῦνος, γόνατα et γούνατα, κόρος et κοῦρος, δορί et δουρί. Plures vero ex Homero invexit librariorum inscitia. Dialecti Doricæ, choris usitatissimæ, ratio paullo facilior est, nec tamen omnino certa. Nulli enim codices, ne optimi quidem, Doricas formas in melicis constanter retinent. Sed hanc regulam servandam putavi, ut eas, ubicunque vel unus modo non pessimæ notæ codex præberet, in textu reponerem. In plerisque enim MSS. ubi in contextus serie Dorica forma exstat, Attica vel communis suprascripta est. Hanc igitur scribas quoties alteri prætulisse credibile est?

Præter Aldi editionem, cujus lectiones plerasque memorandas putavi, utpote ex MSS. fere expressas, usus sum Barnesiana, Kingiana, Musgraviana, Brunckiana, Beckiana. Kingius multa loca ex MSS. correxit, sed judicio parum acri, et de emendationibus suis lectorem raro certiorem facit. In re metrica multum se jactat, et Scholiastarum auctoritate, quæ nulla est, versus choricos disponit. Interdum ex conjectura mera eaque fallaci,

textum interpolavit. Versum 416 post 414 posuit et 417 delevit. Hunc errorem Thomas Morellus, qui Kingii editionem repetivit, sustulit; sed ipse, ut fidem et judicium hominis agnoscas, codicum descriptionem, quam dederat Kingius, omisit; et v. 578 pro *τοιάδ' ἀμφὶ σῆς λέγον*, audacter, sed tacite, edidit *τοῖος ἀμφὶ σῆς λόγος*. Cum notam ad hunc locum scribebam, editionem tantum Morellianam præsto habebam. Immerito igitur Kingium culpavi, satis alioqui culpabilem. Lector benevolus errorem meum condonabit et corriget. Cum vero tot MSS. adhibuerit Kingius, editionem ejus, licet caute, consulere oportuit, ut eorum lectiones indagarem. In quo opere adjutus sum duobus codicibus conferendis, quibus ipse Kingius usus erat. Utriusque copiam Regiæ Societatis humanitate nactus sum. Horum alterum Kingius optimum Reg. Soc. codicem vocat. Verum is, quanquam non omnino inutilis, longe ab optimo distat, et valde recens est, utpote anno demum 1490 exaratus. Tres priores continet fabulas. Alter quoque totidem habet; sed initio et fine nunc mutilus est, et centum plus minus annis priori antiquior videtur. Criticam subinde exercere voluit scriba; varias enim lectiones nunc in margine, nunc inter versus aspersit, quas, quoties dignas judicavi quæ commemorarentur, cum lectore communicavi. Usus sum præterea MS. Harleiano 5725, et ipso recenti. Hunc in Notis H voco, Kingii *optimum* scilicet K, alterum R. Verum omnes fere Codices parum ab antiquitate commendabiles sunt, et quo frequentius describuntur, eo gravius interpolantur.

Interpretandi et illustrandi labore, utilissimo sane, supersedendum duxi, partim ne libellus in librum excresceret. Loca tantum quæ Latini imitati sunt, prout memoria suggessit, adscripsi. Raro sum interpretis munere functus, nisi ubi cum critici officio conjunctum esset. Sin autem in ulla re justo parcior visus fuero, in sequentibus fabulis, si quas posthac edidero, hoc vitium emendare annitar. Hoc enim monendus est lector, cæteras Euripidis fabulas ordine vulgato singulas mox prodituras, si modo hoc specimen reipublicæ literariæ non displicere intellexero. Si opus ad finem perduxero, addam observationes quasdam in varia Scenicorum Poëtarum metra.

P. S. Cum plures postea MSS. contulerim, eorum Index Argumentum sequetur.

# SUPPLEMENTUM

AD

# PRÆFATIONEM PORSONI.

SIC fere ante annos quinque præfatus sum, cum Hecubam Euripideam, velut editionis novæ specimen, ederem. Nuper vero, cum Viri doctissimi atque humanissimi, quibus Typographei nostri cura demandata est, dignam operam meam judicassent, quæ ex prælo inclytæ Academiæ nostræ exiret, hoc saltem facere enisus sum, ut hanc nimis fortasse benignam eorum opinionem non omnino fallerem. In notis igitur quædam addidi, aut mutavi; nihil autem prorsus delevi. Quæcunque momenti alicujus esse putavi, seorsum imprimenda curabo, ut ii, qui priorem editionem possident, quam minimo pretio secundæ bona, si qua tamen bona insunt, sibi comparare possint. Quod in fine præfationis pollicitus sum, sed tempore non præstituto, partim hodie repræsentare conabor, ut scilicet de Scenicorum Græciæ Poëtarum metris quædam disserenda suscipiam. Hos vero cancellos mihi ipse circumdabo, ut ne extra iambicorum, trochaicorum, atque anapæstorum limites egrediar. Quod tamen priusquam facio, pauca quædam, quæ brevius dixi, paullo explicatius, si potero, tradam.

(A) *A vetustioribus MSS.* dixi; quoniam circa finem, ut arbitror, seculi decimi tertii, iota subscribere cœpere librarii, quod antea vel adscriptum erat, vel omissum. Duæ nempe erant Grammaticorum sectæ; hæc iota dativis et infinitivis addebat, illa omittebat. Sed in hoc omnes vetusti MSS. consentiunt, etiam ii qui constanter *μούσῃι* at *δρᾷιν* retinent, ut *κἀν*, *κἄπειτα* et similia litera ista semper careant.

(B] Nescio cur miretur quis, quod vocalem in *ἀεὶ* communem

esse statuerim, cum idem fiat in ἰῶμαι, ἰατρὸς, λίαν et aliis. Gravem in re levi errorem admisit Valckenærius, cum ait, Diatrib. p. 65. loca omnia Euripidis, ubi priorem producit λίαν, facillimam medelam admittere. Imo ipse locus quem citas, Vir summe, nullam medelam admittit. Γύναι, τό, τε λίαν καὶ φυλάσσεσθαι φθόνον. Quam ex emendatione addidisti, particula τε, (vel γε) si in MSS. omnibus reperiretur, ejicienda esset; quippe quæ nunquam secunda pedis trisyllabi syllaba esse possit. Dixit quidem Menander apud Stobæum CXVI. p. 475. Ἡμῶν τόγε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ· dixit Philemon, ibid. CVIII. p. 455. Ἐν τῷ τό, τε κακὸν εὖ φέρειν καὶ τἀγαθόν· dixit Alexis apud Athenæum VI. p. 237. C. Νοεῖς τό, τε γένος καὶ τὸ πρᾶγμα; καὶ μάλα· (sic enim legendum). Sed ab hac licentia prorsus abstinuere veteres; semel tantum senarium ab ὥστε μετέχειν inchoavit Aristophanes Plut. 345. semel ab οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς 410. sed et hæc rarissima sunt. Quod vero dixi de particulis τε et γε, neutram posse secundam pedis syllabam fieri, id de senario accipe. Adde quod neutra in trochaico versu pedis trisyllabi prima esse potest. Sed ut ad ἀεὶ redeam, aptissimum ex MS. Etymologico apud Koën. ad. Gregor. p. 160. locum citavit Hermannus* Præf. p. 23. cujus ultima, ut insanabilia, prætereo; priora proculdubio sic legenda; Ἰστέον ὅτι ῑϛ φωναί εἰσι τοῦ ἀεί· ἔστι γὰρ αἰεὶ καὶ αἰὲν καὶ αἰὲς ποιητικῶς καὶ ἀεὶ συνεσταλμένον [καὶ ἀεὶ ἐκτεταμένον] καὶ ἀΐ (ut recte Koënius) παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι. Suidas. Ἀεί, τούτου ῑα φωναί.

(c) Esto, ut τύπτεαι in τύπτῃ ac τύπτει pari jure contrahere potuerint Attici, utram contractionem putas prælaturos? Certe eam quæ modos diversos distingueret.

(d) Debueram fortasse χρῆν excipere, quod non minus quam ἐχρῆν in Scena Attica occurrit, etiam apud Comicos, quomodo, ut uno exemplo contentus sim, Hermippum Athenæi VIII. p. 344. D. Τοὺς μὲν ἄρ' ἄλλους οἰκουρεῖν χρῆν, πέμπειν δὲ Νόθιππον ἔν' ὄντα. Sic recte Aldi editio, male recentes ἐχρῆν. Quod ait Brunckius, quædam esse verba quibus solenne sit augmentum abjicere, verba ea quæ augmentum nunquam habuere, abjicere non possunt. Attici semper dicunt ἄνωγα, nunquam ἤνωγα, sed augmentum plusquam perfecto tempori reservant, Œd. C. 1598. Similis

* Euripidis Hecuba. Gothofredi Hermanni ad eam et ad R. Porsoni Notas Animadversiones. 8vo. Lipsiæ 1800.

est ratio in *καθεζόμην, καθήμην, καθεῦδον*, quibus augmentum non præponunt Tragici, Comici pro arbitrio vel præponunt, vel abjiciunt. Erravit igitur Brunckius ad Æsch. Prom. 229. Soph. Œd. C. 1597. Duplex aliquando augmentum admisere ut, in *ἠνεσχόμην, ἀνεσχόμην*, quorum utrumque Tragicis familiare; sed *ἠνεχόμην*, quod Sophocli, Aristophani, et Platoni obtrudere conatur Piersonus ad Mœrin p. 176, Brunckio assentiente, mera est barbaries. Aldus et membranæ *ἠνσχόμην*, Scholia vetera Ἠ,ΣΧΌΜΗΝ. Codices quidam *ἰσχόμην*, satis recte, nisi rectius præberet Eustathius *ἐσχόμην* ad Il. E. p. 529, 18=400, 52. Nimirum, cum semel *ἰσχόμην* in *ἠσχόμην*, quod pro varia lectione præbet Eustathius, corruptum esset, inde provenere ista portenta, *ἠίσχόμην ἠνσχόμην*, et quid non? Aristophanis versus mendosus est. MSS. aut *ἠνεσχὅμεθα* aut *ἠνειχόμεθα* habent, quanquam silent Brunckius et Invernizius, qui e Kusteri interpolatione *ἠνεχόμεσθα* retinent. In Platonis Charmide p. 162. D. HSt. *ἠνέχετο* merum est editionis Francofurtanæ typographi erratum qui simplicem χ literam pro nexu σχ posuerit. Ceteræ enim omnes recte *ἠνέσχετο*.*

(E) Cum de hac quæstione tot aliæ pendeant, visum est rem paullo altius repetere, et præcipuas versuum iambicorum, trochaicorum, et anapæsticorum leges semel memorare.

Senarius iambicus, sive trimeter, ut notum est, sex iambis, si priori nomine uteris, constat, tribus metris, sive dipodiis, id est, diiambis, si posteriori. Et hic est perfectus senarius, vel trimeter.

Soph. Aj. 5. *Πάλαι κυνηγετοῦντα καὶ μετρούμενον.*
Eurip. Hec. 14. *Ὑπεξέπεμψεν' οὔτε γὰρ φέρειν ὅπλον.*

Sed cum res esset immensi operis, et certe ab isto versuum genere, quod sermonem quotidianum quodammodo exprimere debebat, alienissima, puros senarios scribere, duas licentias excogitabant Iambographi; priorem scilicet, ut spondeum in imparibus locis admitterent, alteram, ut pro iambo tribrachyn, utpote temporibus æqualem, substituerent: sed has licentias veteres isti Iamborum scriptores, Archilochum dico, Solonem, et Simonidem, parcius sibi indulgebant; multo frequentius Tragici;

* Sic *παρέχετο* pro *παρέσχετο* eadem ed. in Tim. p. 1084. C.

Comici denique, quibus propositum erat, non solum familiarem, sed etiam familiarissimum sermonem imitari, laxissimos aliquando numeros admittebant.

Tragici igitur, præter iambum et tribrachyn, quos cum paribus locis communem habebant, spondeum etiam in primo, tertio, et quinto usurpabant. Postea hunc spondeum in primo loco, prout res ferebat, vel in dactylum vel in anapæstum dissecabant, in tertio loco tantum in dactylum, in quinto neque in anapæstum, neque in dactylum. Ac de dactylo quidem res adeo expedita et facilis est, ut vix tria exempla reperiantur, quæ huic regulæ obstare vel videantur. Euripidi quidem tribuunt Viri docti tanquam Hippolyti verba, a Zenobio, Diogeniano, Suida, et Apostolio in proverbiorum numerum relata, sed nusquam pro Euripideis citata, *Ἄκαιρος εὖνοι' οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει.* Et poterant esse verba Phædræ ad nutricem; Scholiastes enim ad Hippolytum ait; *καὶ ἔστιν ὁμοία τῇ παροιμίᾳ,* Εὖνοι' *ἄκαιρος οὐδὲν διαλλάσσει ἔχθρας.* Sed cujuscunque est, certe neque Euripidis est, neque Tragici cujusquam. Alter locus Euripidis inter fragmenta a Barnesio et Musgravio collocatus, exstat apud Stobæum CXVI. p. 477: *Τηρεῖν μὲν ἑτέρους οἱ γέροντες δυνάμεθα, Ἡμεῖς δ' ἀπολαύειν ὧν ἔχουσιν, οἱ νέοι.* Quis vero nescit, quoties margo Stobæi in nominibus erret? Aut quis hæc esse Comici cujusdam verba dubitet? Versus solus, quem in fabulis integris superesse credo, occurrit Iph. A. 1632. *Χρὴ δέ σε, λαβοῦσαν τόνδε μόσχον νεαγενῆ.* Quanquam spurium esse hunc versum credo, non tamen de interpolatore ipso adeo male censeo, ut putem eum ita scripsisse. Legendum *εὐγενῆ* quivis viderit. Nemo autem a me postulabit, ut emendationes Virorum doctorum, quæ huic regulæ adversantur, refellam; satis enim superque se ipsæ refellunt. "Sed Comici hanc regulam sæpissime violant." Certe. Atque hæc ipsa res eam a Tragicis servari probabile reddit. Sed de Tragicorum et Comicorum versuum discrimine plura sum infra dicturus. Quod si dactylum, qui in prima et tertia sede non infrequens est, quinta semper exclusere Tragici, si etiam anapæstum in tertia sede vitarunt, consequens esse putabam, ut anapæstus e quinta semper exulare deberet. Potueram eadem opera loca omnia colligere et examinare; sed brevitati imprimis studebam; regulam igitur meam de tertio senarii pede stabilisse contentus, cetera lectoris industriæ et candori permiseram.

Unam tantummodo exceptionem notare neglexeram, quam nunc paucis attingam, de propriis scilicet nominibus. Sunt enim nomina quædam, qualia Ἀερόπη, Ἀντιγόνη, Ἰφιγένεια, Λαομέδων, quæ ex iambicis et trochaicis versibus omnino excludenda essent, nisi * anapæsti aliquando admitterentur. Hanc igitur veniam Tragicis libenter cum auditores, tum lectores, concedebant, ut in quavis senarii sede, præter ultimam, anapæstum, ut in quavis trochaici sede, præter mediam et ultimam, dactylum usurparent. Ac nullo sane discrimine et in impares et in pares senarii locos propria nomina inferunt, ut inde consequi putem, anapæstis in tertia et quarta sede, præterquam cum hac sola exceptione, temperasse. Si enim jure suo anapæstos ibi adhibere poterant, debebant ita distribuere, ut pares locos effugerent. Cetera nomina, in quibus occurrit anapæstus vel dactylus, cum non ineluctabili necessitate iis pedibus uti cogerentur, debebant quidem ita versibus intexere, ut anapæstus in diversos pedes dissecaretur.

Iph. A. 507. Αἰνῶ σε, Μενέ | λα' ὅτι παρὰ γνώμην ἐμήν.
Or. 490. Ἐπεὶ γὰρ ἐξέπνευσεν Ἀγα | μέμνων βίον.
Ph. 1371. Ὦ τλῆμον οἷον τέρμον' Ἰο | κάστη βίου.

Et hoc certe plerumque faciebant. Verum istam legem sibi servandam putabant, ut anapæstus in eadem voce totus contineretur. Mendosus igitur est

Iph. A. 1579. Ἔλεξε δ' ὦ θηροκτόν' Ἄρτεμι παῖ Διός.

E MSS. tribus Parisiensibus dedit Marklandus,

Ἔλεξε δ' ὦ Διὸς Ἄρτεμις θηροκτόνε.

Musgravius, quod mirum est, vulgatam tacitus retinet.

Si me rogas, utra harum vera sit lectio, respondeo, neutra. Nec quicquam mea refert; quippe qui persuasus sim, totam eam scenam abusque versu 1541 spuriam esse, et a recentiori quodam, nescio quando, certe post Æliani tempora suppositam.

* Cum propter brevitatem, de Trochaico loquens, anapæstum dico, lector semper de duabus dactyli syllabis cum sequentis pedis longa conjunctis intelligat.

Non tamen ideo omnia contra sermonis indolem et contra metri leges peccata scriptori ipsi, sed quædam saltem librariis imputanda censeo. In hoc loco proculdubio dederat ille, Ἔλεξε δ', ὦ θηροκτόν' Ἄρτεμις Διός· et mox Δέξαι τὸ θῦμα τοῦθ' ὅ σοι δωρούμεθα, sed, qui sequitur, versus,

Στρατός τ' Ἀχαιῶν Ἀγαμέμνων ἄναξ θ' ὁμοῦ,

vereor ne sit in ipsius PseudEuripidis cerebello natus. Marklando legendum videbatur, Στρατός τ' Ἀχαιῶν κοινὸς, Ἀγαμέμνων τ' ἄναξ. Ubi vero Tragici exercitum Græcorum hoc epitheto ornant? In hac ipsa scena, 1591. ait Marklandus. Στρατεία quidem κοινὴ erat, στρατὸς non κοινός. Brunckius tamen ad Orest. 201. ait: "Tertia in Ἀγαμέμνων produci (lege "corripi") quidem potest in Canticis. Sed aliud exemplum afferendum erat, quam versus ex Iph. A. a Musgravio excitatus. Cum Marklando enim sentio, qui interpolatum illum affirmat, et admodum probabiliter emendat." Verum si totus locus sæculi recentioris est, medicina fit mortuo. De quo latius agam, si quando fabulam istam edendam curabo. Alia loca partim e variis lectionibus, partim e conjectura emendanda sunt. Iph. A. 817. male mutavit Marklandus, licet Φαρσάλιον præbeant MSS. In 814. γ' delendum, neque de elisione in Ἑλλάδι, quanquam paullo rarior est, timendum. Alcest. 1140. Καὶ μὴν προτείνω, Γοργόν' ὡς καρατόμῳ. Verum pejus corrupti sunt versus Ion. 296. 297. quos in gratiam lectoris citabo, simul ejus judicio et acumini commendans. Τιμᾷ σφε Πύθιος, ἀστραπαί τε Πύθιαι Τιμᾷ, τιμᾷ, ὡς μήποτ' ὤφελόν σ' εἰσιδεῖν.

Sed cum hoc impetrassent Tragici, ut scilicet Ἰφιγένεια et similia verba impune, ubi opus esset, usurparent, paullo longius progressi sunt, et interdum, licet raro, anapæstos in propriis nominibus reliquere, ubi non omnino erant necessarii. Orest. 453.

Ἀπωλόμην Μενέλαε Τυνδάρεως ὅδε

Herc. F. 219. Ὃς εἷς Μινύαισι πᾶσι διὰ μάχης μολών. Sophocl. Philoct. 794.

Ἀγάμεμνον ὦ Μενέλαε πῶς ἂν ἀντ' ἐμοῦ.

In Aj. 1008. de lectione dubitari potest. Tria alia exempla ex Helena Euripidis 88. et Electra 314. 315. attulit Hermannus

Præf. p. 63. quorum duo priora correctionem neque admittunt, neque requirunt. Euripides etiam in Νεοπτόλεμος, Ἱππόλυτος, Ταυροπόλος, tres ultimas syllabas anapæstum fecit, quod tamen in genitivis et dativis meliori jure fecisse videtur, quam in nominativis et accusativis. Simili licentia vocem anapæsticam in trochaico versu ita collocabant, ut duæ breves syllabæ dactyli partem efficerent.

Or. 1549. Ξύγγονόν τ' ἐμὴν Πυλάδην τε τὸν τάδε ξυνδρῶντά μοι.
Iph. A. 324. Οὔ, πρὶν ἂν δείξω Δαναοῖσι πᾶσι τἀγγεγραμμένα.
355. Χιλίων ἄρχων Πριάμου τε πεδίον ἐμπλήσας δορός.

Quanquam secundus versus aliter legi potest, vel ex MS. δείξω γε Δαναοῖς, vel e conjectura Δαναΐδαις. Comici igitur, minus mirandum est, si dactylum aliquando in Trochaicis admittebant, cum proprium nomen occurreret, licet, si paullo plus laboris insumere vellent, hanc licentiam evitare potuissent. Hermippus Athenæi XI. p. 486. A. (male notata 488.)

Ἢν ἐγὼ πάθω τι τήνδε τὴν λεπάστην ἐκπιών,
Τῷ Διονύσῳ πάντα τἀμαυτοῦ δίδωμι χρήματα.

Comicus incertus, sed Aristophani æqualis apud Plutarch. Polit. Præc. p. 811. F.

Μητίοχος μὲν (γὰρ) στρατηγεῖ, Μητίοχος δὲ τὰς ὁδούς,
Μητίοχος δ' ἄρτους ἐποπτᾷ, Μητίοχος δὲ τἄλφιτα,
Μητιόχῳ δὲ πάντα κεῖται, Μητίοχος δ' οἰμώξεται. *

Ideo autem de hac Comicorum licentia mentionem injeci, quod, cum plures alias Trochaicorum leges, quas servant Tragici, ipsi violent, a dactylo, nisi in propriis nominibus, caute abstineant. De hac re quædam infra addam, cum de Comici et Tragici trochaici discrimine agam.

Nunc de cæsuris videamus. Senarius, ut notum est, duas præcipuas cæsuras habet, penthemimerim, et hephthemimerim, id est, alteram quam voco *A*, quæ tertium pedem; alteram, quæ quartum dividat. Prioris cæsuræ quatuor sunt genera; primum

* Archilochus Herodiani in Villoisoni Anecdot. Græc. T. II. p. 93. Νῦν Λεώφιλος μὲν ἄρχει, Λεώφιλος δ' ἐπικρατεῖ· Λεωφίλῳ δὲ πάντα κεῖται, Λεώφιλε δ' ἄκουε. (Λεωφίλου δ' ἀκούεται.)

est, quod in brevi syllaba fit; secundum, quod in brevi post elisionem; tertium in longa, quartum in longa post elisionem.

Hec. 5. (*A a*) Κίνδυνος ἔσχε | δορὶ πεσεῖν Ἑλληνικῷ.
11. (*A b*) Πατὴρ ἵν' εἴποτ' | Ἰλίου τείχη πέσοι.
2. (*A c*) Λιπὼν ἵν' Ἅιδης | χωρὶς ᾤκισται θεῶν.
42. (*A d*) Καὶ τεύξεται τοῦδ' | οὐδ' ἀδώρητος φίλων.

Alterius cæsuræ, quam voco ***B***, plura sunt genera.

Primum, cum in fine disyllabi vel hyperdisyllabi occurrit sine elisione: secundum, post elisionem; tertium, cum brevis syllaba est enclitica vox; quartum, cum non est enclitica, sed talis quæ sententiam inchoare nequeat; quintum, cum vox ista ad præcedentia quidem refertur, potest vero inchoare sententiam; sextum, cum syllaba brevis post elisionem fit. Duo alia cæsuræ hujus genera ceteris minus jucunda sunt, ubi sensus post tertium pedem suspenditur, et post distinctionem sequitur vox monosyllaba, vel sine elisione, vel per elisionem facta.

Hec. 1. (*B a*) Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα | καὶ σκότου πύλας.
248. (*B b*) Πολλῶν λόγων εὑρήμαθ' | ὥστε μὴ θανεῖν.
266. (*B c*) Κείνη γὰρ ὤλεσέν νιν | εἰς Τροίαν τ' ἄγει.
319. (*B d*) Τύμβον δὲ βουλοίμην ἂν | ἀξιούμενον.
Soph. El. 530. (*B e*) Ἐπεὶ πατὴρ οὗτος σὸς | ὃν θρηνεῖς ἀεί.
Phil. 1304. (*B f*) Ἀλλ' οὔτ' ἐμοὶ καλὸν τόδ' | ἔστιν οὔτε σοί.
Æsch. Theb. 1055. (*B g*) Ἀλλ' ὃν πόλις στυγεῖ, σὺ | τιμήσεις τάφῳ;
Soph. El. 1038. (*B h*) Ὅταν γὰρ εὖ φρονῇς, τόθ' | ἡγήσει σύ νῷν.

Est et alia senarii divisio, quam si non cæsuram, *quasi-cæsuram* liceat nominare. Ea est, cum tertius pes elisionem patitur, sive in eadem voce, sive additis γ', δ', μ', σ', τ'.

Hec. 387. Κεντεῖτε μὴ φείδεσθ' ἐγὼ 'τεκον Πάριν.
355. Γυναιξὶ παρθένοις τ' ἀπόβλεπτος μέτα.

Hæc quasi-cæsura apud Tragicos haud est infrequens. Longe rarior est ea licentia, qua integri pedes, tertius et quartus, vel integras voces, vel vocum partes faciant.

Soph. Aj. 1091. Μενέλαε μὴ γνώμας ὑποστήσας σοφάς.
Æsch. Pers. 509. Θρῄκην περάσαντες μόγις πολλῷ πόνῳ.

Quorum exemplorum in secundo pronunciandi difficultas laborem ab exercitu Persico exhaustum optime exprimit. Sed ut hoc aliquando sibi permittunt, illud nunquam sibi permittunt, ut pedes tertius et quartus eadem voce comprehendantur. Hoc si fieri posset, omnis rhythmus, omnes numeri funditus everterentur. Imo Comici, inquies, hoc non raro faciunt. Comici sane interdum faciunt, ii tamen paullo rarius; (sexies et decies, nisi fallor, Aristophanes in Pluto;) at hoc ipsum argumento est, Tragicos non facere. In iis, quæ dixi ad Hec. 728. non quidem erravi, sed paullo tamen minus sum accurate locutus. Quod ibi tantum innui, hic aliquanto fusius exsequar. Si Tragici et *δύρομαι* et *ὀδύρομαι* pari jure adhibere possent, eam certe formam, unde numerosior versus evaderet, prælaturi essent. Eadem præterea ratio locum habet in verbis *ὀμόργνυμι* et *μόργνυμι*. Aristoph. Acharn. 706.

*Ὥστ' ἐγὼ μὲν ἠλέησα κἀπομορξάμην ἰδών.*

Aut augmentum omissum, aut spondeus in quintum locum admissus. Sic tamen habent omnes, opinor, editiones, et Suidas v. *Ὥστ' ἐγὼ μέν*. Kusterus, qui vulgatam in textu suo scripturam reliquit, in tractatu tamen de Verbis mediis recte scribit *ἀπεμορξάμην*. Et sane ita legendum est ex ipso Suida eadem in voce, ubi ordo verborum veram lectionem conservavit. Atque eadem lectio jam exstabat in tribus Scholiorum editionibus, Aldina, Juntina, Frobeniana; mutavit Portus, mutantem secutus est Kusterus.

Sed ad quæstionem propositam redeo. Grammaticorum quorundam erat *σπουδή*, sive *παιδιὰν* vocas, versus scribere tales, ut singulæ dipodiæ integris vocibus vel continerentur, vel saltem terminarentur. Athenæus X. p. 454. F. Τὸ δὲ Καστορίωνος τοῦ Σολέως, ὡς ὁ Κλέαρχος φησὶν, εἰς τὸν Πᾶνα ποίημα τοιοῦτόν ἐστι. τῶν ποδῶν ἕκαστος (potius legendum *στίχων*) ὅλοις ὀνόμασι περιειλημμένος πάντας ὁμοίως ἡγεμονικοὺς καὶ ἀκολουθητικοὺς ἔχει τοὺς πόδας, (*τὰ μέτρα* vel *τὰς διποδίας* accuratius dixisset) οἷον,

Σὲ τὸν βόλοις | νιφοκτύποις | δυσχείμερον
Ναίονθ' ἕδος | θηρονόμε Πὰν | χθόν' Ἀρκάδων
Κλήσω γραφῇ | τῇδ' ἐν σοφῇ | πάγκλειτ' ἔπη

Συνθεὶς ἄναξ | δύσγνωστα μὴ | σοφοῖς κλύειν
Μουσοπόλε θὴρ | κηρόχυτον ὃς | μείλιγμ' ἱεῖς.

Sic lege et interpretare, *Qui melodiam e fistula ceris compacta excitas*. Verum si versus istos recte metieris, Tragicorum regulæ unum modo adversantem reperies. Secundus enim, quartus et quintus pertinent ad cæsuram *B a*, tertius ad *A d*. Sed primi similem Tragico scribere nunquam, ut opinor, permissum erat.

Non eram nescius, cum hanc regulam posui, paucas quasdam exceptiones in hodiernis Tragicorum editionibus occurrere. Verum eæ tam raræ sunt, et tam sanatu faciles, ut putarem, neminem semel monitum, qui quidem aurem haberet, non sponte emendaturum. Versus Sophoclis Œd. Col. 372. Εἰσῆλθε τοῖν τρὶς ἀθλίοιν ἔρις κακὴ, non est vera exceptio. Adverbium enim ab adjectivo disjungendum est, ut in Homerico, Od. E. 306. Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις. Aristoph. Plut. 851. Οἴμοι κακοδαίμων ὡς ἀπόλωλα δείλαιος· Καὶ τρὶς κακοδαίμων, καὶ τετράκις, καὶ πεντάκις, Καὶ δωδεκάκις, καὶ μυριάκις· ἰοὺ, ἰού. Aliud exemplum præbet Euripides, qui dicitur, Iph. A. 1595. Φάσμ', οὔγε μηδ' | ὁρωμένου | πίστις παρῆν. Poteram quidem hoc versu corrigendo supersedere, sed ne quis cavilletur, me hanc commodam sane e dumetis erependi viam instituere, ut ea pro spuriis, quæ doctrinæ meæ repugnant, deleam, fatebor nihil me dubitare, quin ipse scriptor dederit, Φάσμ', οὔγε πίστις μηδ' ὁρωμένου παρῆν.

Sed, si placet, cetera exempla, quæ huic regulæ obstent, prope inspiciamus. Ea sunt, quæ sequuntur.

Æsch. Pers. 501. Στρατὸς περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον.
Agam. 1261. Ἦ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν.
Suppl. 252. Καὶ τἄλλα πόλλ' ἐπεικάσαι δίκαιον ἦν.
Soph. Aj. 969. Πῶς δῆτα τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα;

Postremi loci vitium obiter sustuli ad Hec. 1206. legendo, τοῦδε γ' ἐγγελῷεν. Œd. C. 1339. Κοινῇ καθ' ἡμῶν ἐγγελῶν ἁβρύνεται. Priora tria transpositione sananda.

Κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον στρατὸς περᾷ.

In secundo dele noxiam particulam ἂν, et lege,

Ἦ κάρτα χρησμῶν ἄρ' ἐμῶν παρεσκόπεις.

In tertio τἄλλα mendosum est, cum ἄλλα esse deberet. Quanquam hoc quidem aliter sanari poterat. Sed ut ἐπεικάσαι sedem suam obtineat, legendum,

Καὶ πολλά γ' ἦν δίκαιον ἄλλ' ἐπεικάσαι.

Exstabat olim in Eurip. Suppl. 168. hic versus,

Πολιὸς ἀνὴρ εὐδαιμονῶν ἴσως πάρος.

Nisi MSS. Parisienses ad hunc locum collati essent, quis veram lectionem eruere posset? Id tamen, quicunque aurem habeat, videre possit, non esse tam immodulatum senarium ab Euripide profectum. Sed aliud est errorem indicare, aliud corrigere. Dedit Marklandus e MSS. Πολιὸς ἀνὴρ τύραννος εὐδαίμων πάρος. Quod si non verum, vero certe proximum puto. Latere enim in Aldinæ lectionis ruderibus tenue veritatis vestigium existimo; scilicet a poëta scriptum, Πολιὸς ἀνὴρ τύραννος ἰσοδαίμων πάρος, deinde levi errore mutatum ἰσοδαίμων in εὐδαίμων. Quod monere volens librarius, aut inter versus aut in margine notavit ἰσο legendum pro εὐ. Illud, ut fit, alii neglexere, altera lectione contenti; alii leviter depravatum in textum intulere, ut talis fere versus tandem exstiterit:

Πολιὸς ἀνὴρ τύραννος εὐδαιμονῶν ἴσως πάρος.

Corrector, tam enormi versu offensus, τύραννος recidendo ad metra eum redigere conatus est. Aptissimum autem tyranno vel tyrannidi epitheton ἰσοδαίμων. Æschyl. Pers. 636. Ἦ ῥ' ἀΐει μου μακαρίτας ἰσοδαίμων βασιλεύς; Plato Rep. VIII. non longe a fine de Euripide ait, Καὶ ὡς ἰσόθεόν γε τὴν τυραννίδα ἐγκωμιάζει. Habuit in animo Troad. 1177. Γάμων τε καὶ τῆς ἰσοθέου τυραννίδος. Notus est Ariphronis Sicyonii Pæan apud Athen. XV. p. 702. A. Τᾶς τ' εὐδαίμονος ἀνθρώποις βασιληΐδος ἀρχᾶς. Sic editiones Casauboni, qui tamen ex Epitome legit ἰσοδαίμονος, quod habent etiam Plutarchus de Virt. Mor. p. 450. B. de Frat. Amor. p. 479. A. Sextus Empiricus adv. Mathem. XI. 49. In editione Aldina Athenæi est ἰβδαίμονος, quod Typothetæ videtur erratum, qui ϭ (id est σο) cum ϐ confuderit. Diverso sensu dixit ἰσοδαίμονα Pindarus Nem. IV. 137.

Hactenus hæc. Nunc ad aliud cæsuræ genus accedimus,

quam potius *pausam* ideo nominare libet, quoniam versus qui cæsurarum supra memoratarum nullam habeat, necessario minus modulatus est; versus vero qui *pausa* careat, non est continuo immodulatus. De versibus iis loquor, ubi quintus pes in duas voces distribuitur. Tirones vero ea, quæ de hac re dicturus sum, pro supplemento accipient notæ meæ ad Hec. 343. *Κρύπτοντα χεῖρα καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν*. Sic primus recte edidit Kingius pro *τοὔμπαλιν*. Nempe hanc regulam plerumque in senariis observant Tragici, ut, si voce, quæ Creticum pedem efficeret, terminaretur versus, eamque vocem hypermonosyllabon præcederet, quintus pes iambus vel tribrachys esse deberet. Non potuerunt igitur talem versum Tragici scribere, qualis est *Κρύπτοντα χεῖρα καὶ πρόσωπον τοὔμπαλιν*, aut *Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανὸν*, aut *Τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ μετώπων σωφρόνων*, certe noluere, si modo vel diversa orthographia vel alia verborum positura vitare possent *In scenam missos cum magno pondere versus*.

Res eadem est, si Creticus in trochæum et syllabam dissolvitur; vel si Cretico in syllabam longam et iambum dissoluto, syllaba longa est aut articulus aut præpositio, aut quævis denique vox, quæ ad sequentia potius quam præcedentia pertineat.

Or. 1079. Κῆδος δὲ τοὐμὸν καὶ σὸν οὐκέτ' | ἐστὶ | δή.
1081. Χαῖρ'· οὐ γὰρ ἡμῖν ἔστι τοῦτο· | σοί γε | μήν.
Hec. 382. Καλῶς μὲν εἶπας, θύγατερ, ἀλλὰ | τῷ καλῷ.
379. Δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος | ἐν βροτοῖς.

Et sic habe de *τίς*, *πῶς*, interrogantibus; *ὡς*, *οὐ*, *καὶ*, et similibus, ut partim monui ad Phœniss. 1464.

Verum si secunda quinti pedis pars ejus sit generis, ut præcedenti verbo adhæreat, et ambo quasi unam vocem simul efficiant, non jam amplius necesse erit, ut verbum præcedens brevi syllaba terminetur. Ac primo pauca citemus exempla, ubi syllaba iambum præcedens sit vox enclitica.

Hec. 505. Σπεύδωμεν, ἐγκονῶμεν· ἡγοῦ μοι | γέρον.
Soph. Œd. C. 982. Ἔτικτε γάρ μ' ἔτικτεν, ᾤμοι μοι | κακῶν.
Phil. 788. Προσέρχεται τόδ' ἐγγύς· οἴμοι μοι | τάλας.

Apud Hesych. V. *ἀραῖος*.

Ὁ πρόσθεν ἐλθὼν ἦν ἀραῖός μοι νέκυς.
Æsch. Cho. 903. Κρίνω σὲ νικᾷν καὶ παραινεῖς μοί | καλῶς.
Iph. A. 1222. Πείθειν ἐπᾴδουσ' ὥσθ' ὁμαρτεῖν μοι | πέτρας.
Iph. T. 940. Ἠλαυνόμεσθα φυγάδες· ἔνθεν μοι πόδα.
Hel. 479. Πῶς φής; τίν' εἶπας μῦθον; αὖθίς μοι | φράσον.

Apud Laërt. IV. 29.

Ὦ παρθέν', εἰ σώσαιμί σ', εἴσει μοι χάριν;
Ion. 645. Ἃ δ' ἐνθάδ' εἶχον ἀγάθ', ἄκουσόν μου | πάτερ.
Agam. 1061. Ἔσω φρενῶν λέγουσα πείθω νιν | λόγῳ.
Prom. 649. Τί παρθενεύει δαρὸν, ἐξόν σοι γάμου.
Eurip. El. 1126. Καὶ μὴν ἐκεῖνος οὐκέτ' ἔσται σοι | βαρύς.

Ægeo apud Stob. Serm. XXXIV. ed. 1609.

Εἰ μὴ καθέξεις γλῶσσαν, ἔσται σοι κακα (sic. l.)
Rhes. 717. Βίον δ' ἐπαιτῶν εἷρπ' ἀγύρτης τις | λάτρις.
Soph. Phil. 801. Ἔμπρησον, ὦ γενναῖε· κἀγώ τοι | ποτέ.

Ex hac classe excipienda sunt duo loca.
Heracl. 641. Ὦ φίλταθ', ἥκεις ἆρα σωτὴρ νῷν βλάβης;
Soph. Œd. C. 1543. Σφῷν αὖ πέφασμαι καινὸς, ὥσπερ σφὼ πατρί.

Cum νὼ et σφὼ significent ἡμεῖς δύο et ὑμεῖς δύο, nimis emphatica sunt, quam ut enclitica fiant. Legendum ἆρα νῷν σωτὴρ βλάβης; et ὡς πρὶν σφὼ πατρί. Melius junguntur σωτὴρ βλάβης, ut σωτῆρα κακῶν Med. 361. σώζουσιν θανεῖν Phœniss. 609. Idem ὥσπερ Euripidei versus apud Polluc. VII. 178. numeros corrupit. Κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλυχνος, ὥσπερ θὴρ μόνος. Recte MS. ὥστε.

Secundo exempla quædam demus vocum non encliticarum, sed quæ sententiam aut versum inchoare nequeant.

Æsch. Prom. 107. Οἷόν τε μοι τάσδ' ἐστί· θνητοῖς γὰρ | γέρα.
Soph. Trach. 932. Ἰδὼν δ' ὁ παῖς ᾤμωξεν· ἔγνω γὰρ | τάλας.
Eurip. Iph. A. 1155. Ἄκουε δὴ νῦν· ἀνακαλύψω γὰρ λόγους.
Heracl. 304. Τῆς δυσγενείας μᾶλλον· ἡμεῖς γὰρ | κακῶν.
Hel. 1572. Τοὺς σοὺς λόγους σώζοντες· ἄρχειν γὰρ | νεώς.
Soph. Trach. 718. Πῶς οὐκ ὀλεῖ καὶ τόνδε; δόξῃ γοῦν | ἐμῇ.

El. 357. Σὺ δ' ἡμῖν ἡ μισοῦσα, μισεῖς μὲν | λόγῳ.
Œd. T. 142. Ἀλλ' ὡς τάχιστα παῖδες, ὑμεῖς μὲν | βάθρων.

Sed nulla particula sæpius, quam ἂν, in ista sede posita reperitur.

Sophocl. Electr. 413. Εἴ μοι λέγοις τὴν ὄψιν, εἴποιμ' ἂν | τότε.
Eurip. Phœn. 1635. Ἀλλ' ἔτι νεάζων αὐτὸς εὕροιμ' ἂν | βίον;
1642. Ἐγὼ δὲ ναίειν σ' οὐκ ἐάσαιμ' ἂν | χθόνα.
Androm. 937. Βλέπουσ' ἂν αὐγὰς τἄμ' ἐκαρποῦτ' ἂν | λέχη.
1187. Οὗτος γ' ἂν ὡς ἐκ τῶνδ' ἐτιμᾶτ' ἂν | γέρον.
Bacch. 1272. Κλύοις ἂν οὖν τι κἀποκρίναι' ἂν | σαφῶς;
Heracl. 457. Μάλιστα δ' Εὐρυσθεύς με βούλοιτ' ἂν | λαβών.

Acute igitur et probabiliter in Hippol. 296. Γυναῖκες αἵδε συγκαθίσταιντ' ἂν νόσον, (συγκαθίστανται enim MSS.) conjecerat Musgravius, quamvis postea vulgatum συγκαθίστασθαι defenderit. Certa autem Marklandi emendatio Iph. A. 524.

Ὃν μὴ σὺ φράζεις, πῶς ὑπολάβοιμ' ἂν | λόγον;

In omnibus his exemplis illud observandum est, ἂν semper verbo suo statim subjungi, idque cum elisione. Unde levi mendo laborat versus Erecthei, Φρονεῖς γὰρ ἤδη κἀποσώσαις ἂν πατρός. Quanquam σώζειν apud Tragicos aliquando *meminisse* significat, longe aptior hoc sensu est media forma. Lege igitur, κἀποσώσαι' ἂν πατρός. Similis confusio in Med. 734. μεθεῖσαν et μεθεῖ' ἄν. Verum nisi mutatio sit perexigua, hæc et similia loca sollicitari nolim. Sane si MS. bonæ notæ in Æschyli versu daret παραινέσαι καλῶς, aut in Euripidis ἄκουέ μου, πάτερ, non illibenter acciperem. Est versus Alcest. 1106. Χρόνος μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβᾷ σοι κακὸν, qui ex iis, quæ modo dixi, non incommode defendi potest. Verum quis reponere dubitabit e Galeno IV. de Dogm. Hippocr. et Plat. T. I. p. 283, 55. ed. Basil. T. V. p. 152. Charter. quem indicavit Valckenærius Diatrib. p. 28. B. C. Χρόνος μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβάσκει, κακόν. Sed talia, ut dixi, ex mera conjectura non tentanda.

Alia sunt, quæ huic regulæ non vere officiant, tantum ex per-

versa orthographiæ ratione officere videantur. In hanc classem referenda puto exempla, ubi οὐδεὶς, inter quartum pedem et quintum dividatur.

Soph. Œd. C. 1022. Εἰ δ' ἐγκρατεῖς φεύγουσιν, οὐδὲν δεῖ πονεῖν.
Eurip. Phœn. 759. (775.) Ἀμφότερον· ἀπολειφθὲν γὰρ οὐδὲν θάτερον.
Alc. 682. Ἢν δ' ἐγγὺς ἔλθῃ θάνατος, οὐδεὶς βούλεται.
Herc. F. 1341. Θεοὶ δ' ὅταν τιμῶσιν, οὐδὲν δεῖ φίλων.
Menalipp. Stob. LXIX. p. 287. Τῆς μὲν κακῆς κάκιον οὐδὲν γίγνεται.

Sed in his vocibus Atticam scribendi rationem esse divisim, οὐδ' εἷς, οὐδ' ἓν, colligo ex hoc, quod sæpe particulam ἂν interponunt inter οὐδ' et εἷς. Attici etiam circa posteriora Aristophanis tempora οὐδὲ εἷς et μηδὲ εἷς plene scripta usurpare, cœperunt, Epicharmi exemplum fortasse secuti. In Pluto certe Aristophanis trisyllaba forma quater occurrit, 37. 138. 1116. 1183. semel tantum præterea in Ranis 958. et ibi dedisse videtur, Σαφὲς δ' ἂν εἶπεν οὐδ' ἂν ἕν. Semel usurpavit Eupolis apud Stobæum IV. p. 52, 53. Non igitur Tragicos canones violat (quos sæpe in Satyris violant) Cyclop. 120. Νομάδες· ἀκούει δ' οὐδ' ἓν οὐδ' εἷς οὐδ' ἑνός. neque 672. Οὖτίς μ' ἀπώλεσ'. οὐκ ἄρ' οὐδ' εἷς ἠδίκει.

In hanc classem etiam referenda sunt ista Sophoclis loca, in quibus ἥμιν vel ὕμιν (quæ Grammatici alii ἡμὶν et ὑμὶν scribunt) Creticum antecedit.

Electr. 1328. Ἦ νοῦς ἔνεστιν οὔτις ὕμιν ἐγγενής;
Œd. C. 25. Πᾶς γάρ τις ηὔδα τοῦτό γ' ἥμιν ἐμπόρων.

Et similiter El. 1332. Œd. T. 1482. Œd. C. 34. 81. 1038. 1167. 1408. Philoct. 531. Hac scribendi ratione sæpissime, (fortasse semper; vide Aj. 689. El. 255. 454.) usus est Sophocles; Comici et ceteri Tragici rarissime; ἥμιν αὖ χάριν Æschyl. Prometh. 820. ita scribi potest; sed tutius, opinor, exemplis modo citatis p. xxxv. vulgata lectio defendetur. Hinc vexatissimum Sophoclis locum Philoctet. 1333. expediet lector eruditus, Ἀσκληπιάδαιν δὲ τοῖν παρ' ἥμιν ἐντυχών.

Alia sunt exempla tam emendatu facilia, ut in iis nemo, nisi indoctissimus, hæsitet. Talia sunt Sophocl. Philoct. 731. Λόγου

σιωπᾶς, κἀποπλήκτως ὧδ' ἔχει; Ibi Brunckius recte edidit κἀπόπληκτος, quanquam sine auctoritate, quanquam non monito lectore. Si enim retinetur ἀποπλήκτως, rescribi oportet ἔχεις. Eurip. Iph. A. 1465. Δεινοὺς ἀγῶνας διὰ σὲ κεῖνον δεῖ (δεῖ κεῖνον) δραμεῖν. Iph. T. 1013. ἀλλ' ἀνὴρ μὲν ἐν δόμων θανὼν ποθεινός· τὰ δὲ γυναικῶν ἀσθενῆ. Sic e MSS. edidit Marklandus, probante Musgravio. Ex Aldo quantocyus restitue γυναικὸς, quod etiam oppositionem fortiorem facit. Sed levia hujusmodi quivis pro se ipse statim corriget.

Ex iis jam, quæ restant, locis, quædam proferamus. Æschyl. Pers. 321. Νωμῶν ὅ, τ' ἐσθλὸς 'Αριόμαρδος Σάρδεσι Πένθος παρασχών. Ariomardus supra 38. Thebarum præfectus erat. Cur igitur Sardibus luctuosa esset ejus mors? Hoc, ut opinor, sentiens Scholiastes addit, πατρὶς γὰρ αἱ Σάρδεις αὐτῷ. Sed potius existimo versum unum vel plures excidisse, ubi Sardium præfectus, fortasse Mitragathes vel Arceus, nominaretur.

> Νωμῶν, ὅ, τ' ἐσθλὸς 'Αριόμαρδος ΑΡΔΕΩΝ
> ΒΟΛΑΙΣΙΠΙΣΤΟΣΜΙΤΡΑΓΑΘΗΣΤΕ ΣάρδεσιΝ
> Πένθος παρασχών.

Expleat hiatum, si potest, sagax lector;* sed id simul curet, ut verbum 'Αριόμαρδος vocalis sequatur.

Æsch. Suppl. 206. Τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ μετώπων σωφρόνων
"Ιτω πρόσωπον ὄμματος παρ' ἡσύχου.

Bella sane locutio, ἰέναι πρόσωπον ἐκ μετώπων vel παρ' ὄμματος. Notavit Schutzius, προσώπων habere Robortellum. Sed pro sua diligentia non notavit Aldum dedisse ἐκ μετόπω σωφρονῶν ἴτω προσώπων· quæ vera est lectio, modo cognatarum vocalium sedem mutes. Τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ μετωποσωφρόνων "Ιτω προσώπων ὄμματος παρ' ἡσύχου. Dicitur autem πρόσωπα μετωποσώφρονα, ut ευπήχεις χεῖρες, a Nostro Hipp. 201. καλλίχειρες ὠλέναι, a Chæremone apud Athen. XIII. p. 608. B. et plura similia. In τὸ μὴ μάταιον intelligitur βλέπος aut aliquid ejusmodi nomen. Aristoph. Nub. 1178. 'Επὶ τοῦ προσώπου τ' ἐστὶν 'Αττικὸν βλέπος. Cum modestia et

* Ita expleverat ipse Porsonus literis majusculis minio pictis, quas nos impressas dedimus. E.

immodestia maxime in fronte et oculis appareant, utrumque et frontem et oculos simul memoravit.*

Quæ apud Sophoclem reperiri possunt exceptiones, harum præcipuas enotabo, sed, ne longum volumen scribam, enotatas tantum, lectorum acumini relinquam.

Aj. 1101. Ἔξεστ' ἀνάσσειν ὧν ὅδ' ἡγεῖτ' οἴκοθεν;
Œd. C. 664. Θαρσεῖν μὲν οὖν ἔγωγε κἄνευ τῆς ἐμῆς.
Philoct. 22. Ἅ μοι προσελθὼν σῖγα, σήμαιν', εἴτ' ἔχει.

Pauca jam Euripidis loca corrigere conabor, omissis tamen Iph. A. 1598. 1621. 1622. quæ, qui velit, emendanda vel defendenda suscipiat.

Hec. 729. (717.) Ἡμεῖς μὲν οὖν ἐῶμεν, οὐδὲ ψαύομεν.
Androm. 347. Φεύγει τὸ ταύτης σῶφρον· ἀλλὰ ψεύσεται.
Iph. A. 531. Κἄμ' ὡς ὑπέστην θῦμα, κᾆτα ψεύδομαι.

Et hos tres versus, cum eodem morbi genere, si tamen morbus est, laborent, juniorum sagacitati committam.

Iph. A. 668. Εἰς ταυτὸν, ὦ θύγατερ, σύθ' ἥκεις τῷ πατρί.

Mendosum esse σύτε nemo non videt, sed eo in σύγε mutato nihil admodum lucramur. Legendum, Ὦ θύγατερ, ἥκεις καὶ σύγ' εἰς ταυτὸν πατρί. Καὶ ante pronomen σὺ ita addit Agamemnon statim postea: Ἔτ' ἔστι καὶ σοὶ πλοῦς, ἵνα μνήσει πατρός, ubi similiter articulus abest. Locus e Rheso 733. sumtus facillimam medicinam admittit, substituendo Θρῃκὶ pro Θρῃκῶν.

Ὦ ξυμφορὰ βαρεῖα Θρῃκὶ συμμάχῳ.
Eurip. Suppl. 160. Τί πλεῖον; ἦλθον Ἀμφιάρεω πρὸς βίαν.

Ἀμφιάρεω quadrisyllabum est. Lege ex MSS. duobus apud

* In hunc censum non dignatus sum referre versum alium Æschyli Choëph. 508. Καὶ μὴν ἀμόμφητον δέ τινα τὸν λόγον, ubi τίμα Canterus, τιμᾷ Heathius. Schutzius vero hunc ita emendat, Καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδε τιμήσας λόγον, et 507. quo sanior non est in toto Æschylo, spurium censet. Verum enimvero manifesto spurius est 508. qui a Robortello post 509 ponitur; recte ab Aldo omnino omittitur. Iterum mirare Schutzii diligentiam, qui Aldi et Robortelli lectiones non memorarit. Ceterum non transponendus est cum Heathio 509 post 506, sed τῆς τ' cum eodem fortasse legendum pro τῆς, quod habent Ald. Rob.

Marklandum et Musgravium, Ἀμφιάρεώ γε πρὸς βίαν. Illud γε idem fere valet, quod *etiam*, ut in Hec. 606. Οἶδεν τό γ' αἰσχρὸν, et 842. Φίλους τιθέντες τούς γε πολεμιωτάτους. Aristoph. Nub. 400. Ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ γε νεὼν βάλλει.

Iph. II. 584. Κἀμοὶ τόδ' εὖ μάλιστά γ' οὕτω γίγνεται.

Videamus præcedentia et sequentia.

Ἀκούσατ'· εἰς γὰρ δή τιν' ἥκομεν λόγον,
Ὑμῖν τ' ὄνησιν, ὦ ξένοι, σπεύδουσ' ἅμα,
Κἀμοί· τὸ δ' εὖ μάλιστά γ' οὕτω γίγνεται,
Εἰ πᾶσι ταυτὸ πρᾶγμ' ἀρεσκόντως ἔχει.

Sic distinguendum in tertio versu vidit Marklandus; σπεύδουσα præclara est Musgravii emendatio pro σπουδαῖς vel σπουδῆς. Soph. El. 251. τὸ σὸν σπεύδουσ' ἅμα, Καὶ τοὐμὸν αὐτῆς ἦλθον. Cyclop. 471. (476.) omittere debebat, sed optime advocat Iph. T. 349. οἵσιν ΗΓΡΙΩΜΕΘΑ, ΔΟΚΟΥΣ' Ὀρέστην μηκέθ' ἥλιον βλέπειν, et Herc. F. 860. Ἥλιον ΜΑΡΤΥΡΟΜΕΣΘΑ ΔΡΩΣ' ἃ δρᾶν οὐ βούλομαι. Adde Ion. 1269. Πρόσπολοι, ΔΙΩΚΟΜΕΣΘΑ θανασίμους ἐπὶ σφαγὰς, Πυθίῳ ψήφῳ ΚΡΑΤΗΘΕΙΣ'· ἔκδοτος δὲ γίγνομαι. At quomodo spondeum οὕτω in trochæum convertes? Facillime, si legemus ὧδε pro οὕτω. Sæpissime confunduntur ὅδε et οὗτος, τοσόσδε vel τοιόσδε, et τοσοῦτος vel τοιοῦτος; rarius quidem, sed non valde raro, ὧδε et οὕτω. Sic variant codices Herodoti II. 116. VI. 77. Utrobique ὧδε servat *Arch.* In Orest. 1628. (1645.) οὕτως contra metrum *Cant.* Aristoph. Lysistr. 369. οὕτω e MS. Voss. edidit Kusterus; sed ὡδὶ cum edd. prioribus ex Aug. Rav. dedere Brunckius et Invernizius. Tragicus senarius citatur a Scholiaste Codicis Townleiani ad Iliad. Δ. 249. Αὐτός τι νῦν δράχ' οὕτως δαίμονας κάλει. Quæ ita corrigenda sunt, Αὐτός τι νῦν δρᾶ χὧδε δαίμονας κάλει. Quanquam Suidas v. Αὐτός τι, et Σὺν Ἀθήνῃ, hunc versum paullo aliter scriptum legit, Αὐτός τι νῦν δρῶν, εἶτα δαίμονας (τοὺς θεοὺς) κάλει. Videntur olim exstitisse duo versus in Euripidis Temeno ad hunc fere modum,

Αὐτός τι νῦν δρῶν, εἶτα δαίμονας κάλει·
Τῷ γὰρ πονοῦντι χὠ θεὸς ξυλλαμβάνει.

Satis ostendi, ut opinor, quod promisi, paucissimos Tragicorum

esse versus similes Ionis initio. Sed non ausim dicere nullos esse. Illud autem attente considerandum, quam facile librarii, qui sibi notissimas regulas violarint, eas violaturi essent, quas prorsus ignorarent. Laudat obiter M. A. Muretus Var. Lect. XV. 1. versum, quem Sophoclis esse quivis conjiciat. Οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' Ἀχιλλεὺς αὐτὸς εἶ. Verba sunt Græci exercitus ad Neoptolemum, Trojam modo advectum, ut liquet e Philoct. 356. κἄμ' εὐθὺς ἐν κύκλῳ στρατὸς Ἐκβάντα πᾶς ἠσπάζετ', ὀμνύντες βλέπειν Τὸν οὐκέτ' ὄντα ζῶντ' Ἀχιλλέα πάλιν. Si vero versus iste eodem modo, quo apud Muretum legitur, apud Plutarchum T. I. p. 203. D. T. II. p. 51. C. legeretur, quis de mendo suspicari auderet? Temerarius certe videretur, qui ἐκεῖνος pro Ἀχιλλεὺς reponeret. Versum Euripidis (Fragm. incert. 143.) apud Plutarch. T. II. p. 1028. F. et ingenio suo fabricavit Musgravius. Fragm. 176. Σμικραῖς ἐπιτρέπουσιν αὐτοὺς | ἐλπίσιν, neminem morabitur. [ἑαυτοὺς ἐπιτρέπουσιν] Sed locus est e Pirithoo citatus a Gregorio Corinth. in Hermog. apud Reisk. Græc. Orat. T. VIII. p. 948. Ἐμῇ γὰρ ἦλθε μητρὶ κεδνῇ | πρὸς λέχος, qui expendi meretur.

Nunc Iambicorum genus Comicis fere proprium leviter attingamus, quod vulgo vocatur Tetrametrum catalecticum. Duabus rebus a Comico senario hoc differt; primo, quod quartus pes semper iambus aut tribrachys [1] sit oportet; secundo, quod sextus pes anapæstum etiam admittit.[2] Sed pes catalecticam syllabam præcedens non iambus esse nequit; nisi in proprio nomine, ubi conceditur anapæstus.[3] Quod de quarto etiam pede [4] intelligi velim. Ran. 942. 943. 948. Eq. 905. Thesm. 554. 555. 557. Archippus Athenæi VI. p. 227. A. VII. p. 311. E.

Πρώτιστα μὲν γὰρ ἕνα γέ τινα [1] καθεῖσεν ἐγκαλύψας
Ἀχιλλέα τιν' ἢ Νιόβην,[4] τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς.
Οὐχ ἧττον ἢ νῦν οἱ λαλοῦντες. ἠλίθιος [2] γὰρ ἦσθα.
Ἰδοὺ δέχου κέρκον λαγῷ, τὠφθαλμιδίω [2] περιψῆν.
Ἐγένετο, Μελανίππας ποιῶν, Φαίδρας τε, Πηνελόπην δέ.[3]
Οὐπώποτ' ἐποίησ', ὅτι γυνὴ σώφρων ἔδοξεν εἶναι.
Τῶν νῦν γυναικῶν Πηνελόπην,[4] Φαίδρας δ' ἁπαξαπάσας.
Ἑρμαῖος, ὃς βίᾳ δέρων ῥίνας γαλεούς [2] τε πωλεῖ.

Verum, quantumvis hanc veniam postulent tetrametri iambici,

cavete, Adolescentes, credatis, omnes licentias admittere, qualis e. g.

Τῇ παιδὶ τοὺς αὐλοὺς ἐχρῆν ἤδη προχείρους εἶναι.

At enim dicetis, quid opus erat hoc monere? Quenquamne esse auribus adeo destitutum, ut hæc verba pro versu venditet? Recte. Neque ego hercule credo quenquam hodie esse, qui talia portenta pro versibus obtrudat. Si quis tamen talis existet, is eadem opera poterit legere, (Athen. XV. p. 665. D.) Ποῦ δὴ μέθυ ἤδη γέγονε καὶ πίνοντες ἤδη πόῤῥω. Eadem opera tetrametro iambico accipiet, Στεφάνους τε πολλοὺς κρεμαμένους μελιλωτίνους, [ἐπιθυμεῖς.] Athen. XV. p. 678. C. ubi jamdudum vocem ἐπιθυμεῖς emendavit et Athenæo restituit summus Casaubonus. Sed ne diutius iambis immoremur, quædam loca citemus, ut legi debent; quædam, a Viris doctis male habita, aut in aliud versuum genus deformata. Unum modo jure postulaturum me puto, ut ne ταῖσι δίκαις vel ἀνθρώποισι φανεὶς (Nub. 1040. Eq. 836. Brunck.) mihi obmoveantur.

Nub. 1059. Πολλοῖς· ὁ γοῦν Πηλεὺς ἔλαβε διʼ αὐτὸ τὴν μάχαιραν.
1362. Οὐ γὰρ τότʼ εὐθὺς χρῆν σε τύπτεσθαί τε καὶ πατεῖσθαι.

Sic recte Bentleius.

Ran. 961. Ἃ ξυμβαλεῖν οὐ ῥᾴδιʼ ἦν. νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγʼ οὖν.
Eq. 419. Ὦ δεξιώτατον κρέας· σοφῶς γε προὐνοήσω.
Thesm. 567. Οὐδʼ ὡς ἑτέρα τὸν ἄνδρα τῷ πελέκει κατεσπόδησεν.

apud Athen. VII. p. 302. D.

Οὐχ ἔγχελυν Βοιωτίαν, οὐ γλαῦκον, οὐχὶ θύννου
Ὑπογάστριον.

IX. p. 400. A. Λύσας ἴσως ἂν τὸν λαγὼν ξυναρπάσειεν ἡμῶν.

XII. p. 527. C. Ἀλλʼ οὐ γὰρ ἐμάθετʼ αὔτʼ ἐμοῦ πέμποντος· ἀλλὰ μᾶλλον
Πίνειν, ἔπειτʼ ᾄδειν κακῶς Συρακοσίαν τράπεζαν,
Συβαρίτιδάς τʼ εὐωχίας καὶ Χῖον ἐκ Λακαινᾶν
Κυλίκων. Corrupta sunt sequentia.

XIV. p. 628. E. Ὥστʼ, εἴ τις ὀρχοῖτʼ εὖ, θέαμʼ ἦν· νῦν δὲ δρῶσιν οὐθὲν
Ἀλλʼ ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται.

apud Polluc. IX. 46.

Πόλος τόδ' ἐστίν· εἶτα πόστην ἥλιος τέτραπται;
69. Ἐξ ἄστεος νῦν εἰς ἀγρὸν χωρῶμεν· ὡς πάλαι δεῖ
Ἡμᾶς ἐκεῖ τῷ χαλκίῳ λελουμένους σχολάζειν.

apud Suid. v. Ἀφαιρεῖν κροκύδας.

Εἴ τις [σε] κολακεύει παρὼν καὶ τὰς κροκύδας ἀφαιρῶν.
v. Ὦ νῦν θερμοὶ βωμοί.
[Καὶ] τὴν κρατίστην δαίμον', ἧς νῦν θερμὸς ἔσθ' ὁ βωμός.
v. Τῶν τριῶν κακῶν ἕν.
Ἐγὼ γὰρ ἀπὸ Θηραμένους δέδοικα τὰ τρία ταυτί.

Cratinus apud Plutarch. T. I. p. 160. A. T. II. p. 351. A. Πάλαι γὰρ αὐτὸ Λόγοισι προάγει Περικλέης, ἔργοισι δ' οὐδὲ κινεῖ. Cratinus junior ap. Etymol. M. et Suid. v. Βῆ. Eustath. ad Ιλ. I. p. 768, 14—674, 47. Ὁ δ' ἠλίθιος, ὡς προβάτιον, βῆ βῆ λέγων βαδίζει. Theopompus apud Polluc. IX. 64. Εἰ νῦν γ' ἀνὴρ διώβολον φέρει τρέφειν γυναῖκα. Priscian. XVIII. p. 1183. 9. Θεόπομπος Στρατιώτισιν· Ἡ Θρασυμάχου δ' ὑμῶν γυνὴ καλῶς ἐπιστατήσει.

Quinque adhuc versus supersunt qui in quarto pede anapæstum habeant. Nub. 1429. Ran. 963. 968.

Σκέψαι δὲ τοὺς ἀλεκτρυόνας καὶ τἄλλα τὰ βοτὰ ταυτί.
Τὸν ξουθὸν ἱππαλεκτρυόνα ζητῶν τίς ἐστιν ὄρνις.
Οὐχ ἱππαλεκτρυόνας, μὰ Δί', οὐδὲ τραγελάφους, ἅπερ σύ.

Ὥραις apud Athen. IX. p. 372. C. hic unus est e quindecim tetrametris iambicis.

Ὑρισσοὺς δ' ἴδοις ἂν νιφομένους σύκων ὁμοῦ τε μύρτων.

Plato ibid. XV. p. 665. D.

Καὶ δὴ κέκραται· τὸν λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς εἶπε.

Sed hæc et quædam alia loca intacta dimittere, optime lector, mecum constitui, ut tu scilicet habeas, in quo ingenium tuum et industriam exerceas.

Vereor, ne in rationibus iambicorum versuum exponendis longi fuerimus. Verum quo longiores ibi fuimus, eo minus Trochaicis immorabimur. Notum est, e Trochaico tetrametro

catalectico senarium fieri, si ab initio detrahis Creticum, vel Pæonem primum sive quartum. Eurip. Or. 719.

Θᾶσσον ἤ μ' | Ἐχρῆν προβαίνων, ἱκόμην δι' ἄστεος.

Sed in hoc trochaico senario (liceat ita loqui) duo observanda sunt; nusquam anapæstum, ne in primo quidem loco, admitti; deinde necessario semper requiri cæsuram penthemimerim. Una tantummodo ab hac regula exceptio apud Tragicos exstat. Nam versus Iph. A. 1395. 1401. aperte mendosi sunt; Æschyli locum Pers. 164. sanum esse sibi persuasisse Dawesium p. 20. vehementer miror. Lege,

Ταῦτά μοι μέριμν' ἄφραστος ἐστιν ἐν φρεσὶν διπλῆ.

Non solum enim in Trochaici Tragici cæsura non dissecari potest verbum compositum, quale ἄφραστος, sed ne articulus quidem, nec præpositio quartum pedem terminare. Leviter corruptus Iph. A. 1391. et leviter corrigendum τάσδ' pro τᾶς. Sed regulam, quam supra de pausa tradidi, religiosissime servant, ita ut nullam exceptionem me observasse meminerim præterquam Hel. 1648. ἀφίστασθ'. Detracta litera, lege,

Οἷπερ ἡ δίκη κελεύει μ'. ἀλλ' ἀφίστασ' ἐκποδών.

Postquam igitur breviter monuero, cæsuram uno tantum in loco, Philoct. 1402. violari,

Εἰ δοκεῖ, στείχωμεν, ὦ γενναῖον εἰρηκὼς ἔπος,

quem corruptum esse cum non dubitem, medicis sanandum commendo, ad anapæstos accedam.

Sed antequam ulterius pergo, tirones rogatos volo, ut discrimen versuum Tragicorum et Comicorum paullo diligentius animadvertant. Tragici scilicet, si quid veri in iis, quæ modo disputavi, inest, anapæstum, nisi in primo senarii pede, et nominibus propriis, rarissime vel nunquam adhibebant; rarissime versus cæsura carentes scripsere; rarissime, si unquam, spondeum in quinto loco inter duo verba hypermonosyllaba divisere, dactylum certe in eodem quinto pede nunquam posuere. Sed hæc omnia Comici libentissime sibi in senariis permisere; et horum pleraque in Trochaicis. In illis nempe cæsuram ne-

glexere; quintum pedem in trochaico senario aut dactylum faciebant, aut, si spondeus esset, pro arbitrio distribuebant.

Aristoph. Vesp. 973.

Κατάβα, κατάβα, κατάβα | κατάβα, καταβήσομαι.
Plut. 2. Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος | δεσπότου.
55. Πυθοίμεθ' ἂν τὸν χρησμὸν ἡμῶν | ὅ, τι νοεῖ.
Nub. 580. Μηδ' ἐνὶ | Ξὺν νῷ, τότ' ἢ βροντῶμεν ἢ ψεκάζομεν.
577. Πλεῖστα γὰρ | Θεῶν ἁπάντων ὠφελούσαις | τὴν πόλιν.
581. Εἶτα τὸν | Θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην | Παφλαγόνα.

Sed rarissima omnium sunt exempla, ubi quintus pes dactylus sit; quædam tamen non dubiæ fidei, ut,

Vesp. 459. 'Αλλὰ μὰ Δί' | Οὐ ῥαδίως οὕτως ἂν αὐτοὺς διέφυγες.
Philemon Stobæi XXX.
Οὔτε γὰρ | Ναυαγὸς, ἂν μὴ γῆς λάβεται φερόμενος.
Antiphanes Athenæi XIV. p. 654. F.
Ὄψεται κ' τούτου πονηροὺς πέντε παῖδας γεγονότας.

et pauca alia. Ubi tamen aut MSS. ope, aut solenni mutatione dactylus tolli potest, inde tollatur oportet. Recte Bentleius in Nub. 575. πρόσχετε pro προσέχετε reponit.

Ὦ σοφώτατοι θεαταὶ, δεῦρο τὸν νοῦν πρόσχετε.

Scribendumne sit πρόσχετε an πρόσσχετε, alias fortasse disquiram. Sed insurgit Brunckius Addend. ad Nub. 916. aitque, "pedem tribrachyn ante syllabam catalecticam tetrametrum trochaicum admittere." Verum sane hoc; non tamen ideo admittendus est iste pes, si tuto vitari potest. Sed quæstionis statum non intellexit Vir doctissimus. Dicere debuerat, "pedem dactylum ante finalem iambum tetrametrum trochaicum admittere." Et hoc, ut dixi, aliquando faciunt Comici, sed pudenter et raro; tribrachyn vero ante finalem tetrametri trochaici iambum non solum Comici, sed etiam Tragici admittunt.

Phœn. 618. 'Ανόσιος πέφυκας. ἀλλ' οὐ πατρίδος, ὡς σὺ, πολέμιος.
Ion. 1273. Μὴ θανεῖν· κλοπῇ δ' ἀφῖγμαι, διαφυγοῦσα πολεμίους.
Aristoph. Eq. 319. Κἀμὲ τοῦτ' ἔδρασε ταυτὸ, νὴ Δί', ὥστε καταγέλων.

Vesp. 341. Τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸς χανεῖν ὁ Δημολογοκλέων.
Av. 282. Ἀλλὰ χοὖτος ἕτερος. ἀλλ' οὗτος μέν ἐστι Φιλοκλέους.

Menander Athenæi VI. p. 248. B.

Ὡς ὀκνηρὸς, πάντα μέλλων, σιτόκουρος, ὁμολογῶν Παρατρέφεσθαι.

Sed hoc Tragici et Comici tetrametri trochaici commune est, ut neuter usquam dactylum recipiat, nisi in proprio nomine, quod paucis ostendere operæ pretium fortasse fuerit. Ut tamen chartæ et tempori parcam, loca adscribam, prout legi debent.

Eq. 282. Νὴ Δί', ἐξάγων γε τἀπόρρηθ', ἅμ' ἄρτον καὶ κρέας.
Vesp. 1057. Καὶ κατ' αὐτὸ δὴ μόνον τοῦτ' ἄνδρες ἀλκιμώτατοι.
1260. Οὗτος ὃν γ' ἐγώ ποτ' εἶδον, ἀντὶ μήλου καὶ ῥοᾶς.

Sic pro ὅντιν' habent secunda Juntina et Suidæ v. Ἀμυνίας editio Kusteriana. Suidas Med. et Ald. ὃν, prope verum.

Pac. 586. Ἦσθα γὰρ μέγιστον ἡμῖν κέρδος, ὦ ποθουμένη.
Eccl. 1148. Τοῖς γελῶσι δ' ἡδέως διὰ τὸ γελᾷν κρίνειν ἐμέ.

Quod ad anapæstos attinet, satis notum est, dimetros frequentissimum esse genus; monometrum tamen aliquando interponi, legitimum vero systema semper versu parœmiaco, qui dicitur, ex tribus pedibus et syllaba composito claudi. Dactylum et spondeum creberrime pro anapæsto adhibent; sed rarissime proceleusmaticum; rarissime etiam dactylo anapæstum subjiciunt. Sicubi hiatum Tragici relinquunt, tum vocalem vel diphthongum necessario corripiunt, ut μοῦσα καὶ ἡμῖν, λείπεται ὑμῶν. Med. 1081. Troad. 603. Metra sive dipodiæ tum maxime numerosos versus efficiunt, cum in integras voces desinunt, præterquam in versu catalectico, qui tum maxime auribus placebit, cum hexametri dactylici finem constituet. Nonnunquam vero et is dactylum admittit in primo loco, ut, Med. 1085. Οὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν. Hipp. 240. Καὶ παρακόπτει φρένας, ὦ παῖ.

Accuratissime plerumque dimetrorum anapæsticorum leges servant Comici; interdum, sed raro, Aristophanes duo versus confudit, Vesp. 750. interdum, sed in proprio nomine, Γλαυκέτῃ dactylum fecit Pac. 1008. Sed ut vere loquar, hæc materia tam copiosa, in tot partes diffusa est, ut facilius initium, quam exitum inveniat oratio. Unam igitur Anapæstorum partem illustrare conabor, scilicet Aristophanicorum.

Anapæsticus Aristophanicus constat duobus dimetris Anapæsticis, quorum unus est alteri catalecticus.

Plut. 487. Ἀλλ' ἤδη χρῆν τι λέγειν ὑμᾶς,—
—Σοφὸν. ᾧ νικήσετε τηνδί.

In tribus prioribus locis præter anapæstum et spondeum dactylo utuntur; quod et in quinto licet; in quarto et sexto non licet. Cæsuram non minus accurate servant, quam Tragici Trochaici; paucissimæ certe exceptiones hodie occurrunt; quæ enim olim exstabant, maximam partem MSS. et Critices ope sublatæ sunt. Unum et alterum exemplum dabo, in quibus adhuc mendum hærere videatur. Av. 601.

Τῶν ἀργυρίων· οὗτοι γὰρ ἴσασι· λέγουσι δέ τοι τάδε πάντες.

Brunckius conjicit, οὗτοι γὰρ ἴσασ'· εἴγε λέγουσιν τάδε πάντες. Malim, ὥστε, quod frequens est in conclusione, ut supra 485. 488. 596. Nub. 613.

Vesp. 566. Κἂν μὴ τούτοις ἀναπειθώμεσθα, τὰ παιδάρι' εὐθὺς ἀνέλκει.

Recte Brunckius γε addidisse videtur, cujus usus exempla aliquot modo attuli. Sed ἀναπειθώμεθα, quod ille corrigit, dactylum relinquit in quarta sede, quem tamen facillime tolles, reponendo ἀναπεισθῶμεν, τά γε π. Sed alii hujus generis versus sunt, qui in hanc legem peccant. De iis quos quidem observarim, mox videbo. Interim de cæsura loquamur. Ach. 645.

Ὅστις παρεκινδύνευσεν Ἀθη | ναίοις εἰπεῖν τὰ δίκαια.

Etiam in hoc versu constituendo leviter erravit Brunckius. Corrigit enim;
Ὅστις παρεκινδύνευσε λέγειν ἐν Ἀθηναίοις. Nihil opus εἰπεῖν mutare, sed in locum suum reponere, et legere,

Ὅστις γ' εἰπεῖν παρεκινδύνευσ' ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια.

Attici post ὃς et ὅστις particulam eam emphaseos gratia addere solent, cui quodammodo respondet Latinorum *quine*. Ran. 751. πῶς γὰρ οὐχὶ γεννάδας, Ὅστις γε πίνειν οἶδε; vide et 1215. Thesm. 895. Ὅστις γε τολμᾷς σῆμα—Paullo tamen antea omnes fere editiones habent, Ὅστις ἀκούσας—, ubi tacite, Ὅστις γ' edidit

Brunckius. Eadem phrasis paullo corruptior latet in eadem fabula 713. Δεινὰ δῆθ' ὅστις γ' ἔχει μου 'ξαρπάσας τὸ παιδίον. Vulgo ὅτι γ', MS. Rav. ὁτιήγ'. Pherecrates apud Schol. ad Pac. 748. Ὅστις αὐτοῖς παρέδωκε τέχνην μεγάλην ἐξοικοδομήσας. Lege Ὅστις γ' et παρέδωκα. Verba sunt Æschyli de se loquentis eodem fere modo, quo loquitur apud Aristophanem Ran. 1045. et seq.

Præterea observandum est cæsuram eadem lege teneri, quam de tragico trochaico dixi; ut scilicet ne fiat in præpositione vel articulo. Atque hæc regula non sæpe, ne a librariis quidem, violatur.

Nub. 371. Νὴ τὸν 'Απόλλω, τοῦτό γε τοι τῷ | νυνὶ λόγῳ εὖ προσέφυσας.
Ran. 1058. Εἶτα διδάξας τοὺς Πέρσας μετὰ | τοῦτ' ἐπιθυμεῖν ἐδίδαξα.
Ach. 636. Πρότερον δ' ὑμᾶς οἱ πρέσβεις ἀπὸ | τῶν πολέων ἐξαπατῶντες.

Horum exemplorum primum longe numerosius fore, si secundam versus partem ita legemus, τῷ νῦν λόγῳ εὖ προσέφυσας, nemo inficiabitur. Τῷ νῦν λόγῳ habet Suidas, sed, si hunc locum respexit, male interpretatur ποίῳ. Utcunque hoc sit, revocanda est particula, quæ cum parum necessaria librariis visa esset, haud mirum si elapsa est.

Νὴ τὸν 'Απόλλω, τοῦτό γε τοι δὴ | τῷ νῦν λόγῳ εὖ προσέφυσας.

Ut in Ran. 1079. Ὥστε γε καὐτόν σε κατ' οὖν ἔβαλεν. Νὴ τὸν Δία, τοῦτό γε τοι δή. In Eq. 784. similem errorem notandi occasio mox veniet.

In Ran. 1058. Brunckius, εἶτα μετὰ τοῦτο (vel codicum ταῦτα) tautologum esse causatus, in κατὰ ταῦτ' mutat. Nihilo magis tautologum, Vir præstantissime, quam εἶτ' αὖ πάλιν αὖθις Nub. 971. et similia. Nihilo magis tautologum quam Av. 811. ΕΙΤΑ τοῖς θεοῖς θῦσαι ΜΕΤΑ ΤΟΥΤΟ, aut illud Philemonis apud Stobæum p. 395. ed Grot. ΕΠΕΙΤΑ ΜΕΤΑ ΤΑΥΤ' εὐθὺς εὑρέθη θανών. Sosipater Athenæi IX. p. 378. B. ΕΠΕΙΤΑ ΜΕΤΑ ΤΑΥΤ' εὐθὺς ἀρχιτεκτονεῖν. Sed sive μετὰ τοῦτο legis, sive κατὰ ταυτὰ, numeri sunt pessimi, quod et ipse Brunckius in simili versu Ach. 636. sensit. Articulum τοὺς omittunt tres MSS. quos ipse contuli, neque dubito quin cum iis conspirent alii. Ergo legendum,

Εἶτα διδάξας Πέρσας μετὰ ταῦτ' ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα.

Fortius est hoc, quam simplex ἐδίδαξα· deinde melius junguntur διδάξας ἐξεδίδαξα· porro hoc ipsum mendum paullo ante corrupit cæsuram versus 1051. quem ex MSS. restituere editores.

In Acharnensium versu aliquid turbatum esse vidit, quo erat aurium sensu, Kusterus, cui hactenus assentitur Brunckius, ut fateatur concinniores fore numeros, si legatur, Πρότερον δ' ἀπὸ τῶν πόλεων ὑμᾶς οἱ πρέσβεις ἐ. Sed concinniores etiam fient, transpositione leniori: Πρότερον δ' ὑμᾶς ἀπὸ τῶν πόλεων οἱ π. ἐ. In eadem versus sede mox occurrit ἐν ταῖς πόλεσιν, ἐκ τῶν πόλεων, Plut. 567. Ran. 1042. ἐν ταῖς πόλεσιν, Vesp. 655. ἀπὸ τῶν πόλεων.

Proceleusmaticum ab hoc anapæstico semper excludendum esse, jamdudum monui in Appendice ad Toupium. Et ubicunque tolli potest tantilla mutatione, quanta est πρόσχετε pro προσέχετε, quis tollendum negabit, nisi qui digitos solos, non aurem, consulat? In Vesp. 1010. codex Brunckii πρόσχετε obtulit, sed neglexit ille. Quod magis miror in eo, qui Nub. 980. optime e MSS. Διπολιώδη restituerit. Sic etiam dixere Attici Δίφιλος, non Δίιφιλος.

Sed præter loca jam memorata, dactylum in cæsura habent sequentia. Nub. 325. Vesp. 349. 396. 671. Quorum secundus et quartus facillime expedientur; primus et tertius majorem attentionem postulant.

Ἔστιν ὀπὴ δῆθ' ἥντιν' ἂν ἔνδοθεν | οἷός τ' εἴης διορύξαι.
Οἱ δὲ ξύμμαχοι, ὡς ἥσθοντό γε | τὸν μὲν σύρφακα τὸν ἄλλον.

Lege in illo, vocibus transpositis, οἷός τ' ἔνδοθεν εἴης δ. In altero ineptum istud γε omittit Ravennas. Genuinam verbi formam ᾔσθηνται conservavit Suidas v. Λαγαριζόμενον, v. Τραγαλίζοντα, et diserte in Ἤισθηνται. Hac forma sæpe utitur Plato; utitur Tragicus Rhes. 673. Euripides Orest. 1583. (1566.) Troad. 639. Etiam in Bacch. 605. restituendum ᾔσθησθε, non ᾔσθεσθε. Quod ad Vesp. 396. attinet,

Αὐτὸν δήσας· ὦ μιαρώτατε | τί ποιεῖς; οὐ μὴ καταβήσει,

is eo nomine præterea vitiosus est, quod anapæstum dactylo statim subjicit. Id in hoc versuum genere non licere supra innui. Exempla, quæ ex emendatione in contrariam partem afferri possunt, nihil ad rem faciunt. Eximenda igitur numero Vesp. 568. Av. 520. editionis Brunckianæ. Eximenda etiam loca, ubi βοΐ-

δαρίω occurrit, quippe qui pes choriambus sit. Av. 586. Fragm. apud Ammonium v. Χολάδες. Cum enim semper Attici contracte dicant βοίδιον, νοίδιον, ῥοίδιον, διπλοίδιον, ἡμιδιπλοίδιον, προχοίδιον, ut pluribus ostendit Piersonus ad Mœrin p. 276. consequens est, ut contracte quoque secunda diminutiva dicant. Quare, sublatis punctis, in posterum legamus,

Μὴ, πρίν γ' ἂν ἐγὼ τὼ βοιδαρίω τὼ 'μὼ πρώτιστ' ἀποδῶμαι.
Ἢ βοιδαρίων τις ἀπέκτεινε ζεῦγος, χολίκων ἐπιθυμῶν.

Nec major difficultas fragmento Babyloniorum inest, quod citat Harpocration v. Ἐπιβάτης.

Εὖγ' ἐξεκολύμβησεν ἐπιβάτης, ὡς ἐξοίσων ἐπίγυον.

Si quis cum Brunckio de metrica ultimæ vocis quantitate dubitat, is cum Harpocrationis MSS. Mediceo et Galeano legere potest ἐπίγειον. Sed altera vox penultimam proculdubio producit, cum sit contracta ex ἐπιγύαιον. Adde articulum, et integerrimum anapæsticum habebis.

Εὖγ' ἐξεκολύμβησ' οὑπιβάτης, ὡς ἐξοίσων ἐπίγυον.

In Pac. 732.

Ἣν ἔχομεν ὁδὸν λόγων εἴπωμεν, χὤσα τε νοῦς αὐτὸς ἔχει,

(sic Ald. et ambæ Juntinæ,) ex uno MS. edidit Brunckius λόγον et ἔχει γε. Verum particula eo loco inepta prorsus est et inutilis. Pro χὤσα τε νοῦς, quæ scribere non poterat Atticus, si χὤσα γ' ὁ νοῦς rescribes, alio modo versus finem constituere necesse erit, quam fecit Brunckius. Alter ejus codex et Ravennas pro secunda versus parte tantummodo ὅσα τε νοῦς ἔχει. Gravissimum profecto huic versui jam a multis seculis vulnus impressum est; si vero priorum verborum sanitatem defendes, ordinem modo mutabis, ὁδὸν ἣν ἔχομεν, et numeri optime constabunt.

Verum hoc quoque versu prout vulgatur, relicto, longe immodulatior esset is, si ullo modo tolerari posset, qui dactylum Ionico a minori in fine præpositum haberet. Duo tamen hujusmodi monstra peperit fecunda librariorum inscitia.

Plut. 510. Εἰ γὰρ ὁ Πλοῦτος βλέψειε πάλιν, διανείμειέ τ' ἴσον ἑαυτόν.
Av. 491. Σκυτῆς, βαλανῆς, ἀλφιταμοιβοὶ, τορνευτασπιδολυροπηγοί.

Irascor tarditati Virorum doctorum, præcipue Kusteri, qui in alio versu infra 583. vitium cognatum tam acute viderit et dextre sustulerit, hoc loco vitium levissimum omnino præterviderit. Irascor codici Ravennati, qui toties quidem alias mihi mea præripuerit, nunc vero eandem lectionem, quam e Suida me Comico redditurum putabam, impudenter sibi arrogarit.

> *Εἰ γὰρ ὁ Πλοῦτος βλέψειε πάλιν, διανείμειέν τ' ἴσον αὐτόν.*
> *Σκυτῆς, βαλανῆς, ἀλφιταμοιβοὶ, τορνευτολυρασπιδοπηγοί.*

Erravit igitur Dawesius, cum in Nub. 325. conjecit,

> *Ὡς οὐ καθορῶ. Παρὰ τὴν εἴσοδον. Ἤδη νῦν μόλις ὁρῶ αὐτάς.*

addens, "Versus quidem ita emendatus non est inter maxime numerosos. Sed est tamen legitimus." Deinde hanc sententiam quodammodo mitigat, corrigendo, *Ἤδη ὁρῶ νῦν μόλις αὐτάς*. Sed illud *αὐτὰς* incommode additur, dum hæc verba Strepsiades loquitur, qui versus initio non addiderit. Superscriptum pro interpretatione in uno MS. vidi; in textu quidem habet MS. Ravennas, sed idem contra sensum *ὁρῶ* omittit. Quod habet MSS. fere dimidia pars, *ἀθρῶ* probant Kusterus et alii; in textum intulit Brunckius, *διαθρῶ νυνὶ μόλις ἤδη*. Sed felicius hoc compositum restituit Thesm. 665. Præterea metro coactus *ἔσοδον* scribit, quod nunquam apud Comicos, ut neque quicquam aliud nomen ab *ἐς* compositum reperitur. Rarissime omnino, et vereor, ne in locis tantum mendosis, *ἐς* ante vocalem usurpant. At *μόλις ἀθρῶ*, præterquam quod licenter priorem producit, cum Dawesio opinor non dici posse pro *μόλις ὁρῶ*. Bentleius contra tempora si non contra metrum, *ἑώρων*. Quid igitur hoc versu faciendum? Primo varias lectiones videamus. Olim vulgatæ editiones, *ἤδη νῦν μόλις ὁρῶ*. MSS. quidam pro *νῦν* habent *νῦν καὶ*, alii *νυνὶ*, in quibus quatuor, quos ipse inspexi; *ἀθρῶ* pro *ὁρῶ* multi; utroque omisso Ravennas, *ἤδη νυνὶ μόλις αὐτάς*. Equidem, si quis ex dissensu Codicum arguat, hunc locum jam ante eorum ætatem fœde corruptum fuisse et veritatem in puteo latere, non vehementer negem. Sin quis e MSS. vestigiis quid eliciendum censeam, requirat, respondebo, me totam sententiam Socrati continuare malle et legere, ΣΩ. Νυνὶ *μάλ' ἀθρῶν βλέπε πρὸς τὴν εἴσοδον ἤδη*. Νῦν *γέ τοι ἤδη καθορᾷς αὐτὰς*—In quo addidi *βλέπε* e. v. 322. *βλέπε νῦν*

δευρὶ πρὸς τὴν Πάρνηθα. Jocus est Comicis antiquis solemnis, ut actorem personæ quam agit, oblivisci faciant, et de theatro aut spectatoribus, quasi imprudentem, loqui. Εἴσοδος autem est ea theatri pars, qua Chorus scenam intrat. Vide Av. 297. et Schol. Ergo Socrates, Strepsiade querente se Nubes non videre, respondet, *Nunc tandem quam maxime oculos contende et ad Theatri introitum specta; nunc enim tandem eas vides.* Μάλ' ἀθρεῖν dicitur, ut μάλ' ἀπαυδᾷν et μάλα δάκνειν Ran. 372. 888. Denique πρὸς τὴν εἴσοδον accurate respondet verbis præcedentibus, πρὸς τὴν Πάρνηθα. E duobus optimæ notæ MSS. a me collatis, πρὸς adoptavi pro παρὰ, quam varietatem e nullo codice adhuc enotatam esse profecto mirum.

Ad Vesp. 396. redeo,

Αὐτὸν δήσας. ὦ μιαρώτατε, τί ποιεῖς; οὐ μὴ καταβήσει.

Notaram quædam exempla, sed hodie non sunt in promptu, ubi ἄνδρες omittitur, et quædam, ubi superlativa pro positivis substituuntur. Memini tantum in Lysistr. 616. ἄνθρωποι habere plerasque editiones, ἄνδρες Brunckianam ex MSS. neutrum Suidam v. Ἐπαποδυώμεθα. In versu Epigonorum, Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα, Μοῦσαι, citando, ἀνδρῶν omittit Larcherus ad Herodot. IV. 32. ed. utr. Aristoph. Eccl. 742. ἀνὴρ, in edd. plerisque omissum, addunt Junta, codex Brunckii, et, ut puto, Rav. Cratinus Athenæi II. p. 68. A. Γλαῦκον οὐ πρὸς παντὸς ἀνδρὸς ἐστὶν ἀρτῦσαι καλῶς. Sic legendum, addito quod exciderat, ἀνδρός. Idem Suidas in Plut. 1026. pro φίλ' ἄνερ habet φίλτατ' ἄνερ, quod male ad 788. refert Brunckius. Jam, credo, lector, ipse per te suspicaris, me legere velle, ὦ μιάρ' ἀνδρῶν. Et recte suspicaris. Eodem modo dixit Theocritus XV. 74. φίλ' ἀνδρῶν, Callimachus apud Suid v. ἐπαύλια. πρηεῖα γυναικῶν. Eodem modo sæpius dixit Aristophanes ὦ δαιμόνι' ἀνδρῶν, qui et ὦ μιαρώτατ' ἀνθρώπων Ran. 1520. denique ὦ σχέτλι' ἀνδρῶν in eadem anapæstici sede Ran. 1081.

Unum in tironum gratiam verbum addere libet. Nemo nescit, dissolutos pedes hoc versuum genus amare, ut scilicet, si commode fieri possit, singulæ dipodiæ integris verbis absolvantur. Sed hanc regulam, quam nimii laboris esset constanter servare, non raro negligebant, ut Plut. 519. 570 584. Hoc tamen

cavebant, ne, si secundus pes dactylus esset, tertius spondeus, ultima dactyli syllaba iambicam vocem aut bacchiacam inchoaret. Quod sane ab aure admonitus, bene notavit Brunckius ad Eccl. 514. Ξυμϐούλοισιν ἁπάσαις | ὑμῖν, et corrigit πάσαις. Rectissime vulgatur Nub. 400. Ἀλλα τὸν αὑτοῦ γε νεὼν βάλλει. Omittit γε Demetrius, unde si quis præferret, Ἀλλὰ νεὼν τὸν ἑαυτοῦ | βάλλει, versum efficeret, qualem neque scripsit Comicus quisquam, neque scribere potuit. Eq. 505. Ἠνάγκαζεν ἔπη | λέξοντας γ' | εἰς τὸ θ. π. Et hunc locum viginti fere abhinc annis emendandum monui ex argumento ad Nubes. Ἠνάγκαζεν λέξοντας ἔπη πρὸς τὸ θ. π. Eq. 784. Τοῦτό γε τοὔργον ἀληθῶς ἔστιν. Veteres editiones omnes omittunt ἔστιν et post γε addunt σου. Ex Æmilii Porti editione casu excidit σου, Kusterus neque MSS. neque editionibus inspectis, ἔστιν intrusit, quod et Brunckius retinuit. At quid facilius, quam particulam pene sensui necessariam, ad metrum complendum adjicere? Vide supra p. liii.

Τοῦτό γε τοί σου τοὔργον ἀληθῶς γενναῖον καὶ φιλόδημον.

MS. Ravennas satis corrupte, sed ita ut hanc correctionem stabiliat, Τοῦτό γε τοί τ' ἀληθῶς αὖ τοὔργον γ. κ. φ. Licentia, quæ maxime in Aristophanico anapæstico conspicitur, est ea, qua vocalis longa vel diphthongus ante vocalem corripitur, ut χρυσίου ὄντος Plut. 528. Alteram licentiam, qua ob mutam et liquidam producitur syllaba, rarissime admittunt, idque partim ex necessitate, partim cum alios poëtas vel citant vel imitantur. Cum igitur primam syllabam in ὑγρᾶν producit Aristophanes, Nub. 334. Dithyrambos ridet; cum Homeri verba usurpat, Homerico metro utitur, Nub. 400. Καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηνέων. Vesp. 650. Ἀτὰρ, ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη. Ubi non "anapæstorum licentia," ut putat Brunckius, sed quod Homeri verba sunt, producitur ultima pronominis syllaba. Male etiam casu edidit Brunckius, ἀλλὰ pro ἀτὰρ, quem secutus est Invernizius. Nec dubito quin in Nub. 319. Vesp. 676. Tragicorum aliquem, Euripidem opinor, ob oculos habuerit. Ex necessitate vero hujusmodi syllabas producunt Comici, cum nomina propria non aliter in versu stare possunt. Ideo Κεϐριόνα et Κυπρογένεια primas producunt Av. 554. Lysistr. 551.

Corollarii instar duo exempla hujus metri addam, ut adole-

scentium ingenia ad talia animadvertenda, si possim, excitem. Eorum prius ita exstat in Hesychio. Παλινδορία. τὸ σκῦτος. Πλάτων Σύρφακι καὶ Μωμοθήρᾳ. παλινδορίαν παίσας αὐτοῦ καταθήσω. Unde titulus fabulæ Platonicæ, Μωμοθήρας, in Meursii Bibliothecam Atticam immigravit. Sed hoc e Marci Musuri liberalitate provenit. MS. enim Venetus, teste Schowio, cui hoc nomine plurimum debemus, Πλάτων συρφακίσαι, μνωμοχθῆραι παλινδορία π. α. κ. Παλινδορία est corium solito crassius et durius, quod calceis usu detritis suppingitur. Lege igitur, Πλάτων Σύρφακι·

Σὲ μὲν, ὦ μοχθηρὲ, παλινδορίαν παίσας αὐτοῦ καταθήσω.

Vides versum rotundissimum, fabula ista Momothera procul ablegata.

Scholiastes Pindari ad verba ista Olymp. VI. 152. Βοιωτίαν ὗν, observat, sues vocatos olim Bœotos, et præter alium Pindari locum, Cratini hoc testimonium adducit,

Οὗτοι δ' εἰσὶν συοβοιωτικὸν πεζοφόρον γένος ἀνδρῶν.

Gatakerus nostras, Vir longe doctissimus, sub illo πεζοφόρον latere vidit κρουπεζοφόρον, quod e Polluce VII. 87. sagaciter reposuit. Verba Pollucis, ut jam emendata sunt, apponam. Κρουπεζοφόρους δ' εἶπε τοὺς Βοιωτοὺς Κρατῖνος, διὰ τὰ ἐν αὐλητικῇ κρούματα. Hinc Gratakerus elicit, Οὗτοι δ' εἰσὶν ὑοβοιωτικοὶ κρουπεζοφόρων γένος ἀνδρῶν. Sed quis non optarit Criticos primores aliquando ad minutias paullo magis attendisse? Si vir summus ceteris suis eximiis dotibus mediocrem metrorum peritiam addidisset, statim vidisset, illud κρου in præcedenti verbo latere, neque opus esse legi κρουπεζοφόρων, sed versum ita esse constituendum;

Οὗτοι δ' εἰσὶν Συοβοιωτοὶ, κρουπεζοφόρον γένος ἀνδρῶν.

Hesychius. Συοβοιωτοί. οἱ Βοιωτοὶ σύες [ἐκαλοῦντο.] Photius Lex. MS. Συοβοιωτοί. σύες γὰρ ἐκαλοῦντο οἱ πάλαι Βοιωτοί. Hunc ipsum Cratini locum uterque respexit. Idem verbum iterum usurpasse videtur Cratinus apud Scholiasten Aristophanis Pac. 740. Ὑπὸ δὲ Ἡρακλέους πεινῶντος ἄγειν καὶ ταῦτα σκώπτοντος, οὐ Βοιωτόν ἐστιν. Neque verba neque metrum satis expedire possum. Sed illud video, pro οὐ Βοιωτὸν legendum συοβοιωτῶν.

(F) Qui generales quasdam vel grammaticas vel metricas ab antiquis scriptoribus regulas constanter observatas contendunt, ii uno maximo incommodo laborant, cum ad objectiones refellendas ventum est. Sæpe enim fit, ut editorum negligentia varias lectiones omiserit, adeoque veri vestigia, quantum in ipsis fuerat, suppresserit. Quare si in quibusdam locis corrigendis erravi, veniam facile me impetraturum spero, maxime gavisurus, si MSS. vel grammatici meliora meis subministrabunt. *Καί μοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐχέτω ἐς πάντα τὸν λόγον.* Satis igitur erat in Sophocl. Aj. 524. vulgatæ lectioni controversiam e Suida movisse. Postea duorum Parisiensium Suidæ codicum collationem nactus sum, quorum unus habet cum principibus editionibus, Οὐκ ἂν γένοιθ' οὗτος εὐγενὴς ἀνὴρ, alter (Kusteri scilicet MS. A.) Οὔπως γένοιτ' ἂν οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ. Sed cum ex Augustano codice Hermannus Præf. ad Hec. p. 65. protulerit, Οὐκ ἂν γένοιτ' ἔθ' οὗτος, (unde depravata videri possit edd. Med. Ald. et unius MS. Par. lectio) non equidem intercedam, quo minus hoc adoptes. Sic in Æschylo Suppl. 800. veterum editionum lectionem indicare contentus, nihil ultra quærebam. Male repetitam alioqui particulam δὲ fore qui culparent, prævidere poteram, sed a proposito digredi nolebam. Illa δὲ adversativa est, et idem fere valet quod ἀλλά. Sensus est, *Utinam mihi sedes esset in æthere, sed sedes ejusmodi, ubi nubes aquosæ in nivem vertuntur*, nempe ne Deorum vitam optare videretur, his verbis Chorus votum suum temperat. Si tamen particula omnino ejicienda esset, versus ita corrigi deberet, Πρὸς ὃν χιὼν ὑδρηλὰ γίγνεται νέφη.

Hæc habui, Adolescentes optimi, quæ de communibus metrorum generibus traderem. Ea si quid vobis fructus aut voluptatis afferent, me, quantum laboris insumserim, non pœnitebit.

# HERMANNI PRÆFATIO

AD

# HECUBAM.

---

Paullo amplius biennium est, quum Richardus Porsonus Londini Hecubam Euripidis edidit, præfatione et brevibus notis instructam, emendationum maxime rationes reddentibus. Qui vir quamquam in ea editione nihil exquisiti aut reconditi exspectare jussit, eam tamen Euripidi operam navavit, quam nemo, nisi qui aut iniquus, aut harum litterarum imperitus sit, summo critico non fateatur esse dignissimam. Verum una tantum in re exspectationem, quam rumor excitaverat, fefellit. Ferebatur enim multa, quæ ad metrorum rationem spectarent, adnotasse, quod hoc magis optandum erat, quia Euripidis aliquanto difficilior est in hoc potissimum genere, quam cæterorum tragicorum emendatio. Atque etsi quædam, quæ ad hanc partem antiquitatis pertinent, observavit Porsonus, placuit tamen ei hæc pro auctoritate imperiosius, quam pro critici officio explicatius exponere. Ea re hoc videbatur effectum iri, ut plerique eorum, qui Porsoni Hecubam legerent, existimationem viri atque auctoritatem instar argumentorum habentes, assentire in hoc præsertim genere doctrinæ, quam, quæ ille obscurius dixisset, diligentius disceptare mallent. Quapropter ego, quæ mihi Porsonus minus recte dixisse videbatur, in medium proferenda putavi, non ut illum reprehenderem, sed quoniam id eorum videbatur interfuturum esse, quibus harum studia littera-

rum curæ sunt. Etenim nihil usquam omnibus numeris absolutum ab hominum genere perfici mortalem meminisse fas est. Nec satis cautum ei, qui alienos errores deprehenderit, ne ipse in alios errores incidat. Quare et reprehendendum libere est, nec, si reprehendaris, ægre ferendum. Non enim nostram agimus, sed caussam scientiæ rerum humanarum.

Præterea vero etiam de Wakefieldii conjecturis admonendum duxi, quem continuo Porsonus minime parem nactus est adversarium. In quo viro quum quantum ingenii, tantum effrenatæ temeritatis, Græcæ autem linguæ haud accuratior, quam Latinæ, cognitio sit, debet ille aliquam sane, sed non eam auctoritatem habere, quam apud nostrates, nimis æquos exterorum judices, consequutus est.

Quum jam typothetis tradere Hecubam measque adnotationes vellem, duæ mihi innotuerunt Porsonianæ editiones et Wakefieldii diatribes censuræ, una in menstruis Britannorum censuris, (*Monthly Review*, 1799. Januar. Febr. Apr. Jul. Aug.) ab excellente scripta critico, multisque plena præclaris observationibus; altera in ephemeridibus Jenensibus n. 410. et 411. anni 1799. quam qui scripsit, non scripsisset eam, spero, si Britanni censoris adnotationes cognitas habuisset. Hic quidem Britannus censor quo majorem in his rebus auctoritatem habere debet, eo magis, quid de quoque loco sentiret, commemorandum censui.

* * * * * *

Quando Porsoni Hecuba hanc nobis scribendi opportunitatem præbuit, age videamus jam ea, quæ ille in præfatione protulit.

In his primum hoc est, quod ἀεί, Piersono jubente, Brunkio non nolente, semper sine diphthongo in prima syllaba ab se scriptum dicit. Eamdem rem repetit ad Hecubæ, v. 1172. probatam censori Britanno. Ibi ἀεὶ legi memorat in Stobæo, cujus quidem mea sententia non potest major auctoritas esse, quam librorum MSS. sæpe ἀεὶ exhibentium, ubi prior syllaba longa est. Sed nimirum idem Porsonus iota subscriptum vetustiorum MSS. auctoritate in κἄτι, κἀν, κἂν, et similibus ab se omis-

sum scribit. At id ut recte fiat, de qua re acute disputavit vir doctus, cujus additamenta accesserunt Vigeri libro de Idiotismis Græcæ Linguæ, cap. VIII. sect. VII. p. 526. non debet tamen librorum MSS. aut veterum editionum auctoritate fieri, in quibus quis nescit iota subscriptum non modo in mediis verbis, sed in ipsis etiam dativis sæpissime omitti? Quod si in κἄτι et similibus exemplis veteres libri sequendi sunt, idem etiam in dativis facere oportebit. Si quis talia documentis veteris scripturæ probare vult, afferendæ inscriptiones sunt, abunde suppeditantes exemplorum. Sed tum prorsus repudianda erit recentior scribendi ratio: quod qui facere nolunt, non debebunt codicum auctoritate in tali re abuti. Id Porsonum in littera ὶ fecisse hoc magis miror, quod idem ad Oresten, v. 64. eum insanum fore dicit, qui omissionem litteræ paragogicæ ν librorum veterum auctoritate velit defendere. Sed redeo ad ἀεί. Piersonus ad quem Porsonus provocat, sic de hac re scribit ad Mœrin, p. 231.: Eustathius ad Il. Α΄. p. 21. F. (p. 28. l. 31. ed. Rom.) Ἀθηναῖοι μὲν τὸ κλαίει κλάει λέγουσιν· οὕτω δὲ καὶ καίει κάει, αἰεὶ ἀεί, αἰετὸς ἀετός. *In his autem, si ἀεὶ excipias, cujus penultima anceps est, α manet longa.* Vid. Etymol. p. 679. l. 26. Etymologus ibi de κλάω et κάω loquitur, adverbii ἀεὶ nullam mentionem facit; nec magis, p. 105. l. 32. et p. 172. l. 20. in quibus locis de eadem re disputat. Sola igitur Eustathii auctoritate nititur conjectura Piersoni. In qua re illud per mihi mirum videtur, unde Piersonus didicerit, ἀεὶ primam habere ancipitem. Nihil est, unde id concludi queat, quam quod Eustathius hoc adverbium una cum aliis vocabulis commemorat, in quibus α ex αι natum longum est. At primum non est tanta Eustathii diligentia, ut, quum non disertim et productione istius litteræ loquatur, ex sola reliquorum exemplorum comparatione colligi possit, eam litteram ab eo longam perhiberi. Deinde autem ipse Eustathii locus manifesto docet, eum non de prosodia istius α, sed unice de omissione litteræ ὶ agere. Sic enim scribit: ἰστέον δὲ ὅτι τὸ Ἀχαιὸς δίχα τοῦ κατὰ τὴν δίφθογγον ἱ προφέρουσιν οἱ Αἰολεῖς κατὰ τοὺς τεχνικούς, οἳ λέγουσιν ὡς διάλεκτοί τινες ἀποβάλλουσι τὸ ἱ τῆς αἱ διφθόγγου, οἷον Ἀθηναῖοι μὲν τὸ κλαίει κλάει λέγουσιν. οὕτω δὲ καὶ καίει κάει, αἰεὶ ἀεί, αἰετὸς ἀετός. Αἰολεῖς δὲ τὸ παλαιὸς

καὶ Ἀχαιὸς καὶ ἑταῖρος πάλαος καὶ Ἄχαος καὶ ἕταρος. Ἴωνες δὲ σὺν Ἀττικοῖς τὸ χρύσειος, ἀργύρειος, χάλκειος, καὶ τὰ ὅμοια χρύσεός φασι, καὶ ἀργύρεος, καὶ χάλκεος. Ex his clarum est,, de sola abjectione litteræ ί sermonem esse, nec magis ά in ἀεὶ ex αί remanens, quam έ remanens ex εί in χρύσεος et aliis pro longo haberi posse. Quin, nisi fallor, alia haud levis in contrariam sententiam auctoritas afferri potest Etymologi MS. cujus locum Kœnius protulit ad Gregorium, p. 160. Is locus ita videtur corrigendus: ἰστέον ὅτι ιβ φωναί εἰσι τοῦ ἀεί. ἔστι γὰρ αἰεὶ καὶ αἰὲν καὶ αἰὲς ποιητικῶς, καὶ ἀεὶ συνεσταλμένον, καὶ ἀῒ παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι, καὶ ἀῒν παρὰ Ταραντίνοις, (ἐξ οὗ καὶ ἀΐδιος) διὰ τοῦ ί, καὶ διὰ τοῦ αί, καὶ διὰ τοῦ ή. οἱ δὲ Ταραντῖνοι ἄποικοί εἰσι τῶν Δωριέων. ἔτι καὶ ἀὲς παρὰ τοῖς Δωριεῦσι. ταῦτα μὲν ἀπαρένθετα. καὶ ταῦτα ιβ φωνὰς λέγουσιν εἶναι, ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀὲ παρὰ Πινδάρῳ. Pindarus ἀὲ habet Pyth. IX. 154. Quod Kœnius ait, quædam deesse numero, non est verum, si illa recte intelligantur, καὶ διὰ τοῦ αί, καὶ διὰ τοῦ ή. Hoc enim dicit grammaticus, formas adverbii eas, quæ ὶ in posteriore syllaba habeant, in priori etiam αὶ et ὴ habere, ita ut istæ formæ omnes hæ sint: ἀΐ, αἰΐ, ἠΐ, ἀΐν, αἰΐν, ἠΐν. Sic igitur duodecim omnino formas hoc adverbium habebit, quem numerum etiam commemorat Etymologicum editum, p. 31. l. 24. Suidas: ἀεί. τούτου εἰσὶν ιά φωναί. Quæ verba ex illa Etymologici MS. adnotatione lucem accipiunt. Undecim enim sunt, si ἀὲ Pindaricum excipiatur, quod videntur quidam veterum ignorasse: unde grammaticus dicit, ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀὲ παρὰ Πινδάρῳ. Igitur in his duodecim commemoratur ἀεὶ συνεσταλμένον, quod grammaticus non fuisset συνεσταλμένον vocaturus, si anceps esset: neque vero propterea sic vocat, quia aliud exstet priore syllaba producta, sed quia ἀεὶ opponit iis, quæ antea memoraverat, αἰεί, αἰέν, αἰές. Gravioribus ergo argumentis opus est, si quis demonstrare conetur, in ἀεὶ utramque syllabam produci ab Atticis scriptoribus. Nam quum ἀεί, non αἰεί, grammatici Atticum esse perhibent, communem sermonem spectant, quo prosaici scriptores utuntur. Qui sicuti non dicunt ξεῖνος, μοῦνος, γούνατα, κοῦρος, δουρί, quæ tragicis tamen ipse Porsonus, p. XV. eripi posse negat, ita quidni αἰεὶ quoque simili licentia a poëtis Atticis retentum existimemus? Quin licebit etiam sic

argumentari. Attici pro ποιῶ dicebant ποῶ. Etymol. M. p. 679. l. 24. ἰστέον ὅτι οἱ Ἀθηναῖοι ἀποβάλλουσι τὸ ι, λέγοντες ποῶ. Nunc hoc verbum apud tragicos primam solet longam habere. Atqui πωῶ non potuit dici, ut ibidem docet Etymologus. Ergo ποιῶ cum diphthongo dixere. Id si fecerunt in ποιῶ, idem factum esse in αἰεὶ vel ipso grammaticorum silentio probabile fit, adverbium hoc non commemorantium, ubi exempla afferunt producti α post omissionem conjunctæ vocalis. De verbo ποῶ quidem hoc adnotandum videtur, fuisse id unice vulgaris sermonis proprium, ut ὁδί, οὑτοσί, ἐνθαδί, et alia. Itaque ποῶ scribendum semper in comicis, ubi prior syllaba corripitur. Eamque scripturam veterrimi libri, ut Ravennas Aristophanis, exhibent. Hinc in plurimis comicorum versibus, in quibus metrum utramque formam admittit, correptior forma propter numerorum elegantiam præferenda est, ut in Aristophanis Pluto, v. 1124.

οὔκουν δικαίως, ὅστις ἐπόεις ζημίαν.

v. 1197.

ἐγὼ δὲ τί ποῶ; τὰς χύτρας, αἷς τὸν θεόν.

Sequitur alia Porsoni non satis apta argumentatio, qua secundas personas singularis numeri in indicativo passivi ab Atticis per ει formatas ostendere studet. Brunkium hanc formam in futuro tantum, se etiam in præsenti reposuisse dicit, duce quidem analogia. De analogia mox videbimus. Res ipsa vera est, sed non nova. Quippe sic jam Valkenarius ad Phœnissas, v. 576. Kœnius ad Gregorium, p. 49. et Brunkius ad Sophocl. Œd. R. v. 336. Neque Gregorius præsens intelligi noluit, qui sic scribat: Ἀττικῶς ἐκφέρεται διὰ τῆς εἰ διφθόγγου τῶν παθητικῶν ὁριστικῶν τὰ δεύτερα πρόσωπα, quamquam futuri tantummodo exemplum addit, ζηλωτὸς ἔσει. Sed analogia ista, quam prætexit Porsonus, qualis tandem est? *Hæc*, inquit, *postulat, ut vocalis corripiatur in indicativo, producatur in subjunctivo*, τύπτομαι, τύπτει, τύπτεται, τύπτωμαι, τύπτῃ, τύπτηται. Vera dicit, si antiquam formam τύπτεαι intelligat. In hac enim si vocalis ista longa esset, conjunctivum haberemus τύπτηαι. Sed contractione ultimarum sylla-

barum adhibita si τύπτει scribi analogia postularet, consequens esset, ut diphthongus αὶ in ὶ abiisse censeretur: quod quis umquam factum contendet? Immo litteræ εαὶ coalescunt in ῄ, ut ex ἐαίρουν fit ᾕρουν. At, inquiet aliquis, si nihil hic tribuendum est analogiæ longarum et brevium in conjunctivo atque indicativo vocalium, quid est, quare in conjunctivo τύπτῃ, non τύπτει, scribatur? Licebit hujus argumenti vim etiam augere. Nam si cum Valckenario τύπτει ex Atticorum veterum scriptura, ῄ ignorantium, servatum putamus, necesse est, ut etiam in conjunctivo τύπτει scribi solitum existimemus. Quorum alterum si servamus, cur alterum rejicimus? Sed nimirum indicativus τύπτει pronunciationi Atticorum, non scripturæ debetur. Aliter non adnotassent eum grammatici ut proprium Atheniensium. Græci enim, uti pronunciabant, ita scribebant. Τύπτει igitur non est tribuendum analogiæ, sed hoc dicendum est, non repugnare analogiæ, sicut idem τύπτει, si conjunctivi instar esset, analogiæ repugnaturum foret. Nam si τύπτῃ ex τύπτεαι ortum in τύπτει mutatur, non tollitur ea mutatione vocalis indicativo propria; sin vero τύπτῃ ex τύπτηαι natum τύπτει diceretur, tolleretur longa vocalis, quæ quia conjunctivum modum ab indicativo distinguit, tolli non potest. Ut breviter dicam, in τύπτει diphthongus ει pro cognata diphthongo ponitur, ut in aliis plurimis exemplis, quia ῄ non est littera necessaria, ut in conjunctivo τύπτῃ.

Pagina clxii. et seq. Porsonus de augmenti omissione loquitur. Eam in Atticis poëtis ferendam negat. Atque unicum locum, qui in Hecuba licentiæ isti faveat, ab ipso Brunkio emendatum esse. Equidem in hac quoque re id, quod sæpe fieri solet, accidisse arbitror, ut ab utraque parte peccaretur. Nam quid est, quare tragicos poëtas, qui tot alias res ex antiquioribus poëtis hauserint, in solo augmenti usu tam religiosos fuisse censeamus, ut licentiam tum cæteris poëtis omnibus usitatam, tum omnino orationi metris adstrictæ percommodam, prorsus evitarent atque rejicerent? Immo quemadmodum Doricas formas non solum in chorica carmina, sed in quibusdam vocabulis, ut in Ἀθάνα, etiam in iambos receperunt, aut quemadmodum e vetere dialecto σσ pro ττ servarunt, quidni eodem jure augmentum quoque inter-

dum omiserint? Sed sane talia non comparationis quadam probabilitate, verum auctoritate locorum corruptionis suspicione carentium firmari debent. Posset enim augmenti usus eamdem necessitatem habere in scriptoribus Atticis, quam νῷν, σφῷν, aut καλός, prima brevi. Sed si qua exempla neglecti augmenti occurrunt minime dubia, ea quo rariora sunt, hoc magis videndum est, ne nihil temere sit in hoc genere nullaque lege et conditione factum. Dicam, quid de hac re sentiam, non ut nunc rem conficiam, sed ut moram objiciam calidioribus conjecturis.

Illud primum quum ab aliis, tum a Porsono non satis accurate dictum est, tragicos nunquam omittere augmentum. Nam si augmentum non omittunt propter Atticam dialectum non latius hæc regula patebit, quam Atticæ dialecti in tragœdiis usus. Quamobrem in melicis carminibus, quæ Doricam linguam habent, non repugnabunt, credo, augmenti defensores, quo minus omitti queat. Id etiam Brunkius monuit ad αἱμάχθης in Sophoclis Ajace, v. 909. Sic Sophocles in Electra, v. 147. ἄραρεν prima et secunda brevi; v. 205. ἴδε; in Antigona, v. 949. ταμιεύσκε; v. 955. ζεύχθη; v. 963. παύεσκε; v. 779. κλαῖον; v. 984. τράφη; in Trachiniis, v. 834. τέκετο; in Ajace, v. 1201. νεῖμεν; in Philocteta, v. 682. ἐσίδον. Aliud exemplum idem poëta habet in Œdipo Rege, v. 1198. ubi φθίσας secunda persona est, non participium e præcedentibus pendens. Locus corruptissimus ita scribendus est:

τὸ σόν τοι παράδειγμ' ἔχων,
τὸν σὸν δαίμονα, τὸν σόν, ὦ
τλάμον Οἰδιπόδα βροτῶν,
οὐδὲν μακαρίζω,
ὅστις καθ' ὑπερβολὰν
τοξεύσας ἐκράτησε τοῦ
πάντ' εὐδαίμονος ὄλβου.
ὦ Ζεῦ, κατὰ μὲν φθίσας
τὰν γαμψώνυχα παρθένον
χρησμῳδόν, θανάτων δ' ἐμᾷ
χώρᾳ πύργος ἀνέστας.

Alia Æschylus exempla suppeditat, de quibus in adnotationibus ad hujus tragœdias exponam.

Sed videamus nunc iambos. In his si qua neglecti augmenti exempla occurrunt, ea equidem auctor sim ut quis ante accurate perpendat, quam emendando tollat. Non enim una omnium ratio est, ac fortasse, si alia requirunt emendationem, ab aliis eam abstinendum erit. Omissum erat augmentum olim in Hecuba, v. 578.

τοιάδ' ἀμφὶ σῆς λέγον
παιδὸς θανούσης.

Aliud hujus simillimum exemplum in Æschyli Persis est, v. 311.

οἵδε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον.

Utrumque exemplum magnam habet offensionem: cujus quidem caussam facile est intelligere. Nulla enim omittendi augmenti apparet necessitas: immo, si poëtæ illi sic scripsissent, merito imperiti haberentur, qui non potuissent aut alia aptiora verba, aut ordinem certe verborum commodiorem exquirere. Id animadvertit Porsonus, qui Euripidem scribere potuisse ait,

τοιάδ' ἔλεγον ἀμφὶ σῆς,

in Æschylo autem edidit,

οἵδε ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς.

Mihi quidem, etsi sic scribere potuerunt, non videntur tamen hoc facturi fuisse. Nam quum omnino cujusque dipodiæ prima arsis, ut ictu vehementior, tum tertiæ maxime, iis vocibus ac syllabis servanda est, quas sensus præcipue audiri postulat. Ne longius nunc digrediar, satis sit, hanc rem duobus exemplis firmasse. Euripides in Hecuba, v. 783.

τυχὼν δ' ὅσων δεῖ, καὶ λαβὼν προμηθίαν.

Æschylus in Prometheo, v. 1023.

οἷός σε χειμὼν καὶ κακῶν τρικυμία.

Quis non videat, quare sic maluerint scribere, quam hoc modo:

τυχὼν δ' ὅσων δεῖ, καὶ προμηθίαν λαβών.
οἷός σε χειμὼν καὶ τρικυμία κακῶν?

Quæ quum ita sint, neque in Euripide *τοιάδ' ἔλεγον ἀμφὶ σῆς*, quod mirifice placet Britanno Wakefieldii censori, neque in Æschylo *ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς* legendum erit. In Euripide quidem meliorem lectionem ipse Porsonus sequutus est. Æschyli locus, in quo illata a Porsono numerorum tenuitas multo minus quam in Euripide ferri potest, sic videtur scribendus esse:

πηγαῖς τε Νείλου γειτονῶν Αἰγυπτίου
'Αρκτεύς, 'Αδεύης, καὶ Φερεσσεύης τρίτος,
Φαρνοῦχος, ἠδὲ ναὸς ἐκ βαιᾶς πεσὼν
Χρυσεύς, Μάταλλος μυριόνταρχος θανὼν,
ἵππου μελαίνης ἡγεμὼν τρισμυρίας
πυρσὴν ζαπληθῆ δάσκιον γενειάδα
ἔτεγγ', ἀμείβων χρῶτα πορφυρᾷ βαφῇ.

In codice Guelferbytano propius veram lectionem est *πέσαν*. Constructio totius loci eadem est, quæ paullo post, v. 318. seqq. Sed, ut redeam ad augmentum, *λέγον* et *πέσον* propterea unicuique displicebunt, quod *ἔλεγον* et *ἔπεσον* facillime iambis aptari possunt. Hinc merito colligi posse videtur, si quando in iambis omiserint augmentum tragici, id eos non nisi in iis verbis facturos fuisse, quæ cum augmento aut non potuerint, aut ægre certe in iambicos numeros cogi. Id maxime usu venit in iis vocabulis, quæ si augmentum acciperent, habitura essent antispastum, aliosve ab iambico numero alienos pedes, ut *ἐπαίοντο*, *ἐθώϋξεν*. Æschylus in Persis, v. 413.

αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν ἐμβολαῖς χαλκοστόμοις
παίοντ', ἔθραυον πάντα κωπήρη στόλον.

Porsonus ibi *παισθέντ'* edidit. Sophocles in Œd. Col. v. 1623.

φθέγμα δ' ἐξαίφνης τινὸς
θώϋξεν αὐτόν.

In Trachiniis, v. 767.

ἱδρὼς ἀνῄει χρωτὶ καὶ προσπτύσσετο.

Euripides in Bacchis, notante Porsono, ter omisit augmentum. Loci sunt hi: v. 756. edit. Brunk.

νίψαντο δ' αἷμα, σταγόνα δ' ἐκ παρῇδων.

v. 1073.

σίγησε δ' αἰθὴρ, σῖγα δ' εὔλειμος νάπη.

v. 1123.

ἡ δ' ἴχνος αὐταῖς ἀρβυλαῖς· γυμνοῦντο δέ.

In his locis omnibus, et si qui horum similes occurrant, equidem nihil arbitror, nisi propter satis gravem librorum auctoritatem, mutandum esse.

Quod si in iambicis versibus metri caussa augmentum negligi potuit, multo magis eam licentiam in anapæstis concedendam fuisse patet, propterea quod in his ad metri necessitatem etiam orationis grandior quædam et a vulgari consuetudine remotior proprietas accedit. Ejusmodi est, quod ex quodam tragico habet Aristophanes in Pace, v. 1013.

ὀλόμαν, ὀλόμαν ἀποχειρωθείς,

cujus loci auctoritate recte Marklandus ex gemino ὠλόμαν in Iphig. Taur. v. 153. augmentum sustulit.

Hæc vero loca non habebunt eam vim, ut eorum auctoritate etiam in iis verbis augmentum omitti potuisse existimemus, quæ addito augmento commode possunt in iambis collocari. Cujusmodi exempla omnia, quotquot afferantur, quavis alia magis ratione, quam omissione augmenti, emendanda sunt. Tale est, quod Brunkius in Hecuba, v. 1176. restituendum putavit, ὄλοντο. Idem in Oreste, v. 499. edidit:

αὐτὸς κακίων γένετο μητέρα κτανών.

Ibi vulgo legebatur ἐγένετο. Verum quis non videat verborum

ordine mutato et numeros corrigi et augmentum servari posse? Id nunc Porsonum fecisse Britannus censor adnotavit. Nam ipsum Porsoni Oresten nondum vidi. In Andromacha, v. 953. Brunkius Musgravii conjecturam recepit:

φυλακὰς ἔχων οὐ μίμνον, εἶτ' αὐτοῦ μενεῖς,

ubi legatur ἔχων ἔμιμνον. Gravius in hoc loco vitium est, quod certa emendatione sanabimus:

φυλακὰς ἔχων ἔκαμνον,

*fatigabar observando.* Quod ad hunc Andromachæ locum Brunkius affert omissi augmenti exemplum e Sophoclis Philocteta, v. 371.

ὁ δ' εἶπ' Ὀδυσσεύς, πλησίον γὰρ ὢν κύρει,

in editione Sophoclis ipse sic correxit, ἦν κυρῶν.

Sed præterea aliud genus locorum est, in quo magis elegantia numerorum suadente, quam cogente metri necessitate, tragici augmentum videntur omisisse. De hac re infra explicabo, postquam Porsoni sententiam de anapæsto in iambis perpendero.

Etenim alia nunc nobis consideranda est Porsoni disputatio, quæ est de anapæsto in tragicorum trimetris. Eam sua scilicet sententia probavit censor Hecubæ Jenensis, qui quæ Porsonus de hac re scripsit, adeo negligenter legit, ut, quum ille anapæsti in tertia sede omnia exempla, quæ apud Æschylum et Sophoclem essent, afferre se dixisset, eum exempla attulisse narraret anapæsti omnino in quacumque impari sede collocati. In quibus quum tamen Promethei versum 953. desiderare se diceret, non solum iniquus fuit in Porsonum, qui hunc versum, in quo quinta sedes anapæstum habet, ne voluit quidem commemorare, sed se ipsum etiam ostendit parum esse in horum lectione tragicorum versatum, qui unum dumtaxat exemplum desideravit, ubi ex Æschylo, qui eum legerit, decem, duodecim e Sophocle afferre possit. Porsonus in iis, quæ de anapæsti usu disseruit, uti criticum acumen insigne, ita artis metricæ non eam ostendit peritiam, quæ ab Euripidis editore jure exspectari poterat. Afferam

ipsa ejus verba. Ubi dixerat, MSS. auctoritate, scriptorum citationibus, et criticis argumentis exemplorum, quæ pro anapæstis laudari solerent, numerum jam valde imminutum esse, *aliam*, inquit, *ipse rationem adjicio, quæ si vera est, omnes, opinor, anapæstum paribus senarii locis semper excludendum esse ultro agnoscent. Hanc rationem, non plane quidem novam, plerisque tamen ignotam, quam brevissime explicabo. Tantum scilicet abest, mea sententia, ut anapæstus pro secundo aut quarto pede ponatur, ut ne pro tertio quidem aut quinto substitui possit. Hoc de tertio pede si quis verum esse concedet, concedet a fortiori, ut logici dicunt, de quinto etiam verum esse. Dactylus enim, qui in tertia sede creberrime usurpatur, in quinta numquam apparet. Anapæstus igitur, si illa excluditur, hanc intrare non potest.* Deinde e sex versibus Æschyli et quatuor Sophoclis anapæstum tertii pedis tollit, idemque se facturum spondet in omnibus, quotquot occurrant, exemplis. Non nego, quos versus emendavit, egregie emendatos esse: illud autem magnopere vereor, ut omnia anapæstorum exempla tam facile corrigi possint. Sed quoniam non tam auctoritate scriptorum, quam artis regulis opinionem suam tueri studuit, hanc ipsam rationem, quam exposuit, perpendemus. Primum igitur quum ait, quod quis de tertio pede verum esse concedat, id eum a fortiori concedere etiam de quinto verum esse, id dupliciter falsum est, partim quod dactyli comparatio neque ad defendendum neque ad impugnandum anapæstum quidquam confert, partim quia anapæstus in tertia sede ægrius etiam, quam in quinta, ferri potest. Ordine singula exponam. Tertiæ et quintæ sedis hæc similitudo est, quod utraque in imparibus locis numeratur. Inde merito concluditur prorsus parem in utraque sede syllabarum mensuram pedumque rationem obtinere. Sed iidem loci duabus rebus differunt, altera, quod in tertia sede cæsura esse solet, altera, quod quinta sedes fini versus proxima est. Nunc vero in tertia sede frequenter dactylus reperitur, ut in Oreste, v. 11.

οὗτος φυτεύει Πέλοπα, τοῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ.

Hic autem pes cur nihil isto loco offensionis habet? Si quam offensionem haberet, ejus caussa non posset in prima syllaba latere, quæ quia anceps est, perinde ac brevis habetur; unde ne in spondeo quidem, cujus locum dactylus tenet, ulla offensio est. Ergo posteriores dactyli syllabæ continere deberent id, quod displicere in hoc pede posset. Si hoc ita est, eodem vitio laboraturus esset tribrachus, ut si Euripides in isto versu scripsisset:

οὗτος ἐφύτευσε Πέλοπα, τοῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ.

At hunc quoque pedem ubique in tertia sede sine ulla offensione collocari animadvertimus. Videamus nunc de dactylo in quinto pede, quem nusquam apud tragicos occurrere Porsonus dicit. Neque ego exemplum novi: quare exemplum petam ex Aristophane:

ἀλλ' εἴ τις ἐς Βακχεῖον αὐτὰς ἐκάλεσεν.

Cur autem hac in sede dactylus tragicis displicuit? Non magis hic, quam in tertia sede, poterit prima dactyli syllaba ejus rei caussam continere. Partim enim hic quoque ista syllaba, ut anceps, brevis syllabæ instar est, partim spondeus, cujus loco dactylus adhibetur, in quinta sede iambo etiam præfertur, ut Sophocles in Philoctete, v. 366. et 614. sic scribere mallet,

ἄλλος κρατύνει νῦν, ὁ Λαέρτου γόνος.
καὶ ταῦθ' ὅπως ἤκουσ' ὁ Λαέρτου τόκος,

quam Λαρτίου, quod alioqui frequentius a tragicis usurpatur. Igitur si in quinta sede non prima syllaba dactyli, sed duæ posteriores offensionem habent, tribrachus in ea sede non minus displiceat necesse est. Atque ita est. Quare perrara apud tragicos sunt tribrachi in quinta sede exempla. Æschylus non nisi tria habet, in Persis, v. 499. in Eumenid. v. 477. 794. Nam alia duo in eadem fabula, v. 777. et 807. quum sint melicis mixta, jure suo liberiores numeros habent. Tales trimetri in melicis antistrophicis etiam Sophocli restituendi sunt in Electra v. 126. et 142.

κακᾷ τε χειρὶ πρόδοτον; ὡς ὁ τάδε πορών.
ἐν οἷς ἀνάλυσίς ἐστιν οὐδεμία κακῶν.

Sophocles quidem in diverbiis tribrachum in quinta sede vix aliis in locis adhibuit, quam in his quinque, in Œd. R. v. 1496. in Electr. v. 326. in Philocteta, v. 1302. et 1327. in Antigona, v. 418.

τυφὼς ἀείρας σκηπτόν, οὐράνιον ἄγος.

Ἄγος hic, non ἄχος, scribendum. Cætera exempla corrupta sunt. Æschylus in Supplicibus, v. 274.

τῶνδε κἀπὶ τάδε κρατῶ.

Scribendum videtur,

τῶνδε κἀπὶ τὰ κρατῶ

In eadem fabula, v. 400.

νόμῳ πόλεως φάσκοντες ἐγγύτατα γένους
εἶναι.

Scribe:

νόμῳ πόλεως ἐγγύτατα φάσκοντες γένους
εἶναι.

Sophocles in Ajace, v. 459.

ἔχθει δὲ Τροία πᾶσα καὶ πεδία τάδε.

Non dubito, quin scripserit πέδον τόδε. Idem in Œd. R. v. 684. ubi Brunkius pro vulgata lectione,

ἀμφοῖν ἀπ᾽ αὐτοῖν; ναιχί. καὶ τίς ἦν λόγος;

male scripsit, καὶ τίς ὁ λόγος ἦν; V. 719.

ἔῤῥιψεν ἄλλων χερσὶν εἰς ἄβατον ὄρος,

Quis credat sic scribere Sophoclem maluisse, quam,

ἔῤῥιψεν ἄλλων χερσὶν ἄβατον εἰς ὄρος.

servato proprio accentu vocabuli *ἄβατον*, ut apud Æschylum,

> Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβατον εἰς ἐρημίαν.

V. 763.

> κἄπεμψ' ἐγώ νιν. ἄξιος γὰρ ὅδε γ' ἀνὴρ
> δοῦλος φέρειν ἦν τῆσδε καὶ μείζω χάριν.

Ita Brunkius edidit ex quinque codd. Duo alii *ὅδ' ἀνήρ*. Aldus et vulgatæ edd. *ὧδ' ἀνήρ*. Scholia Romana *ὅγ' ἀνήρ*. Ipsa hæc lectionis varietas locum corruptum esse ostendit. Ex adnotatione veteris scholiastæ, *οἷον τὸ αἴτημα οὐχ ὑπερέβαλε δοῦλον*, facile quis conjiciat Sophoclem scripsisse,

> ἄξιος γάρ, ὡς ἀνὴρ
> δοῦλος, φέρειν ἦν τῆσδε καὶ μείζω χάριν.

Ac possit etiam ad hanc conjecturam defendendam similis locus ex ejusdem fabulæ, v. 1117. afferri:

> ἔγνωκα γάρ, σάφ' ἴσθι· Λαΐου γὰρ ἦν,
> εἴπερ τις ἄλλος, πιστός, ὡς νομεὺς ἀνήρ.

Verum in neutro loco *ὡς* aptum videtur. In hoc quidem verba *ὡς νομεὺς ἀνὴρ* non solum quodammodo repugnant illis, *εἴπερ τις ἄλλος*, sed etiam per se continent minime idoneam sententiam. Cur enim fides pastorum minus firma sit, quam aliorum hominum? Quod ut in servos recentiorum Græcorum cadat, ab heroicis tamen temporibus alienissimum est. Non multum dissimilis est alterius loci ratio. Nam ut aliud servo, quam libero homini, præmium dari conveniat, nulla tamen caussa est, quare id hic commemoretur, ita ut verba *ὡς ἀνὴρ δοῦλος* nihil nisi inutile additamentum contineant. Quin omnino vocabulum *δοῦλος*, quomodocumque hic locus legatur, superfluum et ineptum est. Quæ quum ita sint, uterque locus emendatione indiget, quam perfacilem adhibebimus. Alter enim ita scribendus est:

> Λαΐου γὰρ ἦν,
> εἴπερ τις ἄλλος, πιστὸς ὤν, νομεὺς ἀνήρ.

In altero similis, sed paullo major, correctio facienda:

ἄξιος γὰρ ὢν ἀνὴρ
δῆλος φέρειν ἦν τῆσδε καὶ μείζω χάριν.

In eadem fabula, v. 967.

κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν; ὁ δὲ θανὼν
κεύθει κάτω δὴ γῆς.

Versus hic minime tragicus est. Scribendum,

κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν, ὃς θανὼν
κεύθει κάτω δὴ γῆς;

Ibidem, v. 1505. e Dawesii emendatione Brunkius dedit,

ὀλώλαμεν δύ' ὄντε, μή σφε περιΐδῃς,

pro παρίδῃς. Exempla verbi περιϊδεῖν iisdem in pedibus collocati, quæ Dawesius protulit, ex Aristophane petita sunt omnia. Quare vereor ne Sophocles scripserit,

ὀλώλαμεν δύ' ὄντε, μὴ περί σφ' ἴδῃς.

Simile est, si vera est Schützii conjectura, Æschyli illud in Eumenidibus, v. 114.

τῆσδε μὴ περὶ
ψυχῆς φρονήσατ', ὦ κατὰ χθονὸς θεαί.

Hujusmodi tmesin adhibuit Sophocles etiam in Antigona, v. 1107. et in Trachiniis, v. 1160. In Euripide denique qui tribrachi in quinta sede trimetrorum inveniuntur, in his quoque erunt, quos a Porsono sublatum iri spero. Unum nunc exemplum commemorabo, quod est in Phœnissis, v. 519.

ἀνανδρία γαρ, τὸ πλέον ὅστις ἀπολέσας
τοὔλασσον ἔλαβε.

Reponendum e quibusdam vett. edd.

ἀνανδρία γάρ, ὅστις ἀπολέσας πλέον
τοὔλασσον ἔλαβε.

Nunc autem ut redeam ad dactylum in quinta sede trimetrorum, hoc jam videor mihi ostendisse, haud multo minorem tribrachi in isto loco, quam dactyli offensionem esse. Ac ne quis forte miretur, quid sit, quod tribrachum raro, dactylum autem numquam, si vera est Porsoni observatio, ista in sede collocaverint tragici, ea minime dactyli culpa est. Nam quum plerique versus trimetri arsin quinti pedis solutam habentes vocabulo quadrisyllabo finiantur, prima syllaba quinti pedis, si is pes dactylus esset, in fine vocabuli futura esset. Atqui vocabulum longa syllaba finiens isto quidem in loco evitatur, cujus rei argumenta exposuimus ad Hecubæ, v. 341. Quare quid mirum est, si in tanta paucitate tragicorum trimetrorum quintam arsin solutam habentium, nullus reperitur, in quo dactylus istam sedem teneat?

Ostendimus hactenus parem esse dactyli ac tribrachi offensionem in quinta sede. Cur autem hoc in loco isti pedes improbantur, non item in sede tertia? Nimirum properante ad finem numero solutio longæ syllabæ hoc magis in tragico versu displiceat necesse est, quo ægrius exhaustis jam pulmonibus in fine versuum celeritas et vis numeri augetur. Eadem in omni genere versuum caussa est, quare in fine multo minor sit, quam in principio, permutationis longarum et brevium syllabarum libertas.

Accedo nunc ad anapæstum. Si dactyli in tertia et quinta sede non est alia, quam tribrachi ratio, patet jam vehementer imminutam esse vim illius argumenti, quo anapæstus comparatione dactyli impugnatur. Nam in dactylo mensura certe syllabarum eadem est, quæ in anapæsto; in tribracho autem moræ tres tantum reperiuntur. Sed ut discedam a tribracho, quid est omnino, quo anapæstus recte possit cum dactylo comparari? Scilicet in hac re magna cernitur metricorum imperitia, qui moras et syllabas numerare, quam numerum expendere satius duxerint. Dactylus in locis paribus nusquam, in imparibus ubique locum habet. In his enim prima syllaba incertæ mensuræ est, quod hanc vim habet, ut ea syllaba, quacumque mensura sit, instar brevis syllabæ esse censeatur. Quamobrem

dactylus eodem prorsus jure in imparibus locis adhibetur, quo spondeus. Nam sicubi vitatur, id non fit, quia eversurus esset numerum, sed quia minus elegantem numerum reddit, ut in quinta sede. Anapæsti longe diversa ratio est. Hic pes enim semper et ubique evertit numerum iambicum, quia nulla omnino via excogitari potest, qua per numeri quidem leges anapæstus iambi vicem sustinere queat. Quod si quis forte censeat in imparibus locis pro spondeo, qui mensura par anapæsto est, anapæstum adhiberi posse, vana hæc et inepta ratio fuerit. In spondeo enim, quem impares loci admittunt, prior syllaba anceps, i. e. instar brevis syllabæ, quæ iambi propria est, esse censetur. Quam syllabam qui solveret in duas breves, ea ipsa solutione aut longam esse fateretur, non ancipitem, i. e., correptæ loco habendam, aut, si ancipitem haberi vellet, unius brevis syllabæ loco duas breves adhiberi posse censeret, quod absurdum est. Quamobrem per numeri quidem iambici legem ista syllaba non magis solvi potest, quam ultima in versibus trochaicis acatalecticis, quæ ubi longa est, non est longa, quia solvi possit, sed propter plane contrariam caussam, quia mensuræ ejus nulla ratio habetur. Aliter non posset brevis syllaba ejus loco usurpari. Quæ quum ita sint, omnis ratiocinatio, qua ea, quæ dactylorum usui propria sunt, ad anapæstos transferuntur, falsa sit necesse est. Hoc igitur est primum, in quo peccavit Porsonus.

Nunc ostendam anapæstum in tertia sede ægrius etiam, quam in quinta, tolerari. Si e dactylis non licet anapæstorum usum explicare, quid est, quo anapæsti, quos modo demonstravimus iambico numero repugnare, defendi queant? Nihil sane hic reliquum est, nisi ut ad licentiam confugiamus, quæ pedem mensura quidem diversum ab iambo, sed numero tamen ei persimilem, propter celeritatem pronunciationis, qua occultari quodammodo potest, in iambicis versibus admiserit, ultima dumtaxat sede excepta, in qua debilitatis jam numeri viribus voci pariter atque auribus molesta foret numeri perversitas. Quæ quum ita sint, nulla prorsus caussa est, quare imparibus locis præ paribus aliqua prærogativa concedatur. Nec sane eam dari videmus

in comicorum trimetris, qui, præterquam in ultima sede, anapæstum in locis omnibus recipiunt, quum dactylum a paribus excludant. Sed quum anapæsti usus in iambicis versibus licentiæ cuidam debeatur, merito quæri poterit, an tragici eum pedem omnino admiserint, aut, si eum admisere, qua lege et cautione id fecerint. Parium atque imparium locorum hic nulla ratio haberi poterit, quia, ut patet ex iis, quæ supra disputavimus, anapæstus non spondei, sed iambi locum obtinet. Itaque hoc reliquum est, et propter caussam contrariam ei caussæ, ob quam ab ultima sede excluditur, in reliquis sedibus recipi existimetur. Quod si ab ultima sede propter numerorum in isto loco debilitationem arcetur, consequens est, ut ibi admitti possit, ubi integræ adhuc vires numerorum sunt. Habet autem unusquisque versus maximas numeri vires tum in ipso initio, ubi pleni adhuc spiritu pulmones sunt, tum in iis locis, ubi novi numerorum ordines incipiunt, ob eamque rem reficienda et colligenda vox est. Hæc si vera sunt, omnibus in locis trimetrorum, si ab sexta sede discesseris, anapæstus commode collocabitur, sed non in uno eodemque versu. Loquor autem de tragico tantum trimetro. Nam pro diversa ordinum distributione aut in primo et quarto loco, aut in primo et in tertio et in quinto simul concedetur anapæstus. Quadruplex enim est ordinum in trimetris iambicis divisio, aut hæc, quæ plerumque obtinet,

⏑ –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | – ⏑ –

Euripides in Oreste, v. 65.

Μενέλαος ἀγαγὼν Ἑρμιόνην Σπάρτης ἄπο.

aut hæc,

⏑ –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ –

idem ibidem, v. 23.

Χρυσόθεμις, Ἰφιγένειά τ', Ἠλέκτρα τ' ἐγώ.

et Sophocles in illo,

τέκνον τυφλοῦ γέροντος Ἀντιγόνη, τίνας.

aut hæc,

⏑ –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ –

aut denique hæc,

⏑ –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ –

In quibus formis etsi nulla est, quæ principium ordinis in secunda sede habeat, poterit tamen in hac quoque sede anapæstus eo excusari, quod primus versuum ordo, quo pleniore spiritu profertur, eo facilius paullo majorem numeri vehementiam admittat, ut in hoc Æschyli versu,

ἑκατοντακάρανον πρὸς βίαν χειρούμενον.

Hæc si vere disputata sunt, clarum esse arbitror, ex numeri quidem legibus nullum peti argumentum posse, quo anapæsti aliis tragicorum trimetrorum sedibus, si ultimam exceperis, adjudicentur, ab aliis autem arceantur. Quod si tamen numerus ipse anapæstum ab una quinque priorum sedum magis, quam a cæteris, removeri postulat, erit ea non quinta sedes, ut videtur Porsono, sed tertia. Quintæ enim sedis prorsus eadem ratio est, quæ est primæ, secundæ, quartæ. Sola tertia eo a cæteris differt, quod in eam incidere solet cæsura. Ac sane si in ista sede ejusmodi anapæstus est, cujus ultima syllaba vocabulum inchoat, pejor videtur esse, quam si totus in eodem vocabulo est. Nam quum singuli versuum ordines quasi pro totidem versibus habeantur, violaretur ea re lex ista, quæ syllabas ancipites in fine versuum atque ordinum solvi prohibet, ut in illo Æschyli versu, quem cum aliis attulit Porsonus,

εἴπερ φιλόξενός ἐστιν Αἰγίσθου βία.

Qui si in ordines suos distribuitur, primus ordo, qui trochæo finiri debebat, prorsus contra morem dactylo finietur,

εἴπερ φιλόξενός | ἐστιν Αἰγίσθου βία.

Id vitium abest, si anapæstus est in integro vocabulo, ut in hoc exemplo Euripidis,

Χρυσόθεμις, 'Ιγένειά τ', 'Ηλέκτρα τ' ἐγώ,

qui versus non pravam, sed, ut multi, nullam habet cæsuram. Quamquam, si modo ejusmodi versus, ut iste Æschyli est, occurrerent, non minus possent ex illorum numero eximi, qui usitatam cæsuram habent.

Hæc omnia eo consilio disputavi, ut Porsoni argumenta falsa esse ostenderem. Qui quoniam argumentis opinionem suam muniendam putavit, ego mihi idem faciendum censui, ne isti, qui unice ex nutu atque auctoritate clarorum hominum pendent, ea, quæ non intellexissent, probare, quam ipsi rem cognoscere ac judicare mallent. Nunc dicam de re ipsa. Ex iis, quæ supra disputavi, clarum esse arbitror, nihil interesse, qua in sede trimetri anapæstus occurrat. Itaque etiam si omnia anapæsti in tertia sede collocati exempla corrupta sunt, hinc non poterit colligi, illos quoque versus emendari debere, qui in aliis sedibus anapæstum habeant. Immo hoc erit quærendum, utrum hic pes propter ipsam naturam suam, an propter alias caussas, quæ non sunt in ipsa hujus pedis natura sitæ, e tragicorum trimetris ejiciendus sit. Ac quod ad ipsam anapæsti naturam attinet, quamquam fatendum est, eum pedem non satis aptum esse ad gravitatem tragici trimetri, nemo tamen negare poterit, eum non prorsus abhorrere ab hoc genere numerorum, quum frequentissime in nominibus propriis occurrat. Etenim si anapæsti e tragicorum trimetris omnino excludendi essent, ne in propriis quidem nominibus sine numerorum detrimento adhiberi possent. Quod si quando poëtæ hujuscemodi nominum commemorationem subterfugere non possent, aut signis fuisset utendum, quod fecit Horatius in Equo Tutico,

oppidulo, quod versu dicere non est,

aut nomina magis versui, quam versus nominibus, aptari debuissent, cujusmodi putantur esse illa Æschyli, Ἱππομέδοντος et Παρ-

θενοπαῖος, secunda syllaba producta. Atqui hæc perrara sunt; illud frequentissimum atque extra omnem dubitationem positum, anapæstum in nominibus propriis ab nulla sede tragici trimetri, nisi a postrema, abhorrere.

Quod si anapæstus ferri tamen in tragicorum trimetris potest, omnis disputatio eo redit, ut, quando possit ferri, quando non possit, constituatur. Duo sunt, quæ ad hanc quæstionem vulgo responderi solent. Primum, in prima sede trimetrorum quæcumque verba recipere anapæstum, quia plenior in versus initio vox graviorem pedem facile sustineat. Eam non satis aptam rationem esse vel ex eo patet, quod si vera esset, etiam trochaici versus in prima sede dactylum recipere deberent. Deinde in nominibus propriis ubicumque, præterquam in ultima sede, anapæstum adhiberi posse dicunt, quia hæc mutare poëtis non liceat. Ne hoc quidem accurate dicitur. Nullam enim, ut supra dixi, nomina propria necessitatem admittendi anapæsti afferre possent, nisi ejus pedis adhibendi veniam etiam absque nominibus propriis dari necesse esset. Quæ quum ita sint, proprius veritatem, puto, accedemus, si anapæstum, ut gravitati numerorum repugnantem, hac lege et conditione a tragicis improbatum contenderimus, eum ut non nisi magna quadam necessitate cogente admiserint. Hæc vero necessitas cujusmodi sit, clarius explanandum est. Nam etiam malos poëtas magna necessitas cogit mala poëmata facere: cujus rei luculentus testis est ipse Euripides. Ac facile patet, si qua sit anapæsti adhibendi necessitas, eam in hoc solo positam esse debere, ut hic pes in iis vocabulis insit, quorum usum evitare non liceat. Atqui horum vocabulorum duo genera sunt; alterum, quod nomina propria complectitur; idque frequentissimum est; alterum, quod a vi et virtute poëtica eam habet commendationem, ut is ineptus fuerit poëta, qui numerorum elegantiam pluris, quam sententiæ gravitatem, æstimaverit. Non quæro nunc, an hujusmodi exempla occurrant. Satis est, posse occurrere. Nam in stabiliendis legibus unice, quid possit fieri, spectandum est: quod qui improbant, quia factum non viderint, nihil usquam certi reperient. Si inveniuntur hujus generis exempla, non

posse non rarissima esse patet. Quippe in tantis Græcæ linguæ divitiis, si quod vocabulum minus commodo numero esse videatur, facile aliorum adest aptiorum copia. Nihilominus fieri interdum potest, ut ex omnibus, quotquot exstent, vocabulis unum dumtaxat sit, quod recte satis et commode adhibeatur. In quo si sit anapæstus, quis eo magnopere offendatur? Si exempli caussa non posset adhibere ἑκατόγκρανος, non ἑκατοντάκρανος, non alia idem significantia vocabula, num idcirco dubitandum esset, quin Æschylus scribere potuisset,

ἑκατοντακάρανον, πρὸς βίαν χειρούμενον?

Sed videamus nunc, sive in propriis nominibus, sive in aliis vocabulis anapæstus admittatur, qualia esse ista verba debeant, quæ sine offensione recipiant anapæstum. In qua re parum accuratos fuisse viros doctos animadverto. Etenim si necessitate tantum cogente anapæstum tragici admiserunt, ea demum vere necessitas dici poterit, quæ ne apta quidem collocatione verborum tolli anapæstum patitur. Sic Æschylus in Prometheo, ἰσθμόν, inquit,

Κιμμερικὸν ἥξεις, ὃν θρασυσπλάγχνως σὲ χρή.

Maluit enim hoc nomen Κιμμερικὸν ita collocare, ut vitaret anapæstum. Imperitius ergo videatur scripsisse Euripides in Iph. Taur. v. 1457.

Ἄρτεμιν δέ νιν βροτοὶ
τὸ λοιπὸν ὑμνήσουσι ταυροπόλον θεάν,

quum sine anapæsto dicere liceret,

ταυροπόλον ὑμνήσουσιν ὕστερον θεάν.

Non magis tamen eum reprehenderim, quod anapæstum prætulerit, quam Æschylum, qui in Septem c. Theb. hoc habet,

ἀλκήν τ' ἄριστον, μάντιν, Ἀμφιάρεω βίαν,

quum alibi Ἀμφιάρεω in quinque syllabas porrectum sine anapæsto occurrat. Nimirum quam supra commemoravi necessitatem adhibendi anapæsti, ea duabus regulis continetur, quarum

quæque, si aliquam habet exceptionem, unam tantum habere videtur. Prima regula ad primam sedem, altera ad sedes reliquas spectat.

Atque in primo pede, in quo frequentissimus est anapæstus, hæc lex obtinet, ut istæ syllabæ, e quibus constat anapæstus, omnes ejusdem vocabuli sint, ut in initio Hecubæ:

> Πολύδωρος Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως,
> Πριάμου τε πατρός.

Etenim si e pluribus vocabulis hic pes constaret, merito imperitia objici posset poëtis, qui apta verborum collocatione anapæstum vitare nescierint. Nusquam hujus inscitiæ rei sunt Æschylus aut Sophocles. Apud Æschylum nonnisi unum exemplum occurrit in Prometheo, v. 395.

> ὁ τετρασκελὴς οἰωνός.

Verum id Brunkio debetur, qui ex uno codice articulum addidit, numeris et sermone Æschyli repugnantibus. In Sophocle quinque exempla exstant, quæ non minus vitiosa lectione laborant. In Œd. Col. v. 1360.

> οὐ κλαυστὰ δ' ἔστιν, ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οἰστέα
> τάδ', ἕωσπερ ἂν ζῶ σοῦ φονέως μεμνημένος.

Ἕωσπερ bene Brunkius restituit pro vulgato ὥσπερ, sed totum locum sic edere debebat:

> οὐ κλαυστὰ δ' ἔστιν, ἀλλ' ἐμοὶ τάδ' οἰστέα,
> ἕωσπερ ἂν ζῶ σοῦ φονέως μεμνημένος.

In Electra, v. 4.

> τόδε γὰρ παλαιὸν Ἄργος, οὑπόθεις· τόδε
> τῆς οἰστροπλῆγος ἄλσος Ἰνάχου κόρης.

Hic quoque malam lectionem Brunkius prætulit meliori,

> τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος, οὑπόθεις, τόδε.

In Ajace, v. 571.

> μέχρις οὗ μυχοὺς κίχωσι τοῦ κάτω θεοῦ.

Alii *μέχρις ἂν*: et sic affert Valkenarius ad Hippol. 1442. Μέχρις non memini alibi legere apud tragicos. Manifesta adnotatio interpretum. Scribe:

ἔς τ' ἂν μυχοὺς κίχωσι τοῦ κάτω θεοῦ.

In Philocteta, v. 794.

πῶς ἂν ἀντ' ἐμοῦ
τὸν ἴσον χρόνον τρέφοιτε τήνδε τὴν νόσον.

Patet delendum esse articulum. In eadem fabula denique, v. 1300.

ἆ ἆ μηδαμῶς.

Scribe,

ἆ, μηδαμῶς.

Vel ex hac observatione clarum est, οἴ ἐγώ, quod sæpissime in principiis trimetrorum occurrit, scribendum esse οἴ 'γώ. Id quum in Æschylo fecisset Porsonus, miror quid sit, quod in Hecuba οἲ ἐγὼ prætulerit, Brunkii more, qui hanc scripturam defendit ad Persas Æschyli, v. 515. et ad Sophoclis Electram, v. 674. At enim neque corripiunt Attici poëtæ diphthongos in iambis, neque hiatum tolerant, nisi in longa ictuque acuta syllaba, idque ipsum in solis epiphonematibus. Hinc in Aristophanis Pluto, v. 785. scribi debet ἐνδεικνύμενος. Igitur οἴ ἐγὼ ubi occurrit, diphthongus longa est, ut in Æschyli Agamemnone, v. 1269. Locus iste ita scribendus:

παπαῖ, οἷόν μοι πῦρ ἐπέρχεται τόδε;
ὀτοττοτοῖ,
Λυκεῖ' Ἄπολλον· οἴ ἐγώ, οἴ ἐγώ.

Antistrophica enim sunt, quibus respondent hi strophici versus:

ἰού, ἰού,
ἰὼ ἰώ μοί μοι, ἰὼ ἰὼ κακά,

quæ e v. 1226. transferenda sunt ante hunc,

ὁρᾶτε τούσδε τοὺς δόμοις ἐφημένους.

Similiter incredibili socordia criticorum factum est, ut in eadem fabula ἰού, ἰού, quod v. 25. legitur, non collocaretur ante illa, ὦ χαῖρε λαμπτὴρ νυκτός. Supra dixi hanc regulam, ne anapæstus in prima sede plura vocabula contineat, non videri sine quadam exceptione esse. Ea exceptio, si qua est, in præpositionis usu posita videtur. Nam quum præpositio plerumque necessario ante id nomen, quod regit, collocari debeat, propemodum præpositio cum nomine conjuncta unius verbi vice fungitur. Ejusmodi exempla solus Euripides suppeditat. Quæ si sana sunt, nihil equidem mirer. Nam Euripides quemadmodum aliis omnibus, quæ in poëta requiruntur, virtutibus Æschylo et Sophocli plurimum cedit, sic etiam numeros adeo tenues et satyricorum versuum levitati propinquos habet, ut vel in una ejus fabula major tribrachorum in trimetris copia, quam in universis Æschyli, reperiatur. Exempla anapæsti in prima sede trimetrorum non uno vocabulo inclusi equidem in Euripidis tragœdiis hæc observavi: in Oreste, v. 889. ἐπὶ τῷδε; v. 1330. περὶ τοῦ; in Alcestide, v. 385. ἐπὶ τοῖσδε; in Iphig. Aul. v. 646. παρ' ἐμοί; in Bacchis, v. 494. παρ' ἐμοί; v. 1180. ἐπὶ θῆρα; v. 1236. ἐπὶ δαῖτα: in Helena, v. 837. ἐπὶ τοῖσδε; in Herc. Fur. v. 935. ἐπὶ τοῖσι. Alia vix occurrent. Nam in Ionis, v. 1342.

ὁ θεός σ' ἐβούλετ' ἐν δόμοις ἔχειν λάτριν,

non magis anapæstus est, quam in Oreste, v. 393.

δεινὴ γὰρ ἡ θεός, ἀλλ' ὅμως ἰάσιμος.

Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, manifestum est, anapæstum ne in prima quidem sede, nisi necessitate jubente, adhiberi. Hinc merito videtur quæri posse, si augmenti accessio anapæstum pariat, utrum anapæstus augmento, an augmentum anapæsto cedere debeat. Anapæstum si prætulissent poëtæ, mirum est, quod fere solent præcedentem versum longa vocali aut diphthongo finire, quo elidatur augmentum. Sic Sophocles in Œd. R. v. 1244.

πύλας δ', ὅπως εἰσῆλθ', ἐπιῤῥήξασ' ἔσω,
'κάλει τὸν ἤδη Λάϊον πάλαι νεκρόν.

In Œd. Col. v. 1596.

κοίλης τ' ἀχέρδου, κἀπὸ λαΐνου τάφου,
'καθέζετ'· εἶτ' ἔλυσε δυσπινεῖς στολάς.

In Electra, v. 714.

κόνις δ' ἄνω
'φορεῖθ'· ὁμοῦ δὲ πάντες ἀναμεμιγμένοι.

In Trachiniis, v. 917.

ὅπως δ' ἐτέλεσε τοῦτ' ἐπενθοροῦσ' ἄνω
'καθέζετ' ἐν μέσοισιν εὐναστηρίοις.

Euripides in Bacchis, v. 717.

οὐδὲν δ' ἦν ἀκίνητον δρόμῳ.
'κύρει δ' Ἀγαυὴ πλησίον θρώσκουσά μου.

In Hercule Furente, v. 455.

οὓς πανύστατ' ὄμμασιν προσδέρκομαι.
'τέκον μὲν ὑμᾶς, πολεμίοις δ' ἐθρεψάμην.

Quæ quum ita sint, veri mihi videtur simillimum, si alibi omiserunt augmentum tragici, idem eos facturos fuisse vitandi anapæsti caussa, ubi augmenti elidendi nulla copia esset. Sic igitur Æschylus in Prometheo, v. 288.

ὅπως τάχιστα τὸν πατρῷον ἐς θρόνον
καθέζετ', εὐθὺς δαίμοσιν νέμει γέρα.

In Persis, v. 373.

ναυβάτης δ' ἀνὴρ
τροποῦτο κώπην σκαλμὸν ἀμφ' εὐήρετμον.

v. 455.

ἀμφὶ δὲ
κυκλοῦντο πᾶσαν νῆσον.

v. 503.

μέσον πόρον διῆκε, θερμαίνων φλογί·
πίπτον δ' ἐπ' ἀλλήλοισιν.

Ibi Porsonus ἔπιτνον ex conjectura dedit. Sophocles in Œdipo Rege, v. 1248.

> τοῖς οἷσιν αὐτοῦ δύστεκνον παιδουργίαν
> γοᾶτο δ' εὐνάς.

In Œdipo Coloneo, v. 1605.

> κοὐκ ἦν ἔτ' ἀργὸν οὐδὲν ὧν ἐφίετο,
> κτύπησε μὲν Ζεὺς χθόνιος.

Euripidis in Phœnissis, v. 72.

> ἐπεὶ δ' ἐπὶ ζυγοῖς
> καθέζετ' ἀρχῆς, οὐ μεθίσταται θρόνων.

In Bacchis, v. 1054.

> κατῆγεν, ἦγεν, ἦγεν εἰς μέλαν πέδον.
> κυκλοῦτο δ', ὥστε τόξον, ἢ κυρτὸς τροχός.

Ibidem, v. 1284.

> ἡμεῖς δ' ἐκεῖσε τίνι τρόπῳ κατήραμεν;
> μάνητε, πᾶσά τ' ἐξεβακχεύθη πόλις.

Ab his locis ut anapæstum arceamus, suadet numerorum gravior incessus; suadet librorum veterum consentiens auctoritas, in Phœnissarum versu etiam Eustathii citatione confirmata; suadent denique et pronunciationis elegantia, et illorum comparatio locorum, in quibus augmentum elisum reperitur. Nam quid est, quare major pars horum verborum augmenti accessione molestiorem pronunciationem accipit, ut ἐτροποῦτο, ἐκυκλοῦντο, ἔπιτνον, ἐκτύπησεν, nisi ea res ipsa indicio est, breviorem formam, quæ commodius pronunciatur, prælatam a poëtis fuisse? Deinde autem, si Æschylus et Euripides ἐκαθέζετο dixerunt, cur tandem Sophocles curavit, ut augmentum elideret, quod quare faceret, nulla caussa erat, si ei anapæstus placeret? Ex his igitur argumentis jure mihi videtur colligi posse, anapæstum in trimetris, qui augmenti accessione nasceretur, a tragicis improbatum fuisse.

Explicabo nunc alteram regulam adhibendi anapæsti, quæ ad anapæstum in mediis trimetris spectat. Ea omnes anapæsti syllabas in uno, eoque tali vocabulo esse jubet, in quo anapæstum longa syllaba præcedat, ut Ἀντιγόνη, Ἀμφιάραος, et similia. Nam sive aliæ anapæsti syllabæ in alia vocabula inciderent, sive aut nulla, aut brevis syllaba in eo vocabulo, in quo est anapæstus, præcederet, perita collocatione verborum pes iste vitari posset. Sic si in medio versu prima pars nominis Ἀγαμέμνων anapæstum haberet, is magnam argueret poëtæ inscitiam, qui hunc pedem tollere nescisset collocanda ante hoc verbum brevi syllaba. Idem accideret, si genitivi Ἀγαμέμνονος duæ postremæ syllabæ ad primam anapæsti partem adhiberentur, qui pes, si syllaba a consonante incipiens sequeretur, facillime posset removeri. Quod si denique brevis syllaba in eodem vocabulo, in quo anapæstus est, hunc præcederet, eam si longa antecederet, ut in quinquesyllabo, Ἀμφιάρεω, sponte tolleretur anapæstus; si brevis antecederet, ut in hoc, Νεοπτολέμῳ, aut dactylus necesse esset, aut tribrachus præcederet anapæstum. Atqui si eum dactylus præcederet, prorsus everteretur numerus iambicus, ut in tali versu:

Ἀχιλλέως δὴ Νεοπτολέμῳ λέγω τάδε.

Sin autem tribrachus præcederet, anapæstus in aliam sedem transferretur, ut in hujusmodi exemplo,

Ἀχιλλέως δὲ Νεοπτολέμῳ λέγω τάδε.

Hic enim versus, ut ne eodem vitio, quo alter, laboraret, sic metiendus foret, ut in libro de Metris II. cap. xiv. demonstravi,

Ἀ | χιλλέ | ως δὲ Νε | οπτολέ | μῳ λέ | γω τά | δε,

id est e vulgata pedum descriptione,

Ἀχιλ | λέως | δὲ Νέοπτο | λέμῳ | λέγω | τάδε.

Proceleusmaticus ergo in tertia sede esset, qui par est anapæsto. Quod etsi recte fit in comicorum trimetris, non potest tamen in

tragicis versibus fieri, si collocatione verborum pes iste removeri potest. Quamobrem apud Sophoclem in Philoctetæ v. 241.

> Ἀχιλλέως Νεοπτόλεμος. οἶσθα δὴ τὸ πᾶν,

Νεοπτόλεμος primas syllabas contractas habet, ut apud Euripidem in Androm. v. 14. in Troad. v. 1116.

Quæ hactenus disputavi, si vera sunt, corrupta haberi oportebit exempla, quæ isti regulæ repugnant. Nullum exstat in Æschylo, duo in Sophocle, plura in Euripide. Sophocles in Ajace, v. 1008.

> ἦ που Τελαμών, ὁ σὸς πατήρ, ἐμός θ' ἅμα,
> δέξαιτ' ἂν εὐπρόσωπος ἵλεώς τ' ἴσως.

Sic quidem Brunkius edidit: verum ipse fatetur, numerosius esse, quod Toupio magis placuerit,

> ἦ πού με Τελαμών, σὸς πατήρ, ἐμός θ' ἅμα.

In Philocteta, v. 793.

> ὦ διπλοῖ στρατηλάται,
> Ἀγάμεμνον, ὦ Μενέλαε, πῶς ἂν ἀντ' ἐμοῦ
> τὸν ἴσον χρόνον τρέφοιτε τήνδε τὴν νόσον.

In his præter malos numeros quænam hæc, obsecro, inepta orationis figura est, Ἀγάμεμνον, ὦ Μενέλαε? Quasi quid sit, quod Menelaum magis, quam Agamemnonem abominetur Philoctetes. Scribendum:

> ὦ διπλοῖ στρατηλάται,
> πῶς ἄν, Ἀγάμεμνον, καὶ Μενέλεως, ἀντ' ἐμοῦ
> ἴσον χρόνον τρέφοιτε τήνδε τὴν νόσον.

Ex Euripide quæ proferri possunt exempla, partim manifesto corrupta, partim dubia, partim integra sunt. Nam ut in prima sede Euripides anapæstum, qui non in uno verbo esset, adhibuisse videtur, ita quid obstat, quo minus etiam in medio versu imperitius anapæstum collocasse censeatur? Etenim nullo pacto fracti et perpluentes Euripidis versus ad Æschyli sonoram

grandiloquentiam, aut Sophoclis nobiles numeros æquiparari possunt. Quare si hic quædam sibi indulsit, quæ peritiores vitare sciebant, satis habebimus eum reprehendere, quod invitis Musis ad poësin accesserit. Ita quem non offendat illud, quod in Helena scripsit, v. 87.

ὄνομα μὲν ἡμῖν Τεῦκρος· ὁ δὲ φύσας πατὴρ
Τελαμών· Σαλαμὶς δὲ πατρίς, ἡ θρέψασά με.

Nec tamen licebit corrigere, donec aliquis ostenderit quo pacto Σαλαμὶς ultimam brevem habere possit. Dubium est, quod legitur in Iphig. Aul. v. 1603.

πέμπει δ' Ἀγαμέμνων, ὥστε σοι φράσαι τάδε,

Quod in Æschylo aut Sophocle si legeretur, non dubitarem Ἀτρείδης reponere. Alia duo exempla exstant in Electra. v. 314. seqq.

μήτηρ δ' ἐμὴ Φρυγίοισιν ἐν σκυλεύμασιν
θρόνῳ κάθηται, πρὸς δ' ἕδραις Ἀσιήτιδες
δμωαὶ στατίζουσ', ἃς ἔπερσ' ἐμὸς πατήρ.

Nimia profecto inscitia, si sic scripsisset. Reponendum videtur:

μήτηρ δὲ Φρυγίοις ἐν σκυλεύμασιν θρόνῳ
ἐμὴ κάθηται, πρὸς δ' ἕδραισιν Ἀσίδες
δμωαὶ στατίζουσ', ἃς ἔπερσ' ἐμὸς πατήρ.

Similiter in trochaico versu dactylum habet in Oreste, v. 1550.

ξύγγονόν τ' ἐμήν, Πυλάδην τε τὸν τάδε ξυνδρῶντά μοι.

Quid, quæso, est, si hoc nomen Πυλάδης alienum pedem inferre potest, quare idem alia similia verba, quæ non sint nomina propria, facere nequeant? Sic quidem defendi posset, quod vulgo legitur in Phœnissis, v. 621.

καὶ σύ, μῆτερ; οὐ θεμιτόν σοι μητρὸς ὀνομάζειν κάρα.

Hic quidem non dubium est, quin dederit:

καὶ σύ, μῆτερ; οὔ σε θεμιτὸν μητρὸς ὀνομάζειν κάρα.

In Oreste autem vereor ne vulgata lectio genuina sit. At non debebat tamen ita scribere, quum sic posset, si nihil aliud succurreret:

ξύγγονόν τ' ἐμήν, τάδε Πυλάδην τε τὸν ξυνδρῶντά μοι.

Nam nec τὲ post duo demum verba prorsus inusitatum est, de quo dixi ad Hecubæ, v. 77. et cæsuræ violatio exempla habet in Persis Æschyli, v. 163. et in Philocteta Sophoclis, v. 1402.

Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, hoc consequitur, quotquot in tragicorum trimetris anapæsti occurrant, qui non toti sint in medio nominum propriorum, aliarumve inevitabilium vocum, eos, ut manifesto vitiosos, emendatione opus habere, nisi si quando Euripides nomina propria, in quibus vitari anapæstus poterat, imperite collocavit. Istiusmodi illa Æschyli et Sophoclis exempla omnia sunt, in quibus Porsonus præclara opera anapæstum e tertia sede sustulit. Horum unus tantum est, in quo de Porsoni emendatione dubitari possit, Sophoclei Ajacis, v. 524. Eum codex Augustanus is, cujus non sane omnes lectiones memoravit Brunkius, ita exhibet:

οὐκ ἂν γένοιτ' ἔθ' οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ.

Et scholion additum: οὗτος γὰρ οὐκ εἰς τὸ ἑξῆς γενναῖος νομισθείη. ἔστι γὰρ τοῦτο ἀγνώμονος. Eadem ferme in vulgatis scholiis exstant. Quæ reliqua exstant in his scriptoribus viginti exempla et duo anapæsti non in nomine proprio adhibiti, ex iis duo tantum sunt, quæ dubitare possis an non sint corrupta. Utrumque est in Persis Æschyli, v. 1032. et 1046. De v. 1046. primo dicam. Is hic est:

καὶ στέρν' ἄρασσε, κἀπιβόα τὸ Μύσιον.

Atque etsi non sum nescius, Eustathium ex Æschylo afferre βόα τὸ Μύσιον, non repugnat tamen κἀπιβόα regulæ isti, quæ anapæstum in medio vocabulo, eumque inevitabilem requirit. Sumam igitur Æschylum κἀπιβόα scripsisse. Num enim propterea hunc anapæstum improbabimus, quia non est in nomine proprio? At certe simile est illud Euripidis, quod supra attuli,

τὸ λοιπὸν ὑμνήσουσι ταυροπόλον θεάν.

Medium certe est ταυροπόλος inter nomina propria et alia verba: atque adeo qui in eo nomine anapæstus est, mutanda verborum collocatione tolli poterat. Ergo in hoc exemplo, κἀπιβόα, non anapæstus poterit reprehendi, sed illud erit vituperandum, quod poëta vocabulum adhibuerit, in quo necessarius anapæsti usus est, quum aliorum copia verborum, anapæsto carentium, non deesset. At idcircone expellemus anapæstum? Certe ei defendendo hoc afferri poterit, quod trimeter iste melicis versibus admixtus est. Nam in melicis qui trimetri reperiuntur, liberiore numero solent esse. Unde quum tribrachum habeant creberrimum, non sane absonum foret, si anapæstum quoque, ut æque concitatum pedem, admitterent. Simillimum certe exemplum exstat in Bacchis Euripidis, v. 1144.

τὰν τοῦ δράκοντος ἐκγενέτα, τοῦ Πενθέως.

Sed erunt fortasse qui hoc testimonium nullius momenti existiment, quia iste versus non solum ex loco corruptissimo depromptus est, verum ipse etiam manifesta præ se fert corruptionis indicia. Neque enim articulus ante Πενθέως ferri potest. Venia igitur sit carmen illud ita, ut corrigendum puto, adscribenti. Versus sunt dochmiaci mixti trimetris iambicis, in quibus si quædam audacius mutasse videar, iis tamen fortasse satisfecero, qui reputaverint, in desperatis locis vix aliud agi posse, quam ut quis viam emendationis aperiat. Sic igitur ferme scripsisse puto Euripidem:

ἀναχορεύσομεν
Βάκχιον, ἀναβοάσομεν, ξυμφορὰν
τὰν τοῦ δράκοντος ἐκγενέτα, τὰν Πενθέως
θηλυγενῆ στολάν, νάρθηκά τ᾽· ἔνθεν
τε πιστὸν ᾅδαν ἔλαβεν, εὔθυρσον
ταῦρον κυνηγητῆρα συμφορᾶς ἔχων.
Βάκχαι Καδμεῖαι,
τὸ καλλίνικον κλεινὸν ἐξεπράξατε
ἐς δάκρυ᾽, ἐς γόον.

καλὸς ἀγὼν ὅδε, καλὸς, ἐν αἵματι
στάζουσαν χέρα περιβαλεῖν τέκνου.

Nihil in his admonitione indiget, quam Βάκχιον ξυμφορὰν jungenda esse: ταῦρον autem, nisi cum eo jungatur εὔθυρσον, frigere.

Alter Æschyli locus, in quo anapæstum defendi posse existimo, ejusmodi est, ut, dum ea, quæ de priore loco dicta sunt, confirmare possit, simul iis ipse confirmari videatur. Versus est, in Persis, 1032.

διαινε, δίαινε πῆμα, πρὸς δόμους τ' ἴθι.

Hic quoque versus, pariter atque alter Æschyli, et quem modo ex Euripide attulimus, in melicis est, quæ si quam vim habent ad defendendum anapæstum, erit sane, quare quis eum mutatum nolit. Sed laborat ille alio vitio. Neque enim anapæstus est in medio aliquo verbo, ut evitari non potuerit, sed unice ex collocatione verborum nascitur. Verum, quod supra dixi, regulam illam, quæ hoc fieri prohiberet, unam quamdam habere exceptionem, ejus exceptionis quum hoc unicum exemplum norim, nunc demum de ea dicendum videtur. Etenim quantumvis imperitum sit, anapæstum adhibere, qui non ex ipsa vocabulorum immutabili natura, sed unice ex collocatione verborum oriatur, habebit tamen iste anapæstus haud parvam excusationem, si illa verborum positio, unde nascitur hic pes, necessaria sit atque inevitabilis. Hanc necessitatem facile patet poëticam, non grammaticam esse debere. Is enim miserandus poëta foret, qui in tantis Græcæ linguæ thesauris, tantaque collocandorum verborum libertate non posset aut verba numeris apta, aut ordinem verborum invenire. Illud non ita facile est, si quibus in verbis, aut si quo in ordine verborum magna quædam ac præcipua virtus ad animum commovendum insit, ea verba, eumque ordinem verborum sic tollere, nihil ut de vi ac robore orationis detrahatur. In Æschyli quidem versu, quis non sentiat apprime aptum ad Xerxis afflictionem esse iteratum δίαινε, quod semel si diceretur, non solum languida hæc foret et frigida significatio doloris, verum abhorreret etiam ab ingenio et

moribus barbarorum. Nam inter plurimas et splendidissimas virtutes, quibus ista Æschyli fabula conspicua est, hoc imprimis præclarum est et memorabile, quod poëta Persarum mores tanta arte expressit, ut luxuriosum illud ingenium, quod proprium est populorum orientis, non videatur melius potuisse cum Græci sermonis indole consociari. Præterea vero aliud, idque longe gravissimum argumentum accedit, quo anapæstus in isto versu se tueatur. Nam quum in his omnibus Xerxis et Persarum lamentis, quæ antistrophicis versibus contineri critici non animadverterunt, verba verbis, sententiæ sententiis insigni æquabilitate respondeant, tum huic quoque versui qui respondet antistrophicus, eamdem, quam strophicus, habet verbi iterationem :

ἔρεσσ', ἔρεσσε, καὶ στέναζ' ἐμὴν χάριν.

Quæ quum ita sint, nondum, mea quidem sententia, hoc vicit Porsonus, ut omnes anapæstos, qui non sint in nominibus propriis, e trimetris tragicorum ejicere oporteat : sed in eo consistere debebit emendatio criticorum, ut illos tantum anapæstos, qui non possint iis necessitatibus, de quibus dictum est, defendi, conentur expellere.

Dicendum nunc est de metrorum melicorum descriptione. *In choris*, inquit Porsonus, *et melicis systematibus, quæ librarii et editores pro arbitrio distribuunt, duas sum potissimum regulas sequutus. Primo curavi, ut quodque carmen ad nota et lyricis poëtis usitata, si facile fieri posset, versuum genera redigeretur ; deinde, ut eadem aut similis versuum species quam sæpissime recurreret.* His quidem regulis qui solis utuntur, nihil agent. Prima enim regula, ut quodque carmen ad nota et lyricis poëtis usitata versuum genera redigatur, quem poterit usum præstare, donec usitata lyricis poëtis versuum genera maximam partem ignota erunt ? Quare hujus regulæ observatione sana loca ad corruptorum normam corrumpi necesse est. Non utilior altera regula est, ut eadem versuum species quam sæpissime recurrere debeat. Nam unde tandem quis cognoscat, eamdem metri for-

mam sæpius in aliquo loco repeti, nisi si aliæ eum regulæ doceant, ubi initia, ubi fines versuum constituendi sint. Quamobrem ego in iis, quæ hac de re scripsi, hanc regulam, quæ, mea quidem sententia, nulla est regula, omisi, quum priorem regulam, sed adjunctis aliis regulis, primo loco ponerem. Ista omnia nihil attinet hic repetere, quum plene exposita sint in commentione de metris Pindari, atque explicatius etiam in eo libro, quem Germanice de metris scripsi.

Præterea vero hoc quoque Porsonus juxta ac reliqui Euripidis editores nescisse videtur, quid esset, quare melica Euripidis carmina aliquanto, quam cæterorum tragicorum, corruptiora haberentur. Quæ res facile suspicionem movere potest, esse quædam in hoc genere unius propria Euripidis; quæ si quis e tanto squalloris situ, quo nunc fœdata sunt ista carmina, in lucem protraxerit, faciliorem patefactum iri emendationis rationem. Non sum equidem nescius, plurimos fore, qui modestiam illam, qua in hoc genere usus est Porsonus, laudi magis critico, quam vitio vertendam esse existiment. Sed eam modestiam si numquam deponas, numquam neque caussas corruptionis, neque viam emendationis inveneris. Aliquando harum rerum pervestigationis initium faciendum est: dubitanda sunt omnia, nec prius desistendum, quam lex aliqua eruatur, cujus auxilio recte procedere, falsa certis indiciis deprehendere, vera firmis argumentis stabilire liceat. Atque ego illud in primis mirari soleo, quod critici, dum metra restituere laborant, antistrophicorum carminum investigationem, quæ summum in hoc genere momentum habet, prorsus negligere consueverint. De qua re nihil umquam potuit a docto homine ineptius dici, quam quod ad Œdipi Regis, v. 1186. dixit Brunkius: *eo minus a codicum fide discedere volui, quo minus intelligo, quid nostra intersit, monostrophicane an antistrophica hæc sint.* Equidem plurimorum permotus exemplorum auctoritate plane persuasum habeo, nullum neque in tragicis neque in Aristophane paullo longiorem locum, qui quidem melica metra habeat, occurrere, quin scriptus sit versibus antistrophicis. Quorum quidem quum sæpe perdifficilis investigatio sit, tum nescio an nullo in poëta sit difficilior, quam in Euripide. Nam, quod supra dixi, hic quædam videtur pecu-

liaria habere, quæ qui non cognoverit, is frustra in hujuscemodi carminibus corrigendis se torqueat. Id quum ego quoque sæpius essem expertus, tandem mihi videor illam ipsam caussam invenisse, propter quam tanta sit metrorum in istis locis obscuritas. Reperta igitur lege ista quorumdam carminum antistrophicorum, quam ad Hecubæ, v. 63. explicavi, duos insignes Hecubæ locos, quorum metra alioqui non potuissent corrigi, emendare licuit. Eam legem confirmabit, puto, aliarum Euripidis fabularum diligens pertractatio. Quam si qui forte moliuntur eorum, quibus doctrina metrorum a me inventa probatur, vehementer opto, ne faciant, quod a quibusdam factum vidi, qui quum ea, quæ de metris scripsi, aut non intellexissent, aut non etiam usu et exercitatione didicissent, probarunt tamen atque sequuti sunt. Quo factum est, ut ex eadem disciplina, quæ corrigendorum versuum caussa a me exposita fuerat, corruptiones, immo monstra versuum prodirent.

Postremo breviter dicendum est de usu Doricæ dialecti. De ea re Porsonus, p. xv. sic scribit: *dialecti Doricæ, choris usitatissimæ, ratio paullo facilior est, nec tamen omnino certa. Nulli enim codices, ne optimi quidem, Doricas formas in melicis constanter retinent. Sed hanc regulam servandam putavi, ut eas, ubicumque vel unus modo non pessimæ notæ codex præberet, in textu reponerem. In plerisque enim MSS. ubi in contextus serie Dorica forma exstat, Attica vel communis suprascripta est. Hanc igitur scribas quoties alteri prætulisse credibile est?* Similiter ad v. 103. *in anapæstis,* inquit, *neque numquam neque semper Dorica dialecto utuntur tragici. Ubi igitur in communi forma MSS. consentiunt, communem formam retinui; ubi codex unus aut alter Dorismum habet, Dorismum restitui.* Hæc quoque ejusmodi regula est, quæ ob eamdem caussam, ob quam inventa fuit, ipsa sese evertat. Nam scribæ si temere nunc Doricas, nunc Atticas communesve formas adhibent, num minus temere facit criticus, qui scribarum temeritati obtemperat? Atque si codices adhuc collati in quoque loco sequendi sunt, quis sciat, an alii reperiri possint codices, qui istis auctoritatem abrogent? Enimvero quis credat Euripidem scripsisse in eodem versu, ut quidem Porsonus edidit,

δούλη, πόλεως ἀπελαυνομένα,

aut Πολυξείνης et φίλης in strophico versu, quum in antistrophico scriberet σφαζομέναν et ἀνάγκα? Sane quidem verum est illud, quod in anapæstis neque nunquam, neque semper Doricam dialectum usurpari dicit Porsonus. Verum quis hoc temere factum arbitrabitur, nec certa quadam lege et conditione? Quæ lex undenam possit erui, nisi ex ea caussa, propter quam omnino in tragœdiis adhibetur Dorica dialectus? Patet autem hoc fieri propter animi commotionem, quæ quo major est, eo magis requirit grandiorem atque insolentiorem orationis formam. Hinc mihi videor has merito collegisse observationes.

In versibus melicis, in dactylicis, in dochmiacis semper utuntur tragici Dorica dialecto, sed ea propria quadam. Nam multæ sunt Doricæ formæ, a quibus prorsus abstinuerunt: in quibus vitandis non ubique diligentes fuere critici.

In anapæstorum legitimis systematibus non eadem ubique ratio obtinet. Ea systemata si per se constant, atque a versibus, quorum propria est Dorica dialectus, plane disjuncta sunt, Atticam communemve linguam habent; sin arctius cohærent cum versibus, in quibus Doricam dialectum adhibere mos est, ipsa quoque habent dialectum Doricam. Sic in Hecuba quæ chorus loquitur, v. 97—151. communi dialecto scripta sunt: eodem modo in iis, quæ præcedunt, Hecubæ lamentis primum et tertium systema. In reliquis systematibus Dorica dialectus est: quippe hæc, aucta animi commotione, cohærent cum antistrophicis hexametris. Ea systemata hæc sunt, v. 68.

ὦ στεροπὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ,

et v. 81.

ἔσται τι νέον,

et v. 91.

ἦλθ' ὑπὲρ ἄκρας τύμβου κορυφᾶς.

In illegitimis anapæstorum systematibus, in quibus dimetri catalectici e spondeis compositi primas partes habent, semper Dorica dialectus invenitur, ut in Hecubæ et Polyxenæ lamentis, quæ post chori anapæstos leguntur. Sed ubi insigni legitimo systemati pauci dimetri catalectici interponuntur, manet systemati communis lingua, ut in Sophoclis Electra, v. 86. seqq. ubi v. 90. πληγὰς legendum cum altero cod. August.

Iambici denique trimetri, qui dochmiacis aliisve melicis versibus mixti sunt, pariter ac legitima anapæstorum systemata, nunc communem, nunc Doricam linguam habent. Communis ibi obtinet, ubi iambi potiorem locum tenent, ac fundus sunt orationis ut in Hecuba, v. 691. seqq. Ex quo patet male vulgo, v. 706. δίκα legi. Alia luculenta exempla sunt in Hippolyto et in Æschyli Eumenidibus. Doricam autem dialectum ibi habent trimetri, ubi melicis ita mixti sunt, ipsi ut horum aliquam partem constituant, ut in Sophoclis Trachiniis, v. 824. 825. et 834. 835.

# MATTHIÆI PRÆFATIO

AD

## EDITIONEM SUAM EURIPIDIS.

QUUM consilium edendi Euripidis primo susciperem, id tantum spectabam, ut poëtæ textum mendis, quæ superiorum editorum solertia, vel librorum scriptorum auxilio nixa, vel suis viribus confisa, sustulisset, vel quorum medicinam certam ipse mihi invenisse viderer, liberatum et purgatum exhiberem, ita futuram sperans, ut sic tandem editio exstaret, et parvo parabilis et habilis ad usum et quæ legentibus minus difficultatis et offensionis objiceret. Quoties enim antea tragœdias illas legeram, ægre ferebam multas egregias vel codd. lectiones vel virorum doctorum emendationes ab editoribus neglectas esse, nonnulla etiam loca emendata seu verius immutata esse, quæ nulla omnino emendatione indigerent. Sed quo diutius poëtam hoc edendi consilio tractabam, eo magis intelligebam, vix me operæ pretium facturum esse, nisi nova subsidia lectionis, quam vocant, constituendæ adhibuissem, quibus vel vulnera, his carminibus inflicta, sanarentur, vel saltem, quid ibi ab antiquis lectum esset, quamvis obscuris nonnunquam signis, indicaretur. Quod ubi significavi Weigelio, ille, ut est ad litteras qua potest ope juvandas paratissimus, statim adiit viros doctos bibliothecarum opulentiorum præfectos, ut eorum, quæ in bibliothecis suæ curæ commissis, ad Euripidem emendandum subsidia reperirentur, sibi mihique copiam facerent. Ita is, nullis sumtibus,

parcens, Florentiæ et Augustæ Taurinorum codices, qui ibi servantur, conferendos curavit et Guelpherbytanum codicem a Langero mihi impetravit et undique, quæcunque ad hanc editionem usui essent, diligentissime conquisivit.

Atque inter codices quidem primo loco commemorandi sunt Florentini quatuordecim, iidem, quos Beckius in Edit. Lips. maj. T. III. p. x. seq. e Bandinii catalogo enumeravit. Hos in meum usum ad editionem Musgravii accuratissime contulit bibliothecæ Mediceæ præfectus, vir doctissimus, Franc. de Furia. Ex his II. omnibus fere locis conspirat cum eo, cujus varietatem Scaliger enotavit, memoravit Porsonus; X. autem cum Florentino eo, cujus collationem olim instituerat Is. Vossius: vid. Valck. Præf. Phœn. p. IX. seq.) quamvis ipse codex periisse videatur; nam in nullo Florentinorum Troades exstant. Ad hos accesserunt codices tres, sec. XIV. exeuntis, numeris 56. 59. et 76. indicati, Abbatiæ Cassinensium, e qua nuper in Mediceam illati sunt. Cum his scholia contulit doct. de Furia; nam textus ipse ubique cum Mediceis conspirat. Idem etiam contulit cod. 6. plutei 91. superioris, chartaceum in 4 minori, seculi XV. qui sola scholia continet. Vid. Beck. p. XI.

Codices Academiæ Taurinensis accuratissime, ita ut etiam descriptionem versuum enotaret, contulit vir clar. Amedeus Peyron, cujus diligentiæ Empedoclis et Parmenidis fragmenta ex cod. Taurinensis bibl. restituta et illustrata debemus. Eorum codicum alter, Orestem et Phœnissas continens, sec. XV. bombycinus, signatus est nota B. VI. 7. descriptus in Catalogo edito T. I. p. 315. Scholia habet uberrima, quæ tamen edita non superent. Ea vero tantummodo usque ad v. 1165. Phœn. Barn. pertinent. Alter Andromachen habet, hac nota insignitus C. V. 3. in Catal. T. I. p. 216. vid. Beck. l. l. p. XI.

Codicem Guelpherbytanum, qui est 15. inter Græcos, ipse contuli, humanissime a Langero meis et Weigelii precibus concessum. Sunt ii duo codd. MSS., uno volumine comprehensi, quorum alter Hecubam, Oresten et Phœnissas, alter Andromachen continet. Prior esse videtur sec. XIV. accurate litteris elegantissimis in charta bombycina scriptus. Glossas et

scholia et inter versus et in margine permulta, in quibus multa inedita, adscripta habet, alia ab eadem, qua textus, manu minio picta usque ad Phœn. v. 324. deinde atramento, alia et longe plura minus eleganter, litteris minoribus. Alter codex, qui Andromachen continet, est seculi XVI. etiam bombycinus, eleganter, at sæpe vitiose, scriptus. Scholia pauca sunt, eadem omnia manu scripta, pleraque inedita.* Ceterum quod Beckius l. l. p. XIII. narrat, in bibliotheca Guelpherbytana esse Euripidis editionem cum observationibus, Salmasii manu adscriptis, id falsum esse, nec unquam talem librum in bibliotheca illa fuisse, idem Langerus me monuit.

Adieram etiam per litteras Jacobsium, petens, ut, quæ subsidia emendandi Euripidis bibliotheca Monacensis haberet, ea mihi vel summitteret, vel ibidem exscribenda, excerpenda, conferenda curaret. Respondit precibus meis viri egregii mihique amicissimi humanitas. Sunt in instructissima illa bibliotheca codices MSS. tragœdias aliquot Euripidis continentes, Augusta Vindelicorum eo translati, tum annotationes in nonnullas tragœdias, P. Victorii manu scriptæ, denique exemplum editionis Aldinæ, cujus margini idem P. Victorius variantes *lectiones*, quas vocant, adscripserat. Et has quidem Jacobsius sua manu accurate transscriptas mihi misit; reliqua vero quum etiam mittere pararet, non dubitans, quin ejus rei veniam nunquam antea negatam impetraret, subito nova lege impeditus est, ullum librum ejus bibliothecæ extra urbem cuiquam commodari vetante. His igitur et præsidiis et ornamentis nostra editio carere coacta est; Victorianæ vero lectiones partim, imprimis eæ, quæ tribus punctis in trianguli formam positis .·. notatæ sunt, vel quibus litteræ V. C. *vetustus codex* appositæ sunt, e codice MS. sumtæ esse videntur; et conspirant eæ plerumque cum Cod. Flor. 2., nisi quod ad Troades quoque spectant, quam fabulam nullus Florentinorum complectitur. Aliis præfixum est γρ. vel ἴσ. eæque vel correctiones errorum, quos Aldi typothetæ commiserant,

* Hunc codicem jam ante me contulit Bothius, vid. *Eurip. Werke, verdeutscht von Fr. H. Bothe. Fünft. B. p.* 64. *seqq.* 343. *seqq.*

vel emendationes Victorii esse videntur. Nonnumquam notæ adscriptæ sunt longiores.

Codicum Augustanorum trium collationem amicissimi Hermanni benevolentiæ debeo. Hi sunt ii, quos idem vir doctissimus in Præf. ad Hecub. p. VI. descriptos litteris b c d notavit. Hecubam (d a v. 1255.), Orestem et Phœnissas continent tres, in c Phœnissæ desunt. Ex his b idem est, quem Brunckius ad Orestem eadem littera designavit, d is, quem hic A nominavit, et ex quo scholia a Tryllitschio exscripta cum Valckenærio communicavit Reiskius. Id planum factum est indicio tum Hermanni, tum Thierschii, viri doctissimi, qui, a me rogatus, Monachii, quo codex e bibliotheca Augustana migravit, eum inspexit. Est nunc codex 560 inter Monacenses. Scholia in versus centum priores Orestis exscripsit ornatissimus juvenis, Lud. Doederlein, qui ingenii et scientiæ litterarum antiquarum egregium specimen dedit observationibus criticis in Sophocl. Œd. Col. in Act. Philol. Monac. T. I. Non magni ea esse momenti, etiam Thierschius me monuit.

Codicem Dresdensem, olim Mosquensem D. denuo contulerat Hermannus, et inde excerptas variantes lectiones mecum communicavit. Nec in eo substitit viri egregii humanitas, sed etiam annotationes suas in nonnullas Eurip. fabulas vel in complura earum loca mihi concessit, quibus imprimis melica carmina melius digesta sunt. Codices Parisienses nondum collatos nihil, quod operæ pretium esset, ad textum emendandum præsidii afferre posse, ii, qui accurate eos noverant, Bastius, Hasius, Boissonadius fidem fecerunt, ut sumtibus in eos excutiendos impendendis supersedere se posse Weigelius non injuria arbitraretur.

Horum codd. ope omnes maculas Euripidi adspersas, vel eas certe, quæ offensionis plurimum haberent, elui posse, nec ipse ab initio speravi: plerumque enim lectiones ex aliis codd. jam enotatæ vel conjecturæ virorum doctorum iis firmantur. Nonnullis tamen locis medicinam ab iis allatam esse, vel viam certe clarius demonstratam, qua emendatio institui posset, vel ex Hermanni Prol. de Carminibus Antistr. intelligi potest. In recensendis vero his carminibus eam legem mihi dixi, ut, con-

quisitis, quam poteram diligentissime, omnibus vel codicum scriptorum vel antiquarum editionum omnium lectionibus, excussis etiam veterum interpretum et criticorum commentariis librisque scriptorum antiquorum, qui Euripidis loca vel nominatim laudant vel ad ea respexisse putandi sunt, ad horum auctoritatem textum præcipue constituerem, non numerandis codd. sed lectionibus ipsis ponderandis, ubi aperte vitiosa esset vulgata lectio, iis tantum vel aliorum vel meis conjecturis locum darem, quæ et sensui omni ex parte satisfacere viderentur, et a vulgatæ lectionis vestigiis non nimis recederent, et, quomodo vulgata lectio ex iis fluere potuerit, facilem explicationem haberent. Ita non dubitavi recipere Hec. 697. *φάντασμα* pro *φάσμα*, quo facto tres dochmii justi exeunt, e *φάντασμα* vero facile errore librarii *φάσμα* fieri potuit; Hippol. 551. *ζεύξασ' ἄπ' εἰρεσίᾳ δρ.* pro *ζ. ἀπειρεσίαν δρ.* Phœn. 754. *ἄνακτας* pro *ἀνάσσειν*. Hoc vero eo confidentius facere licere editori existimavi, quod alias etiam conjecturas a codd. postea comprobatas vidi, ut Orest. 1260. Porsoni *εἶτα πάλιν σκοπιὰν* Taurinensi et Flor. 10. (ubi melius etiam videbatur e Taurin. et Guelph. recipere *κόραις*, ut ordo verborum esset *διάφερε σκοπιὰν κόραις ὀμμ.* quam cum Seidlero *σκοπιάν* tribuere Choro) ib. 1565. Seidleri *ἔπεσ' ἔπεσε* Taurin. qui *ἔπεσεν ἔπεσε* habet, ut alia leviora taceam. Sed multo sæpius vulgatam lectionem, conjecturis tentatam, retinendam vel revocandam duxi, quum eam consuetudini sermonis Græci et metro respondere, vel adeo solam ab eo postulari intellectum esset. Contra, ubi laborare quidem locum in aperto esset, nulla vero adhuc conjectura, quæ omnes verisimilitudinis numeros haberet, a quoquam allata esset, locum intactum relinquere malui, quam, obliterata vulgata lectione, viam veri inveniendi obscuriorem reddere, ut Hec. 1167. seq. Phœn. 332. 861. 1622. Or. 814. Med. 1106. seqq.

Difficultatis et dubitationis plurimum afferunt loca melica in tragœdiis Græcis; itaque hæc ab editoribus vel neglecta, certe non ea, qua par erat, cura expolita, ut a Musgravio, vel temere turbata, interpolata et immutata sunt, quod imprimis a Brunckio et Porsono factum esse doleas. Hanc igitur partem præcipua

cura ac diligentia mihi tractandam esse vidi; quod nunc etiam facilius est, quum Hermannus aliique, nuperrime Seidlerus, toti rei metricæ Græcorum tantum lucis attulerint, ut nunc de metris quivis nostrum melius judicare, quam ipsi grammatici veteres, possit. Ita factum esse puto, ut hæ etiam partes Euripidis aliquanto in hac editione, quam in superioribus, emendatiores legantur; neque tamen dubito, quin multa posthac melius, quam a me factum est, metrorum ratione et legibus accuratius etiam investigatis et cognitis, constituantur. Sed ex hoc ipso rei metricæ apud nostros fervente studio alia difficultas exorta est, quod, quum Hermannus nullum in tragœdiis Græcis carmem lyricum esse, quod non esset generis antistrophici, monuisset, alii certatim ea, quæ vulgo ἀπολελυμένα, vel ἀνομοιόστροφα appellata plurima in Euripidis tragœdiis occurrunt, ad antistrophicorum legem redigenda susceperunt. Quod ubi ex auctoritate librorum scriptorum vel e vestigiis antiquæ lectionis vel ibi, ubi sensus etiam emendationem flagitat, facile efficitur, ut Tyrwhittus nonnulla in Euripide sanavit, et nunc Orest. 1347. seqq. et 1552. metrorum æqualitas, monente Hermanno de Carmm. Antistr. p. v. restituta est, laudandum est; nulla enim cura nimia existimanda est, quæ antiquos scriptores pristinæ integritati atque elegantiæ vel in parvis restituit. Sed ubi nihil est, quod consuetudini poëtæ vel linguæ legibus vel sensui repugnet, et non nisi resecandis, addendis, transponendis, mutandis verbis metra æquari possunt, codices etiam in scriptura recepta consentiunt, ibi vereor, ne hoc sit scripta antiquorum ad arbitrium refingere potius, quam ex fide testium restituere. Et causam quidem, cur sæpius, imprimis in iis, quæ ἀπὸ σκηνῆς dicuntur, numeris inæqualibus usus sit Euripides, qui primus hoc frequentasse videtur, idoneam et ex ipsa rei natura ductam et usu scriptoris comprobatam attulit Hermannus in Prol. de Carmm. Antistroph., partes actuosiores antistrophis carere, quæ vero sedatiora essent, ad antistrophicorum legem descripta esse, monens. Plura tamen idem vir doctissimus mutavit et ad metrorum æqualitatem redigere conatus est, quam editori, fidem MSS. codd. spectanti, licere arbitratus sum, vel ipsa illa, quam attu-

lit, causa et rei ratio postulabat. Quibus enim in locis responsionem numerorum efficere voluit, in iis omnibus vehementiores animi motus vel doloris vel lætitiæ vel iræ regnant, ut hanc ipsam causam, cur solutioribus numeris ea scripserit, quia, ut ait Aristoteles, *καὶ τὰ μέλη τῇ μιμήσει ἀκολουθεῖν, ἀεὶ ἕτερα γινόμενα*, volebat, satis idoneam secutus esse poëta videatur, nobis autem minus etiam in certum ordinem cogere ea liceat, præsertim si hic ordo non nisi violentioribus mutationibus effici possit. Magnopere etiam infringitur Hermanni sententia mira numerorum antistrophicorum cum *ἀνομοιοστρόφοις* permixtione et confusione, cujus exemplum maxime memorabile attulit ex Oreste, 1373—1541. quæ confusio augetur etiam, si reputes, proodos, mesodos, epodos nomine tantum ab *ἀνομοιοστρόφοις* differre. Quum vero nulla causa excogitari possit, cur ejusdem carminis alias partes sibi respondere, alias repugnare voluerit poëta sive inconstans sive laboris æquandorum numerorum impatiens, non intelligitur, quare non totum carmen liberioribus numeris scripsisse existimandus sit. Quamvis autem carmina illa melica Euripidis sæpe a grammaticis ex sua rei metricæ scientia in eum, quo nunc ea legimus, ordinem redacta esse, e multis scholiorum locis constet, tamen nec, quousque eorum sive libido sive ratio progressa sit, et quæ loca illi mutaverint vel intacta reliquerint, nunc affirmare possumus, et, deficiente testium auctoritate, quæ via in iis pristinæ integritati restituendis ineunda sit, incertum est.

Levius est, nec tamen prætereundum, quod Ahlwardtius et Boeckhius monuerunt, nusquam versum finiri, nisi finito etiam vocabulo, nec unquam verbum in duos versus distribuendum esse. Qua in re pergratum mihi accidit, quod, quibus argumentis ego hanc sententiam in litteris ad Hermannum datis impugnaveram, ea hujus viri metricæ et scenicæ Græcorum longe peritissimi assensu et suffragio comprobari, e præfatione ejus, Herculi Fur. præmissa, p. ix. seqq. intellexi. Igitur sententiam illam jam satis ab Hermanno refutatam esse puto, quod, in tragicis certe, concessit nuper ipse Boeckhius Præf. ad Pindar. p. xxx. in Pindaro aliam rem esse contendens. Et de Pindaro quidem nunc non disputo: hoc tantum addo, non plus

offensionis habere unius verbi in duos versus distributionem, quam sensus, ut ita dicam, distractionem eam, qua in priori versu articulus, præpositio vel alia particula cum sequentibus arcte copulata, in altero nomen vel verbum positum legitur, qualia multa occurrunt in Boeckhii Pindaro, ut in Olymp. II. 99. VI. 17. 53. IX. 19. 47. 70. X. 19. XI. 21. XIV. 1. 5. Nam, sive versu finito finiri etiam numerum existimes, absurdum est, verborum compagem cum numeri natura pugnare; sive, id quod verius est, numeros continuari statuas, et hanc ob causam v. c. articulus in altera numerorum parte poni, in altera nomen sine offensione potest, quid impedit, quominus etiam verba in duos versus divisa esse dicamus, quæ pronuntiando non magis divellebantur?

In personarum chori distributione non plus mihi licere credidi, quam in reliquis fabularum partibus. Itaque non nisi necessitate ac sensu flagitante quidquam mutavi, ut in Alcest. 94. (vid. ibid. not. Monk.) Nam, quæ de singulis canticorum partibus ad singulas personas referendis acute nuper disputata sunt a viris doctissimis, Hermanno et Boeckhio, ea hanc tantum vim habent, ut potuisse hoc ita fieri intelligamus: sed ubi revera factum sit, e tota loci ratione et sensu demum eruere possumus. In quo cavendum est imprimis, ne, quæ male inter se cohærere videantur, continuo diversis personis tribuenda existimemus: hæc enim ipsa vis est graviorum animi motuum, ut ab aliis ad alia, cognata tamen, subito transiliat oratio. Neque tamen idcirco hanc personarum distributionem improbare velim, quia minuta hæc esset poëtarum diligentia; minuta enim vel adeo puerilia multa in Euripide occurrunt.

Interpunctionis notas aliter posui, quam in editionibus scriptorum et Græcorum et Latinorum fieri solet; quod, etsi leve, monendum tamen putavi, ne ex errore vel negligentia ortum videatur, quod ratione et consilio factum est. Sic sententias duas, particula καὶ junctas, quum idem verbum commune habebunt, non virgula interposita separavi; nec magis participia e verbo prægresso pendentia, ut οἶδα τοῦτο ποιήσας, ὁρῶ σε τοῦτο

*ποιοῦντα*, a vocabulo primario sejunxi. Sed hæc facile quivis semel monitus per se ipse perspiciet.

* * * * * *

Hæc editio ut a mendis typographicis, quam maxime fieri potest, libera exiret, amicissimi Schæferi diligentia effectum est, quam grati mecum agnoscent, qui ea utentur. Ego, quocunque tandem modo provinciam susceptam administraverim, id saltem me effecisse spero, ut multis locis Euripides emendatior prodiret, in aliis et fortasse pluribus viam veri inveniendi expeditiorem redderem. Nam, ut Xenophontis verbis utar, Mem. II. 8. 5. *οὐ πάνυ γε ῥᾴδιόν ἐστιν εὑρεῖν ἔργον, ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχοι· χαλεπὸν γὰρ οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν, χαλεπὸν δὲ καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντα μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν.*

# MATTHIÆI PRÆFATIO

AD

# SCHOLIA.

In scholiis concinnandis et recensendis pro fundamento mihi fuit editio Basileensis apud Hervagium 1544. collata tamen illa cum antiquiore Veneta ex officina Lucæ Antonii Juntæ 1534. hujus enim editionis principis neglectus effecit, ut haud pauca vitia Hervagianæ per sequentes editiones propagarentur, vel editores in iis tollendis a vero aberrarent. A primis illis editionibus in eo etiam recesserunt Kingius, Musgravius, alii, quod paraphrasin et scholia metrica a reliquis sejunxerunt; quod imitari nolui, ne diversis locis quærere cogerentur lectores, quæ ad unum omnia locum pertinerent. Nam paraphrasis illa nec ad omnia loca spectat, et e glossis ac scholiis minoribus ab Arsenio conflata esse videtur; cujus exemplum secutus Kingius, glossis iis, quas in MS. Coll. Corp. Christi vel in Barocc. invenerat, cum verbis poëtæ commixtis aliam etiam paraphrasin procudit.

Scholiis ab Arsenio collectis addenda erant ea, quæ e Cod. Colleg. Corp. Christi Cantabrig. primus Barnesius dedit, plura Kingius, tum quæ hic e Cod. Bibl. Bodlei. Baroc. 74. recepit. In Scholiis ad Phœnissas accesserunt ea, quæ ex Augustano codice a Tryllitschio excerpta Reiskius Valckenærio edenda

concesserat. Mihi ad septem fabulas præsto fuerunt scholia codicum Florentinorum, ad tres priores et Andromachen Guelpherbytani, ad Phœnissas et Andromachen Taurinensis, quibus accedunt scholia cod. Havn. ad versus 264. priores Phœnissarum. E Florentinis scholia tantum continent cod. 9. sec. XV. plut. 31. cod. 21. pl. ej. et cod. 33. pl. 32. ad Hecubam, Orestem et Phœn. cod. 17. ad Hec. et Orest. cod. 10. ad Hecub. Medeam cod. 15. ad Med. Hippol. Alcest. cod. 2. ad Hippol. et pauca q ædam ad Suppl. Iphig. utramque, Rhes. Bacch. Cycl. Heracl. Hel. Herc. Fur. Electr. pauciora etiam cod. 1. ad Suppl. et seqq. Cod. 6. sola scholia continet. Codd. 56. 59. 76. sunt Abbatiæ Cassinensium. vid. pag. ccxxxvi. De Guelpherbytano et Taurinensi vid. ibid. et seq. pag.

Horum codicum sine controversia copiosissimus est Guelph. nam et e scholiis Arsenianis multa habet, et e Florentinis ea, quæ alicujus pretii sunt, et omnia fere, quæ MS. C. C. C. et Barocc. 74. Kingio subministrarunt, illa prima manu, hæc secunda plerumque scripta; tum alia etiam propria continet. Accedit, quod scholia emendatissime scripta sunt, ut sæpius ex eo cod. Arseniana vel ea, quæ ex Anglicis codicibus vulgata sunt, emendari potuerint. Augustano codici, lacunoso et multis scripturæ vitiis inquinato, opportune sæpe subvenit Taurinensis, et, qui cum eo in plurimis conspirat, Havniensis. Leviora et nullius fere momenti sunt scholia Florentina, eademque, ut videtur, recentissima, imprimis quæ Cod. 33. suppeditavit, sæpe ne Græca quidem. Dedi tamen hæc etiam futiliora, ne meo de his codd. judicio sibi standum fuisse lectores quererentur. Sed codd. illorum comparandorum et exscribendorum studio districtus prorsus oblitus sum eorum, quæ Beckius e Mosq. D. Hermannus ex August. dederunt. Negligentiam tamen consolatur hoc, quod eadem prorsus, paucis exceptis, habet Gu. Quæ discrepant, cum nonnullis aliis in appendice ad calcem scholiorum subjiciam.

Non vereor autem, ne quis me reprehendat, quod scholia undique congesta Arsenianis interserere, et ad suum quodque locum referre, quam cujusque codicis scholia seorsim ponere,

ut ab alio ad aliud transcurrere lectores cogerentur, maluerim. Quæ nunc primum edita sunt, ea satis habui, ita exhibere, ut in codicibus legebantur, verbo tantum monens, quid legendum esse videretur, ubi probabilis emendatio succurrebat; nam sæpe vera lectio latebat; Arseniana et Barocc. sæpe ex aliis codicibus collatis, imprimis Guelph. sæpe e conjectura, emendata sunt, ita tamen, ut multa restent, quæ correctione indigeant, quæque intacta relinquere, donec certa emendandi ratio inveniretur, satius erat.

# SYLLABUS NOTARUM

QUIBUS DESIGNANTUR

# MANUSCRIPTI ET EDITIONES.

---

## I.—IN NOTIS PORSONI.

Cum signa, quibus usus sum ad MSS. distinguendos, sparsim in notis explicentur, visum est omnia hic ob oculos lectoris simul reponere.

A. Mosquensis primus apud Beckium.

A. MS. Par. 2712. quæ sunt Brunckii membranæ, a Musgravio, deinde diligentius a Brunckio, collatus.

Aug. 1. 2. Augustani duo apud Brunckium.

Aug. 1. 2. 3. Augustani tres apud Hermannum. Quarti fragmentum continet tantum 17 versus, 1261—1277.

B. Variæ lectiones e MS. notatæ in Aldinæ exemplaris margine, quod mecum communicavit vir doctissimus et amicissimus, Carolus Burneius junior.

C. C. C. vel MS. C. C. C. vel C. MS. Codex in Corporis Christi Collegio Cantabrigiæ, a Barnesio et Kingio collatus, cujus usum mihi humanissime concessere Collegii ejus Magister et Socii.

Cant. Codex olim Askewii, nunc in Bibliotheca Academiæ Cantabrigiensis signatus Mm. 1. 11. Vide infra M. N.

Cott. Excerpta e MS. quodam Cottoniano, Barnesianæ margini in Bibliotheca Bodleiana adscripta.

D. Mosquensis quartus apud Beckium.

E. Bibliothecæ publicæ Cantabrigiensis, notatus Nn. 3. 13.

F. Fragmentum Hecubæ in eodem volumine, a versu 712 ad finem, cum E. plerumque consentiens.

G. Parisiensis, cujus lectiones quasdam enotavit amicus meus

H. vel Harl. Harleianus 5725, in Museo Britannico.

J. Harleianus 6300, ibidem.

K. Regiæ Societatis codex recentior, a Kingio collatus. Hujus quasdam in choris interpolationes, a Kingio in textum admissas, prorsus tacui.

L. MS. Ayscough, 4952, in Museo Britannico.

M. N. MS. in Bibliotheca publ. Cantab. signatus Nn. 3. 14. Tres priores fabulas habet eleganti manu sæculo XIV. scriptas, duasque iterum priores ineleganti et recentissima manu. Illum posthac vocabo M, recentiorem N. Et hunc codicem et Cant. ab Askewio utendos accepit Musgravius, sed paucis tantum in locis inspexit.

Membr. Membranæ in Bibliotheca Parisiensi, olim Regia, a Brunckio collatæ.

Mosq. 1. 2. 3. 4. MSS. quatuor Mosquenses apud Beckium.

MSS. Dorvill. Codices Dorvilliani duo, nuper inter Bodleianos repositi.

P. vel Lib. P. Liber impressus in Bibl. Parisiensi, cum MSS. collatus, unde varias lectiones exscripsit Musgravius.

R. Alter Regiæ Societatis codex.

## II.—IN NOTIS MUSGRAVII.

A. MS. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, No. 2712. Exhibet quinque primas Tragœdias et Andromachen. Ad eum contulimus Medeam, Hippolytum et Andromachen.

B. MS. ejusdem Bibliothecæ, No. 2713. Exhibet septem primas Tragœdias.

C. Vel. Cott. Excerpta ex MSto quodam Cottoniano, adscripta exemplari Ed. Barnesianæ, quod in Bibliotheca Bodleiana servatur.

D. MS. Bibliothecæ Reg. Paris. No. 2818. Medeam et tres proxime sequentes Tragœdias exhibet.

E. Hac Nota designare visum est duos Tomos eadem manu nitidissime scriptos, quorum Numeri in Catalogo Bibliothecæ, quam diximus, sunt 2887, et 2888. In priori habentur Cyclops, Heraclidæ, Herc. Furens, Helena, Rhesus, Ion, Iphigeniæ duæ, Supplices, deni-

que Bacchæ usque ad v. 743. ubi adjecit Librarius λείπει φύλλα τρὶς καὶ δέκα. In altero sive No. 2888. Septem primæ Tragœdiæ cum Electra. In secundo Tomo quinque tantum fabulas contulimus, nempe Medeam cum tribus sequentibus, et Electram. In notis ad Electram litera Græca α varietates hujus MSti significavimus.

Fl. Variantes MSti cujusdam Florentini, ab Isaaco Vossio olim collati, Phœnissas, cum quatuor sequentibus fabulis, deinde Rhesum et Troadas, exhibentis. Ad Phœnissas quæ pertinebant, dederat Editor doctissimus et κριτικώτατος L. C. Valckenærius: reliquas humanissime mecum communicavit vir celeberrimus, David. Ruhnkenius.

G. MS. Bibliothecæ Regiæ Parisiens. No. 2817. Easdem fabulas habet, quas No. 2887. atque in eodem Baccharum versu desinit.

P. Liber impressus ejusdem Bibliothecæ, collatus cum MSto usque ad finem Iphigeniæ Tauricæ.

2714. MS. ejusdem Bibliothecæ, duas tantum fabulas habet, sc. Herc. Furentem et Electram.

Alium porro Electræ MStum contuli, sed mendosissimum, et quem ab homine ἀναλφαβήτῳ fere conscriptum diceres.

Ask. 1. 2. MSti duo, quorum usum mihi ex instructissima sua Bibliotheca humanissime concessit Antonius Askew, Medicus Londinensis celeberrimus. Eorum alter duas priores Tragœdias, alter easdem, sed cum Phœnissis quoque, exhibet.

Harl. MS. Musei Brittanici. Rhesum et Troadas habet.

Ed. Lasc. Editio vetus, literis majusculis Florentiæ impressa, et a Jano Lascari, Mattairio auctore, procurata. Medeam cum tribus sequentibus fabulis dat, estque omnium haud dubie prima.

Ed. Ald. Venetiis in lucem prodiit anno 1503. Octodecim fabulas continet, omnes utique, quæ ad literarum renatarum tempora pervenerunt, præter Electram et fragmentum Danaës.

Ed. Vict. i. e. Victoriana, Electram, hactenus desideratam, protulit Florentiæ anno 1545. cura Petri Victorii.

Ed. Commeliniana, Heidelbergæ anno 1597. publicata, fragmentum Danaës addidit, ex vetustis Bibliothecæ Palatinæ membranis.

Ed. Grot. Editio Phœnissarum, a viro immortali, Hugone Grotio, ex MS. adornata.

Steph. Excerpta duorum MStorum, quos in itinere Italico contulit H. Stephanus. In lucem prodierunt ex Stephani Officina anno 1568.

In subsidium quoque vocavimus Hecubæ, Orestis, et Phœnissarum, variantes, quas ex MSto Cantabrigiensi Barnesius; ex Bodleianis et MS. Reg. Soc. Kingius; ex iisdem MSS., multo accuratius, sed ad Phœnissas tantum, collatis, vir bonis omnibus carissimus, mihi que, dum viveret, amicissimus, Johannes Burtonus; ex duobus denique Leidensibus L. C. Valckenærius, publici juris fecit.

Jortini, quæ hic aliquoties commemorantur, Notæ, cum multis aliis ex margine codicis, quo utebatur vir doctissimus, descriptæ sunt, et in meos usus Oxonio transmissæ. Earum maximam partem vel in erratis typographicis corrigendis versari deprehendimus, vel ex aliorum Criticorum libris memoriæ causa excerptam esse; omninoque perpaucas esse, quæ Jortinum auctorem agnoscerent: quarum eas tantum protulimus, in quibus elegans illud et acutum ingenium maxime elucere videbatur. Tanaquilli Fabri notulæ, quæ uno alterove in loco occurrunt, repertæ sunt, si quæris, in libro editionis Stephanianæ Parisiis in Bibliotheca Regia servato: cujus quidem Bibliothecæ nunquam mentionem facio, quin mentem mihi subeat, cum admiratio Thesauri illius literarii omni genere librorum pretiosorum instructissimi, tum grata recordatio officiosissimæ humanitatis, qua me meaque studia sublevarunt Bibliothecæ Præfecti; quam non melius prædicavero, quam si politissimis gentis eruditæ et ingeniosæ moribus dignam omnino esse dixero.

## III.—IN NOTIS BECKII.

A. Cod. SS. Synodi Mosq. num. CCLIX. chartaceus sæculi XV. Fuit quondam in Bibliotheca Johannis Baptistæ Rosarii, medici, postea in Bibl. Maximi Margunii, denique in Bibl. Monasterii Iberorum montis Athus. Continet [a] vitam Æschyli. [b] Ejusdem Prometheum. [c] Septem ad Thebas. [d] Persas. [e] Euripidis Hecubam et Orestem. Ex eodem variæ lectiones novissimæ Æschyli editioni accesserunt. Vid. Schutz. V. C. Præf. T. I. Æsch. p. 17.

B. Cod. ejusdem Biblioth. num. CCXCVIII. sæc. XVII. chart. Continet præter alia Euripidis Hecubam et Aristophanis Plutum.

Diligentius scriptus est, quam prior, paraphrasin etiam et varia scholia habet.

C. Cod. chart. sæc. XVI. in 4. Bibliothecæ Typographei Synodalis Mosq. num. 5. Continet Euripidis Hecubam, cum aliis libellis Theocriti, Hesiodi, Pindari, Lycophronis, etc.

D. Cod. bomb. sæc. XV. exeunte scriptus, in 8. quem Cel. Matthiæ possidet. Fuit olim in Bibliotheca Cœnobii Iberorum montis Athus. Continet foliis ccxlvi. Hecubam, Orestem et Phœnissas, Sophoclisque Ajacem, Electram et Œdipum Tyrannum. Verbis inter lineas glossemata quædam superscripta, quæ, ut et in aliis usu venit, reperi pleraque ex paraphrasi ducta (nisi potius paraphrasis ex talibus glossematis confecta est) et ad marginem scholia nonnulla adscripta, vulgatis pauciora, et breviora. Ipse eum contuli cum textu nostræ ed.

His accedit

E. Cod. Acad. Viteberg. chart. sæc. XIII. Continet Lycophronem cum Tzetzis Commentario, Hesiodum cum Comm., Cleomedem de circulis, tres Æschyli tragœdias et partem Euripideæ Hecubæ usque ad v. 274. Vid. I. C. Zeunii, V. C. nobisque amicissimi, Progr., quo varietatem lectionis in tres Æschyli tragœdias priores ex Cod. Acad. Viteb. recenset. Vit. 1780. et ejusd. Progr., quo varietatem lectionis in Euripidis Hecubam ex Cod. Acad. Vit. proponit. ibid. 1781. 4.

---

## IV.—IN SCHOLIIS FÆHSIO SUPPEDITIS, IN SUPPL. SCHOL.

Cod. Paris. MCXXXV. olim Vaticanus, nuper Roma allatus, omnium fere, quos vidi, antiquissimus lectuque difficillimus. Scholia atque glossæ inter lineas parca manu sunt sparsa. Literæ $\bar{\mu}$ et $\bar{\beta}$ eandem fere habent formam.

Quæ manus recentior adspersit, erroribus scatent. Sæpius consentit cum codice Leidensi, quem laudat Valckenær. In foliis 67. seqq. alia transversim erant scripta. In eo continentur

Euripidis Hecuba, Orestes et Phœnissæ. Forte errores quidam ir-

repserunt, qui veniam apud judices æquos, quique ipsi, quanto cum periculo ejusmodi nodi solvantur atque explicentur, haud ignorent, forte impetrabunt.

Ceterum vide sis, quæ Hase V. Cl. de hoc codice et doctissime disputavit et diligentissime descripsit p. 273—277. (Op. Fæhse.)

Cod. Paris. MMDCXLVIII. continet Euripidis Hecubam cum scholiis atque glossis. $\bar{\alpha}$ et $\overline{\alpha\upsilon}$, $\bar{\eta}$ et $\bar{\iota}$ et $\bar{\varepsilon}$ ægre distinguuntur. Quæ excerpsi, documento sunt, eum non infimorum loco esse ponendum.

# ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ἙΚΑΒΗ.

# ὙΠΟΘΕΣΙΣ ἙΚΑΒΗΣ.

Μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν ἄραντες οἱ Ἕλληνες, καθωρμίσθησαν ἐν τῇ ἀντιπέραν Χεῤῥονήσῳ τῆς Θρᾴκης, ἧς Πολυμήστωρ ἦρχεν· οὗ δὴ καὶ κενοτάφιον ἔχωσαν Ἀχιλλεῖ ἐν Τροίᾳ ταφέντι. διατρίψαντες δὲ ἐκεῖ ἡμέρας δή τινας, ἐφ' ᾧ τὰ αὐτῶν εὖ διαθήσονται, ἐπεὶ ἀναχθήσεσθαι ἔμελλον, φανὲν τό τοῦ Ἀχιλλέως εἴδωλον ἐπὶ τοῦ τάφου, ἐπέσχε τοὺς Ἀχαιοὺς τῆς ἀναγωγῆς, αἰτοῦν γέρας αὐτῷ δοθῆναι τὴν παῖδα Πριάμου, Πολυξένην, τὴν καὶ πρότερον κατεγγυηθεῖσαν αὐτῷ ὑπὸ τοῦ πατρός. δι' ἣν καὶ ὑπὸ Πάριδος καὶ Δεϊφόβου τοξευθεὶς ὄλωλεν, ὅτε τὰς ἐγγύας πρὸς τοῦτον πληροῦν ἔμελλε Πρίαμος. Ἕλληνες μὲν οὖν ὧν εὖ ἔπαθον ὑπ' αὐτοῦ μεμνημένοι καὶ τιμῶντες τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς, ἐψηφίσαντο σφάξαι τὴν Πολυξένην ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ ἥρωος. ἔπεμψαν δὲ τὸν Λαέρτου Ὀδυσσέα πρὸς τὴν μητέρα αὐτῆς, Ἑκάβην, ὡς ἂν τήν τε παρθένον λάβῃ, καὶ τῷ ποικίλῳ τῶν λόγων (τοιοῦτος γὰρ ἦν ὁ ἀνὴρ) πείσῃ Ἑκάβην, μὴ δυσχερῶς σχεῖν ἐπὶ τῇ τῆς παιδὸς ἀφαιρέσει. ἐλθὼν οὖν Ὀδυσσεὺς, τήν τε κόρην συναιρομένην εὗρεν αὐτῷ τῆς σπουδῆς, καὶ πείθουσαν τὴν μητέρα, ὡς τεθνήξεσθαι μᾶλλον αὐτῇ προσῆκον, ἢ τὸ ζῆν παρ' ἀξίαν. σφαγείσης δὲ τῆς παρθένου, Ἑκάβη θεράπαιναν αὐτῆς ἔπεμψε παρὰ τὰς

Capta jam Troja, Græci quum inde solvissent, in Chersonesum, quæ est e regione Thraciæ, appulerunt; cui Polymestor imperabat: Ubi etiam et honorarium tumulum exstruebant Achilli, in Troja (licet) sepulto. Illic quum rerum ordinandarum causa dies aliquot egissent, et jam e portu essent soluturi, Achillis umbra super tumulum visa Græcos a navigatione detinuit, postulans, ut sibi Palmarii loco Priami filia daretur, Polyxena, quæ et ante illi a patre ejus fuerat desponsata, cujusque gratia a Paride et Deiphobo sagittis confossus periit, quum jam Priamus sponsalia peracturus esset. Græci itaque, beneficiorum illius memores, et viri virtutem magni æstimantes, decreverunt Polyxenam ad herois sepulcrum immolandam. Miserunt porro Ulyssem, Laërtæ filium, ad matrem ejus, Hecubam, ut et virginem deduceret, simulque vafritie facundiæ suæ (talis enim erat ille vir) *Hecubæ* persuaderet, ne filiæ ablationem nimis impotenter ferret. Ulysses ergo ubi advenisset, puellam offendit, ejusque studio faventem, matrique suadentem, sibi convenientius mortem oppetere futurum, quam præter dignitatem vivere. Mactata jam virgine Hecuba ancillam suam ad littus misit; ut aquam

ἀκτὰς, ἐφ' ᾧ ὕδωρ ἐκεῖθεν κομίσαι πρὸς λουτρὸν Πολυξένης. εὗρε δὲ Πολύδωρον ἐκεῖ κείμενον. ἁλοῦσαν γὰρ ὡς ἔγνω τὴν Τροίαν Πολυμήστωρ, σφάξας αὐτὸν, ἔῤῥιψεν εἰς τὴν θάλασσαν, ὡς ἂν αὐτὸς ἔχῃ τὸν χρυσὸν, ὃν πρὸς αὐτὸν μετὰ τοῦ παιδὸς Πολυδώρου πρώην Πρίαμος ἔπεμψε λάθρα, ἐπειδὴ ἑώρα τὸ Ἴλιον πρὸς κίνδυνον ἤδη χωροῦν. ἦν δὲ ὁ χρυσὸς οὗτος πολὺς ἄγαν, καὶ ἱκανὸς ὀρθῶσαι καὶ αὖθις τὸ γένος τοῦ Πριάμου. ὡς οὖν τοῦτον εὗρεν ἡ δούλη κείμενον ἐπ' ἀκταῖς, ἀνελομένη, καὶ τῷ πέπλῳ εἱλίξασα, κομίζει πρὸς τὴν Ἑκάβην, καὶ ἡ τὸν τῆς Πολυξένης νεκρὸν, πρὶν ἐκκεκαλύφθαι τοῦτον, εἶναι νομίσασα ἐπειδὴ ἔγνω Πολύδωρον, ἀθλίως τε ἔσχε καὶ ὅπως ἀμυνῆται Πολυμήστορα, μηχανᾶται τοιόνδε. κοινωσαμένη πρότερον τὴν περὶ τούτου γνώμην Ἀγαμέμνονι, πέμπει τὴν αὐτῆς δούλην ὡς Πολυμήστορα, αὐτόν τε καὶ τὰ τέκνα πρὸς ἑαυτὴν μετακαλουμένη περί τινος ἀναγκαίου πρὸς αὐτὸν κοινώσασθαι. οὗτος μὲν οὖν ἀγνοῶν, ὅτι Πολύδωρος εὕρηται παρὰ τὰς ἀκτὰς, καὶ ἅμα καὶ τισιν ὑποκλαπεὶς μετὰ τῶν παίδων πρὸς αὐτὴν ἀφικνεῖται. Ἑκάβη καί πρὸς αὐτὸν τούτου χάριν ἔφη κεκληκέναι, ἵνα χρυσοῦ θησαυροὺς κεκρυμμένους ὑπ' αὐτῆς ἐν Ἰλίῳ μηνύσῃ. εἰσάγει δὲ καὶ τῆς σκηνῆς ἔνδον εἰποῦσα, ὡς ἂν καὶ ἕτερ' ἄττα αὐτῷ δώσει χρήματα μεθ' ὧν ἐξῆλθε τῆς Τροίας. ἐκέκρυπτο δὲ εἴσω πλεῖστος γυναικῶν ὄχλος· σὺν αἷς τοῦτον εἰσελθόντα Ἑκάβη ὀφθαλμῶν τε στερεῖ, καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ ἀποσφάττει, δικάσαντος δὲ αὐτοὺς τοῦ Ἀγαμέμνονος ὕστερον, καὶ τοῦ Πολυμήστορος πολλὰ περὶ τῆς σφαγῆς Πολυδώρου

ad Polyxenæ ablutionem adportaret. Illa Polydorum ibi jacentem reperit: Polymestor enim, cognito Trojæ excidio, occiderat illum atque in mare abjecerat; ut ipse auro potiretur, quod una cum Polydoro filio Priamus haud ita pridem clanculum ad eum miserat, postquam vidisset, Ilium ad periculum jam vergere. Erat autem ea vis auri ingens valde; adeo ut etiam ad restaurandam Priami familiam posset sufficere. Hunc itaque, ut in littore jacentem ancilla reperit, receptum ac peplo involutum ad Hecubam defert. Illa Polyxenæ hoc esse cadaver suspicata, donec retegeretur, ubi Polydorum esse cognovit, misereque se habebat, et, ut Polymestorem ulcisceretur, tale quid excogitat. Communicata prius cum Agamemnone sententia, ancillam suam ad Polymestorem mittit, ipsumque et liberos ejus ad se accersens; velle enim cum illo colloqui de re quadam maximi momenti. At ille, nesciens Polydorum in littore fuisse inventum, simulque aliis quibusdam fraudibus inductus, una cum liberis ad illam accedit. Hecuba ideo eum vocatum dicit, ut (illi) thesauros quosdam a se in Ilio defossos indicaret: introducit porro in tentorium suum, dicens, quod et alias quasdam opes illi daret, quas ex Troja secum attulisset. Erat autem intus abdita ingens mulierum turba, quibus adjuta, illum ingressum Hecuba occulis privat et liberos ejus necat. Agamemnone postea utriusque causam judicante, quum

ο απλασαμένου, 'Εκάβη περιεγένετο, ἐλέγξασα αὐτὸν, ὡς τοῦ χρυσοῦ χάριν, καὶ οὐχ ὧν προὔτεινε, τὸν παῖδα ἀνεῖλε, σύμψηφον σχοῦσα καὶ 'Αγαμένονα.

'Η μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν τῇ ἀντιπέραν τῆς Θράκης Χεῤῥονήσῳ· ὁ δὲ Χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν αἰχμαλωτίδων Τρῳάδων συμμαχησασῶν τῇ 'Εκάβῃ.

multa Polymestor de cæde Polydori simularet, Hecuba coram convicit; eum auri gratia, non eorum, quæ fingebat, puerum sustulisse; et in eandem secum sententiam tulit Agamemnonem.

Scena Fabulæ ponitur in Chersones , quæ est e regione Thraciæ: Chorus constat ex Trojanis captivis mulieribus, quæ Hecubæ fuerunt auxilio.

## Ἄλλως ἐκ τῶν Πλȣτάρχȣ Παραλλήλων.

ΠΡΙ'ΑΜΟΣ Πολύδωρον ἐξέθετο εἰς Θράκην μετὰ χρυσίου πρὸς Πολυμήστορα τὸν γαμβρὸν, ὡς ἐγγὺς ἦν τοῦ πορθεῖσθαι ἡ πόλις. 'Ος δὲ μετὰ τὴν ἅλωσιν ἀπέκτεινε τὸν παῖδα, ὡς ἂν κερδήσῃ τὸν χρυσόν. 'Εκάβη δὲ ἐπι τοὺς τόπους παραγενομένη, καὶ σοφισαμένη. ὡς χρυσὸν δώσουσα, ἅμα ταίς αἰχμαλωτίσι, ταῖς * κερκισιν ἐξετύφλωσεν, ὡς Εὐριπίδης ὁ Τραγῳδοποιός.

* Ita pro χερσὶν lego.

## Aliter ex Plutarchi Parallelis.

PRIAMUS Polydorum emisit in Thraciam cum auro ad Polymestorem generum, quando prope erat, ut urbs destrueretur. Ille post destructionem urbis necavit puerum, ut auro potiretur. Hecuba quum esset in iis locis, decepto eo, quasi aurum datura, una cum captivis, textoriis radiis excœcavit; ut Euripides Tragicus.

Alia aliorum poëtarum de hac Fabula Œconomia; nam apud * Hyginum in Iliona, Polymestor ab uxore Iliona, Priami filia, deceptus, Deiphilum, filium suum, pro Polydoro obtruncat; ipsum tandem, in virum auctus Polydorus.

* Hyginus Fab. cix. fol. 26.

# ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ.

| | |
|---|---|
| ΠΟΛΥΔΩΡΟΥ εἴδωλον. | POLYDORI Umbra. |
| ΕΚΑΒΗ. | HECUBA. |
| Χορὸς ἐκ ΤΡΩιΑΔΩΝ αἰχμαλωτίδων. | Chorus TROADUM captivarum. |
| ΠΟΛΥΞΕΝΗ. | POLYXENA. |
| ΟΔΥΣΣΕΥΣ. | ULYSSES. |
| ΤΑΛΘΥΒΙΟΣ. | TALTHYBIUS. |
| ΘΕΡΑΠΑΙΝΑ Ἑκάβης. | Ancilla HECUBÆ. |
| ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ. | AGAMEMNON. |
| ΠΟΛΥΜΗΣΤΩΡ. | POLYMESTOR. |
| Προλογίζει δὲ ὁ Πολύδωρος. | Prologum autem agit Polydorus. |

# ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΕΚΑΒΗ.

## ARGUMENTUM ACTUS PRIMI.

Polydori Umbra Prologum agens Fabulæ totius mentem aperit, quod erat Poëtæ hujus singulare artificium: Queritur enim de Trojæ excidio, de suo lamentabili fato, de calamitosa Hecubæ fortuna, quæ uno die conspectura erat geminum liberorum funus. Hinc somniis territa præsagit Hecuba cladem liberorum, abominansque infaustum omen interpretem quærit: Quum Chorus illi nunciat, Polyxenam Græcorum sententiis cædi destinatam. Hecuba in luctus et lamenta solvitur, nec Polyxenam celat de exercitus decreto, quam adeo non exanimat ea res, ut non suam, sed matris potius, vicem deploret, quæ, se amissa, omnino orba sit futura.

## ΠΟΛΥΔΩΡΟΥ ΕΙΔΩΛΟΝ.

Ἥκω, νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας

Adsum, defunctorum specu et caliginis portis

S. Ἡ εἴσθεσις τοῦ δράματος ἄρχεται ἐκ μονοστροφικῆς περιόδου. οἱ δὲ στίχοι εἰσὶν ἰαμβικοὶ τρίμετροι ἀκατάληκτοι, νη. ὧν ὁ τελευταῖος, Φθείρει θεῶν τις τῆς πάροιθ' εὐπραξίας. Ἐπὶ τῷ τέλει κορωνίς. Ἀφεὶς ὁ Πολύδωρος τὸ σῶμα ἑαυτοῦ, καὶ μόνη ψυχὴ ὢν, αἰωρεῖται ἐπάνω τῆς μητρὸς αὐτοῦ, καὶ λέγει εἰς ἐπήκοον αὐτῆς τήν τε σφαγὴν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐσομένην τῇ ἀδελφῇ αὐτοῦ Πολυξένῃ ὑφ' Ἑλλήνων. ἐποίησε δὲ τοῦτο ὁ ποιητὴς ἐξεπίτηδες, ἵνα δῆλα πᾶσι ποιήσῃ τὰ κατὰ τὸν Πολύδωρον, ὃ καὶ ἐν ἀρχῇ πάντων τῶν αὐτοῦ δραμάτων ποιεῖν εἴωθεν.

1. Ἥκω] Τὸ ἥκω Ἀττικόν ἐστιν. οἱ γὰρ Ἀττικοὶ, ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ἧκον, ἥκω λέγουσιν. ῥέπει δὲ τοῦτο πρὸς τὸ παρεληλυθὸς, καθόσον τὸ εἶμι πρὸς τὸ μέλλον. Σκότου] Γράφεται καὶ τὸ σκότος οὐδετέρως, καὶ ὁ σκότος· καὶ τῷ μὲν οὐδετέρῳ χρῶνται οἱ κοινοὶ, τῷ δ' ἀρσενικῷ οἱ Ἀττικοί.

1. Locum hunc liberius vertit Poëta apud Ciceronem Tusc. I. 16. *Adsum atque advenio Acheronte vix via alta atque ardua.* Inter loca tragicorum, quæ Æschines pronunciando corruperit, hunc recenset Demosthenes de Corona, p. 571. ed. Tayl. Aperte ridet Aristophanes apud Athenæum XII. p. 551. B. Καὶ τίς νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας Ἔτλη κατελθεῖν; tectius vero ibidem III. p. 112. F. Ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον λιπὼν, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια. (Sic recte Toupius Emend. ad Suid. P. I. p. 15. Aldi enim editio Θεαρίων, ὅς ἁ.) Totum distichon in usus suos convertit Menippus in Luciani Necyomantia, fingens se ab inferis rediisse. Christi Patientis conditor, vulgo dictus Gregorius Nazianzenus, qui hanc fabulam raro citat, hunc versum habet leviter mutatum 1506. ut et hunc cum sequenti 2021. 2022. *Por.*

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα.] Infernus locus remotissimus a deorum domicilio; ut appareat, in centro terræ esse sceleratorum carnificinam, omnium sordium et fœtorum receptaculum, cui horribilis caligo,

Λιπὼν, ἵν' ᾍδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν,
Πολύδωρος, Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως,
Πριάμου τε πατρὸς· ὅς μ', ἐπεὶ Φρυγῶν πόλιν
Κίνδυνος ἔσχε δορὶ πεσεῖν Ἑλληνικῷ,

Relictis, (ubi Pluto habitat seorsim a Diis)
Polydorus, Hecubæ filius *filiæ* Cissei,
Priamique patris : qui me, postquam Trojanorum urbem
Periculum invasit, hasta ne caderet Græca,

P. Ἐγὼ ὁ Πολύδωρος, ὁ γεγονὼς υἱὸς τῆς Ἑκάβης τῆς θυγατρὸς τοῦ Κισσέως, πατρός τε τοῦ Πριάμου, ἦλθον ἄρτι, ἀφεὶς τὸν ἀπόκρυφον τόπον τῶν νεκρῶν καὶ τὰς πύλας τοῦ ἀφεγγοῦς τόπου, ὅπου ὁ ᾍδης ᾠκισμένος ἐστὶν, ὡς ἀπὸ μερισμοῦ δηλονότι, ἄνευ τῶν οὐρανίων.

S. 2. ᾍδης] Ἡ διὰ τὸν ἐν ᾅδου τόπον νοητέον, ἵν' ᾖ τὸ ᾤκισται ἀντὶ τοῦ κατῳκίσθη ὑπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ τοῦ Πλούτωνος, καὶ Περσεφόνης, ἢ ἀντὶ τοῦ ὁ Πλούτων. ᾍδης γὰρ καὶ Πλούτων ὁ αὐτὸς λέγεται. τὸ δὲ ᾤκισται, ἢ ἀντὶ τοῦ κατῳκίσθη, ἢ ἀντὶ τοῦ κατοικεῖται, κατὰ ἀντιχρονισμὸν, ὅπερ κατοικεῖται εἴποις, εἰ τόπον τὸν ᾅδην μόνον νοήσεις. 5. Κίνδυνος] Κινδυνεύω, ἀντὶ τοῦ ἐν δεινῷ εἰμι. καὶ κινδυνεύω ποιεῖν τόδε, ὅπερ οὐ θέλω δηλονότι, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἀναγκης εἰς τοῦτο συνελκόμενος. καὶ κινδυνεύω πείσεσθαι τόδε, ἀφ' οὗ κίνδυνος ἐπὶ τῶν δύο τούτωνσημ αινομένων· κίνδυνος γὰρ αὐτὸ τὸ δεινόν· καὶ κίνδυνος πείσεσθαι τινὰ τόδε· ὅπερ οὐκ αὐτὸ δηλοῖ τὸ δεινὸν, ἀλλὰ τὴν ἐπὶ τὸ δεινὸν συνελαύνουσαν ἀνάγκην.

æternæque tenebræ incumbant. Locum ipsum optime describit *Homerus* Iliad. Θ. v. 13. ad 16.

Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον, etc.

*Virgilius* idem expressit, Æn. 6. v. 577.

——— Tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum.

*Senecæ* Troas ejusdem est Argumenti. *Beck.*

De vera verbi ἥκω potestate vid. Dawes. Misc. Crit. p. 351. Heath. Thom. Mag. Ἥκω, ἀντὶ τοῦ ἦλθον, ubi laudatur hic versus. Laudatur etiam a Liban. T. I. p. 458. sed ibi est : ἥκω λιπὼν κευθμῶνα. —Expressos hinc putabat Camerarius versus Tragici ap. Cic. Tusc. I. 16. et in Scriverii fragm. vett. Trag. p. 20. *Adsum atque advenio* etc. Idem Hecubæ initium imitati sunt Aristoph. ap. Athen. I. 3. p. 112. F. et Virg. Æn. 3, 49. ss. Vid. Bibl. Crit. Amst. P. IV. p. 18. ss. *Beck.*

Usque ad versum 16. nullæ versuum distinctiones sunt in A. *Beck.*

2. Quod me facturum ad Med. 6. tantum non promiseram, nunc feci, ut scilicet iota in textu scriptoris reddendo semper adscribam. In Notis tantam diligentiam neque ipse præstabo, neque ab operis exigam. Ut autem aliquod saltim utilitatis ex hac observatione consequatur Lector, exemplum unum apponam. Sciunt qui variis lectionibus expendendis operam aliquando dedere, quoties N et H commutentur. Archestratus Athenæi VII. p. 305. E. κἂν ἰσόχρυσος ἔνι, citans Eustathius ad Od. Τ. p. 1872, 17= 706, 8. legit ἔνι. In eodem Athenæo XIII. p. 599. D. πορφυρένι recte viri docti in πορφυρένι mutarunt. Pratinas apud eundem XIV. p. 622. C. (ut conjicio ex p. 624. F.) Σοὶ Βάκχε τάνδε μοῦσαν ἀγλαΐζομεν, Ἁπλοῦν ῥυθμὸν χέοντες αἰόλῳ μέλει, Καὶ μὰν ἀπαρθένευτον οὔτι ταῖς πάρος Κεχρήμεθα πανῴδασιν ἀλλ' ἀκήρατον Κατάρχομεν τὸν ὕμνον. Cum MS. A. det κεχρημεπανωδαισιν, lege, Καινὰν ἀπαρθένευτον οὔτι ταῖς πάρος Κεχρημέναν ᾠδαῖσιν. Versum secundum include parenthesi, et junge μοῦσαν καινὰν, κ. τ. λ. In fine libri XV. p. 701. F. hæc præbet idem MS. δίμυξον δὲ λύχνον εἴρηκε φιλυλλιος σω- καὶ θρυαλλίδ' ηνδενί. Unde perfectissimus nascitur trochaicus: Καὶ λύχνον δίμυξον οἴσω καὶ θρυαλλίδ', ἣν δέῃ. *Por.*

3. Dymantis non Cisseos filiam Hecubam facit Homerus, Il. Π. 718. Sed Euripidem sequitur Virgilius Æn. X. 705. Virgilium ceteri poëtæ Latinæ. *Por.*

Κισέως Cod. A. *Beck.*

Δείσας, ὑπεξέπεμψε Τρωϊκῆς χθονὸς
Πολυμήστορος πρὸς δῶμα, Θρηικίου ξένου,
Ὃς τὴν ἀρίστην Χερσονησίαν πλάκα
Σπείρει, φίλιππον λαὸν εὐθύνων δορί.

Metuens, clam-emisit ex Trojana terra,
Polymestoris ad domum Thracii hospitis,
Qui præstantissimam Chersonesiam plagam
Seminat, equestrem populum regens hasta.

P. Θεῶν· ὅστις ὁ Πρίαμος, ἐπεὶ κατέλαβεν τὴν Τροίαν φόβος καὶ ὑποψία καταβληθῆναι ὑπὸ τοῦ Ἑλληνικοῦ πολέμου, φοβηθεὶς, ἔξω ἔπεμψεν ἐμὲ τῆς Τρωϊκῆς γῆς, πρὸς τὸ οἴκημα τοῦ Πολυμήστορος τοῦ φίλου τοῦ Θρακικοῦ, ὃς Πολυμήστωρ γεωργεῖ τὴν ἀρίστην καὶ ἐπαινετὴν πεδιάδα τῆς Χεῤῥονήσου, τὸν ἱππικὸν καὶ πολεμικὸν λαὸν διεξάγων διὰ τοῦ δόρατος.

S. 7. Θρηϊκίου] Ὁ Θρᾷξ, τοῦ Θρᾳκὸς, καὶ ἀπὸ τούτου θρηίκιος, κατὰ παραγωγὴν ἐκφωνουμένου τοῦ ι, καὶ τρεπομένου τοῦ α εἰς η. Ξένου] Ξένος κυρίως ὁ φίλος, ὃν ἐπὶ τῆς πατρίδος, τὶς ποιήσεται ἀπὸ ξένης ἐλθόντα· ἁπλῶς δὲ καὶ ὁ φίλος· 8. Πλάκα] Πλὰξ οὐ μόνον ἡ πετρώδης γῆ ἀλλὰ καὶ ἁπλῶς πᾶσα γῆ, ὥσπερ κἀνταῦθα, οὐ γὰρ οἷόν τε ἐστὶν ἀρίστην αὐτὴν προσειπεῖν εἰ πετρώδης ἦν. ἀλλ' ἔστι τὸ πλάκα ἀντὶ τοῦ γῆν, δῆλον δὲ ἐκ τοῦ Σπείρει.

4. Ὅς μ', ἐπεὶ Φρυγῶν πόλιν. *Virgilius* Æn. 3. v. 49. usque ad v. 56.

> Hunc Polydorum, auri quondam cum pondere magno,
> Infelix Priamus, etc.

Vid. etiam *Ovid.* Metam. l. 13. ubi *Polydori* cædes describitur :

